

John Carter Brown.

IN HOC VOLVMINE HAEC CONTINENTVR.

Rhetoricorum ad C. Herennium lib. IIII.

M. T. Ciceronis de inuentione lib. II.

Eiusdem de oratore ad Quintum fratrem lib. III.

Eiusdem de claris oratoribus, q dicitur Brutus: lib. I.

Eiusdem Orator ad Brutum lib. I.

Eiusdem Topica ad Trebatium lib. I.

Eiusdem oratoriæ partitiones lib. I.

Eiusdem de optimo genere oratorum præfatio quædam.

Index rerum notabilium, quæ toto opere continentur, per ordinem alphabeti.

JOHN CARTER BROWN

Hos libros etiam, Pontificum Alexandri, Iulij, ac Leonis demum decretis, neqis alius usquam locorum impune imprimat, cautum est.

ALDI P. M. AD ANDREAM NAVGERIVM PATRITIVM VENETVM, COMPATREM, IN LIBROS DE ARTE RHETORICA PRAEFATIO.

OMNES Andrea Naugeri, *qui se uel componendis nouis operibus, uel instaurandis, corrigendisue antiquis tradunt: ut non solum sibi, sed & alijs prosint: quoniam ut præclare scriptum est à Platone, non nobis solum nati sumus: sed ortus nostri partem patria, partem parentes uendicant: partem amici: otium sibi sumant, & quietem: ac à cœtu hominum, frequentiáq; in solitudinem, tanquam in portum se recipiant. Sacra enim studia literarum, & Musæ ipsæ, semper quidem otium amant: & solitudinem: sed tunc præcipue, cum quæ scripturus es: uictura cupias:*

» Atq; linenda cedro, & leui seruanda cupresso. *Quam qdem rem tu mi* Naugeri *persæpe, & feliciter facis. relicta enim urbe, & frequentia hominum, rus te confers, & in loca quietis, & tranquillitatis pleniſſima: ut superioribus annis, in laureta, & oliueta Benaci, cum diræ ferro, & compagibus arctis, clausæ essent belli portæ. ubi & tu uacuus curis, & molestijs ijs, quæcunq; impediunt præclara studia literarum,*

» Tale facis carmen, docta testudine, quale

» Cynthius impositis temperat articulis.

At mihi duo sunt præter sexcenta alia: quibus studia nostra assidua interpellatione impediuntur: crebræ scilicet literæ uirorum doctorum, quæ undiq; ad me mittuntur: quibus si respondendum sit, dies totos, ac noctes consumam scribendis epistolis: Et ij, *qui ad nos ueniunt partim salutandi gratia: partim perscrutaturi, siquid noui agatur: partim, quæ longe maior est turba, negotij inopia. tunc enim eamus aiunt, ad* Aldum. *ueniunt igitur frequentes, & sedent oscitabundi,*

» Non missura cutem, nisi plena cruoris Irudo.

Mitto qui ueniunt recitaturi alij carmen, alij prosa oratione aliquid: quod etiam excusum typis nostris publicari cupiant: idq; rude, & inæstigatum plerunq;: quod & eos offendat limæ labor, & mora. Nec aduertunt, reprehendendum esse carmen: quod non

» Multa dies, & multa litura coërcuit: atq;

» Perfectum decies non castigauit ad unguem.

A' quibus me cœpi tandem permoleſtis interpellatoribus uindicare. nam ijs, qui ad me ſcribunt: uel nihil reſpondeo: cum quod ſcribitur: non magni interſit: uel, ſi interſit: laconicè. Quamquidem rem, quoniam nulla id a' me fit ſuperbia, nullo contemptu: ſed, ut quicquid eſt otij, conſumam edendis bonis libris: rogo, nequis grauius ferat, ne'ue aliorſum, atque ego facio: accipiat. Eos autem, qui uel ſalutandi, uel quacunque alia cauſa ad nos ueniunt: ne poſthac moleſti eſſe pergant: né'ue importuni interpellent labores: & lucubrationes noſtras, curauimus admonendos epigrammate, quod quaſi aliquod edictum uidere licet ſupra ianuam cubiculi noſtri, his uerbis.

QVISQVIS ES: ROGAT TE ALDVS ETIAM: ATQVE ETIAM: VT, SIQVID EST, QVOD A' SE VELIS: PERPAVCIS AGAS: DEINDE ACTVTVM ABEAS: NISI TANQVAM HERCVLES, DEFESSO ATLANTE: VENERIS SVPPOSITVRVS HVMEROS. SEMPER ENIM ERIT: QVOD ET TV AGAS: ET QVOTQVOT HVC ATTVLERINT PEDES. Id ipſum & hic propterea inſeruimus: ut magis, magisq; innoteſcat.

Sunt tamen multi, & græce, & latine docti: qui frequentando ædes noſtras: Herculem, mihi ſuppetias ueniendo: ſedulo agunt. ex quibus tu Naugeri excellentiſſime, hiſce Marci T. de præceptis oratorijs, deq; dicendi copia, & ſtudio eloquentiæ libris, accuratiſſime cum antiquis exemplaribus conferendo recognoſcendis: uel Atlas requieſcente me: factus es. Idemq; nunc in illius orationibus, & in diuinis de philoſophia libris aſſidue, atque adeo feliciter facis: ut breui & correctiſſimi, ab ijsq; qui paſſim habentur: longe alij exire poſſint in manus ſtudioſorum. Taceo quàm diligenter, quàm ingenioſe, quàm docte cum alios proſa oratione ex bonis codicibus indefeſſus emendaueris libros: & penes te habeas: tum præcipue optimos quoſq; poëtarum: quos mihi, quæ tua eſt humanitas: qui tuus amor erga bonas literas: daturum te, cum publicare eos excuſos typis noſtris uoluero: benigniſſime polliceris. immo ſæpe etiam inſtas: ſic inquiens: Alde, quid facis? cur non petis a' me Vergilium: Horatium: Tibullum: Ouidium: & alios quoſdam? uix credas: quàm ſint penes me emendati ex antiquis codicibus. Quamobrem ſic me tibi deuinxiſti: ut te non ſecus amem: quàm me ipſum: tibiq; æque, ac mihi longiſſimam uitam exoptem. nam

cum adeo

cum adeo iuuenis, tantus & prosa, & carmine euaseris: ut te uel antiquis, qui utroq; in genere summa cum laude elaborarunt: ferè æquaueris: non dubito: quin futurus sis maximum decus, & gloria nostrorum temporum: & unà cum Bembo nostro magnæ spes altera Romæ. Et si non me fugit: hæc te, qui tuus est pudor: non libenter audire: tamen, quia scio me uera dicere: & te abs te cognosci quamoptime: atq; illud γνῶθι σεαυτὸν, non ad arrogantiam
» minuendam solum esse dictum: uerum etiam, ut bona nostra no-
» rimus: sic tibi de te loqui uolui multorum exemplo, & doctorum uirorum. & ut taceam cæteros & græcos, & latinos: qui hoc ipsum factitarunt: Plinius Iunior in panegyrico illo ingeniosissimo, ac diuino, quem, initurus consulatum: Traiano imperatori dixit frequenti senatu: summas illius laudes coràm ipso dicere, dignissimum, accommodatissimumq; esse existimauit: quod & ueerissimas esse illas certò sciret: & principem suarum uirtutum maxime conscium. Fuit enim Traianus non solum imperator: sed & homo omnium optimus. unde & nunc inter creandum Imperatorem: hoc illi primum imprecantur: sis felicior Augusto: & melior Traiano. Adde: quod id est huiusmodi nostrarum uel epistolarum, uel præfationum genus: ut sic licere nobis uel ea ratione uideatur: quod & si uni priuatim uidemur scribere: publicè tamen, ijsq; omnibus scribimus: qui nostra hæc amicè legerint. Ob eam quoq; causam licere nobis arbitramur: ut ei, ad quem scribimus: non nihil quasi argumentum dicamus de ijs libris: in quibus huiusmodi uel epistolas, uel præfationes præponimus: non ut ipsum doceamus: (arrogantis esset id quidem) sed, ut & tueatur nostra: & sit eorundem iudex: & qui nesciunt (semper enim prodesse uolumus) id discant è nobis. Quamobrem idem & hic faciendum censuimus. Et te Naugeri doctissime iudicem elegimus: cum propter alia: tum etiam, quod omnia, quæ his libris de ratione dicendi tractantur: sic teneas: ut
» digitos, ungues q; tuos. Debemus enim, quæ publicanda elucubramus: ijs recitare, uel scribere: qui possint: si bona sunt: laudare: sin mala, reprehendere. ut olim Quintilio poëmata recitabantur: qui,
» cum aliquid non probaret: corrige sodes hoc aiebat: & hoc.
L audandus igitur peripateticus ille Phormio: prudenterq; fecisse existimandus est: quod coràm Annibale de officio Imperatoris, & de omni re militari disputauerit: non ut illum doceret: nunquam enim tantum insaniisset Phormio: sed, ut pœnus uel delectaretur ea audiens: quorum esset peritissimus: præsertim, si copiosè, ornatè,

docte à philosopho dicerentur: uel ut iudicaret potius: an perite ea de re disputatum esset: Rustice contra, & inhumaniter fecisse Annibal: (semper enim fuisse dicitur insuauis: & difficilis) qui, cum Phormionem audisset: & cæteri, qui interfuerant: uehementer delectati: quæsiuissent: quid nam ipse de illo philosopho iudicaret: respondent: multos se deliros senes sæpe uidisse: sed qui magis, quàm Phormio deliraret: uidisse neminem. Quod contumeliosum responsum tantopere probari à M. Tullio, miror: atq; eò magis: quod non propterea delirare Phormionem uisum esse ait: quia inepte, aut indocte de re militari præcepta narrauerit: sed tantum, quia Annibali: cuius nomen erat magna apud omneis gloria: quiq; tot annos de imperio cum populo Ro. omnium gentium uictore certaue-
» rat. Cum potius delirus uere fuisset Phormio: si apud rusticos, & id genus alios, qui non intelligerent: de re militari disputauisset. quemadmodum si surdis quispiam suauiter canat: aut narret fabulam: uel si coràm cæcis in numerum quis quamoptime ludat: aut manuum celeritate præstigiatoriam agat.

Tu autem mi Naugeri hæc tibi dici à nobis facile patieris: quod simul & doctissimus sis: & humanissimus. tum etiam quia, cum tibi sic dicuntur: omnibus dicuntur: in quorum manus hæc nostra peruenerint. quamobrem leges tu quidem: quæ breuiter de his libris quasi argumenta scribuntur: & leges: non, ut Phormionem Annibal: contumelioſe (barbarum id quidem) sed benigne, ut soles: me, cum ea legeris: dimissurus. Ea uero sunt hæc:

In primo, & secundo libro Rhetoricorum ad C. Herennium, & non nihil in tertio, de Inuentione, prima, ac maxima parte rhetoricæ tractatur. Primus, exordium, narrationem, diuisionem, & pauca quædam de confirmatione, & confutatione continet. Secundus reliquas inuentionis partes: & quemadmodum ad omnem iudicialem causam inuentionem rerum accommodari oporteret: ostendit.

Tertius inueniendarum rerum, quæ pertinent ad causas deliberatiuas, & demonstratiuas, rationem absoluit. hinc quomodo quæ inuenimus: disponamus: atque in ordinem redigamus: & quibus rebus ad dicendum pronuntiatio, quibus item inuentorum Thesaurus, atque omnium partium rhetoricæ custos, memoria comparanda sit: docet. Quartus reddita ratione: quare præter græcorum consuetudinem suis author utatur exemplis: præcepta Elocutionis, quæ est ultima pars ex ijs quinque: quas in oratore esse oportet: non indiligenter tradit.

Primus autem liber inchoati tantum operis, expoſito genere artis rhetoricæ: & officio: & fine: & materia: & partibus: continet genera controuerſiarum: & inuentiones: & conſtitutiones: deinde partes orationis: & in eas omneis omnia præcepta. Et quoniam in eo cæteris de rebus diſtinctius dictum eſt: diſperſe autem de confirmatione: & reprehenſione: certi in ſecundo libro confirmandi, & reprehendendi in ſingula cauſarum genera loci traduntur. Et quia quo pacto tractari conueniret argumentationes: in primo libro accurate expoſitum eſt: in ſecundo tantum inuenta unamquanq; in rem exponuntur ſimpliciter ſine ulla exornatione: ut ex ſecundo inuenta ipſa, ex primo expolitio inuentorum petatur. Poſtremo, quoniam omne in cauſæ genus argumentandi ratio tradita eſt: deq; inuentione ſatis dictum uidetur: reliquas partes orationis, quæ Oratori neceſſariæ ſunt: ſe deinceps dicturum Cicero pollicetur. ſed poſtea mutato conſilio: ſic inchoatum opus reliquit puto: quia rude uidebatur: ſibiq; puero, aut adoleſcentulo, ut ipſe in primo libro de Oratore teſtatur: exciderit atque ob eam cauſam rogatus a' fratre: treis libros de omni ratione dicendi adeo doctos, ingenioſos, elegantes, copioſos compoſuit: ut qui in alijs libris ſemper omneis, in his ſe ipſum Cicero ſuperauerit. ipſe etiam illos tanti faciebat: ut in epiſtola
» quadam ad Leptam hæc ſcripſerit. Oratorem meum tantopere
» abs te probari, uehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo: me,
» quicquid habuerim iudicij de dicendo: in illum librum contuliſſe.
» qui ſi eſt talis: qualem tibi uideri ſcribis: ego quoque aliquid ſum:
» ſin autem aliud: non recuſo: quin quantum de illo libro, tantundem
» de iudicij mei fama detrahatur. Hi igitur tres libri de Oratore, ea, quæ tribus diebus uiri omnium eloquentiſſimi, clariſſimiq; de omni ratione dicendi uel diſſeruerant: uel docuerant: complectuntur. quorum librorum argumenta, tum aliorum, qui hoc ipſo uolumine continentur: breuiter narranda hoc ordine uiſa ſunt.

In primo libro, Ludorum romanorum diebus, cum L. Craſſus colligendi ſui cauſa, ſe in Thuſculanum ſuum cum adoleſcentibus C. Cotta, & P. Sulpitio contuliſſet: ueniſſetq; eodem Q. Mutius Scæuola Augur, Craſſi ſocer: & M. Antonius, homo & conſiliorum in Rep. ſocius, & ſumma cum Craſſo familiaritate coniunctus: Primo die de temporibus illis, deq; uniuerſa Rep. quam ob cauſam uenerant: multum inter ſe uſque ad extremum tempus diei collocuti dicuntur. ſed ea alibi ſunt a' M. Tullio mandata literis.

Poſtero autem die, cum illi maiores natu ſatis quieuiſſent: atque in

ambulationem uentum esset: & Scæuola duobus spatijs, tribus ue factis: quod infirmus esset pedibus: dixisset: ut imitantes Socratem illum: qui est in Phædro Platonis: sub Platano & ipsi quiescerent: allatis puluinis: omnes in ijs sedibus, quæ erant sub Platano: dicuntur consedisse. Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium: cum Crassus sermonem quendam de studio dicendi intulisset: & quædam ab Scæuola contra ea, quæ dixerat Crassus: comiter dicta fuissent: ab Antonio, & Crasso de Rhetoricæ materia, & de ijs, quæ Oratori necessaria sunt: in toto primo libro ornate, copioseq; disseritur. cui satis longæ disputationi adfuit quidem senex Scæuola: sed quoniam in Thusculanum suum ire constituerat: sermoni, qui de arte dicendi instituebatur: non interfuit. cur autem illius persona ab reliquis libris dimota sit: docet ipse Cicero in quarto libro epistolarum ad Atticum, his uerbis: » Quod in his Oratorijs libris, quos laudas: personam desyderas Scæuolæ: non eam » temere dimoui. sed feci idem: quod in πολιτείᾳ Deus ille noster Plato. Cum in Peiræum Socrates uenisset ad Cephalum locupletem, & festiuum senem: quoad primus sermo ille haberetur: » adest in disputando senex: deinde cum ipse quoque commodissime » locutus esset: ad rem diuinam dicit se uelle discedere: neq; postea re» uertitur. Credo Platonem uix putasse satis consonum fore: si homi» nem id ætatis in tam longo sermone diutius detinuisset. Multo ego » satius hoc mihi cauendum putaui in Scæuola: qui & ætate, & ua» letudine ea, qua esse meministi: & ijs honoribus, ut uix satis deco» rum uideretur: eum plures dies esse in Crassi Thusculano. & » erat primi libri sermo non alienus ab Scæuolæ studijs. reliqui libri » τεχνολογίαν habent: ut scis. huic ioculatoriæ disputationi senem illum, ut noras: interesse sanè nolui. Die tertio, cum iam in Thusculanum Lælij soceri sui abijsset Scæuola: & Q. Catulus senex, & C. Iulius Cæsar fratres è Thusculanis suis in Crassi Thusculanum ad audiendum Antonium ueniissent: cuius esse partes, ut eo die de arte dicendi loqueretur: ab Scæuola Iulius, cum ad fratrem ueniret: audiuerat: In secundo quidem libro ante meridiem, ab Antonio de Inuentione, dispositione, memoria, tribus de quinq; quasi membris eloquentiæ, interpellantibus interdum alijs uel interrogando: uel approbando: uel etiam addendo: uel ut cunq; aliter uideretur: doctissime agitur. Et quoniam suauis est, & uehementer sæpe utilis iocus: & facetiæ: hæc Iulio pars, quod in eo genere alijs excelleret: consensu omnium datur. quamobrem ille coràm consummatissimus, ac di-

uinus

uinis oratoribus Antonio, & Crasso tanquam in scena gestum spectante Roscio acturus: uerecunde quidem, sed cum iam defessus esset disputando Antonius: cum perpauca adhuc restarent: peroportune se interposuit: munusq; suum diligenter, iucundeq; peragit.

In tertio autem, inclinato iam in pomeridianum tempus die: Crassus de Elocutione, & Actione reliquis rhetoricæ partibus, quæ ei ab Antonio ex constituto relictæ fuerant: disertissime, & copiosissime loquitur. In his libris non ieiunas rhetorum artes, sed locupletissimos Aristotelis libros secutus uidetur Cicero: idq; in Crassi maxime sermone. ut hinc quoq; perspici possit: hoc ab eo uere in Oratore dictum esse: se oratorem, si modo sit: uel quicunque sit: non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatijs extitisse.

In libro de claris Oratoribus, qui Brutus dicitur: deplorata summo cum dolore morte Hortensij: qui cum Cicero semper coniunctissime, & amantissime uixerat: sociusq;, & consors glorioſi laboris fuerat: enumerat: quicunque usque ad sua tempora latini Oratores clari extiterant: ante tamen græcis, qui excelluerant: quasi in transcursu, breuiter enumeratis.

In libro, qui Orator appellatur: cum a Cicerone M. Brutus per literas petiuisset: ut quod optimum esset genus dicendi: sibi ostenderet: id ille diligentissime, & copiosissime fecit. Et quamuis de Elocutione tantum ab Bruto requisitus uideretur: non nulla tamen de Inuentione, Dispositione, Actione, ut plenius foret opus: adiecit.

In Topicis de communibus locis, unde argumenta ducuntur: breuiter quidem internauigandum, cum etiam libros Cicero non haberet: sed docte, & dilucide agitur. Exempla tamen, quod ad Trebatium iurisconsultum scribatur: ex iure sumuntur.

In partitionibus in omne causarum genus præcepta colliguntur.

In libro, qui de optimo Oratorum genere inscribitur: cum falsam Cicero eorum uellet opinionem ostendere: qui eos solos atticæ dicere contendebant: qui tenui quodam, & sicco scribendi genere uterentur: Aeschinis, & Demosthenis inter se contrarias orationes conuertit: ut, cum hi Attici omnium consensu haberentur: neq; tenui solum genere, sed amplissimo etiam, ac mediocri nonnunquã uterentur: manifestus illorum error deprehenderetur. Sed ipsæ orationes ad nos non peruenerunt. id, quod habetur: præfatio est quædam.

Sed, quoniam sunt: qui libros de arte rhetorica ad Herennium Ciceronis esse contendant: non ab re facere mihi uideor: si, quod ipse ea de re sentiam: hoc loco breuiter disputauero. Qui libro-

rum ad Herennium, authorem esse Ciceronem uolunt: duorum alterum fateantur necesse est: ut, aut ante, quàm quæ inchoata, atq; rudia puero, aut adolescentulo sibi excidisse ait: aut post, Cicero illos composuerit. ante, non puto dicturos. quia, si puer, aut adolescentulus illa imperfecta, hoc est duos illos libros de inuentione composuit: quando hos ad Herennium componere potuit? num puerulus? quis hoc credat? At à uiro etiam maturæ ætatis, ac patrefamilias, & philosopho compositi illi uidentur. id quod ex ipso authore facile est cognoscere: cum & hæc dicat: Etsi negotijs familiaribus impediti: uix satis otium studio suppeditare possumus: & id ipsum, quod datur otij: libentius in philosophia consumere consueuimus: & hæc, quæ habentur in fine quarti libri. Nam & simul libenter exercemur propter amicitiam: cuius initium cognatio fecit: cætera philosophiæ ratio confirmauit: & nobis non diffidimus: propterea quod & aliquantulum proœssimus: & alia meliora sunt: quæ multo intensius petimus in uita: & etiam, si non peruenimus in dicendo: quo uolumus: parua pars uitæ perfectissimæ desyderetur. Impediri negotijs familiaribus: & uix propterea esse otium ad studendum, & siquid supereset otij: in philosophia consumere consueuisse: tum paruam uitæ perfectissimæ partem desyderari: non puero, sed uiro conueniunt: & patri familias. Adde: quod cum consueuisse dicit: quod daretur otij: in philosophia consumere: prætermisso studio eloquentiæ: diu uidetur philosophiæ dedisse operam. Præterea in ijs ipsis libris de inuentione, fecisset aliquam eorum, qui sunt ad Herennium, mentionem: cur. s. de arte rhetorica iterum scriberet: quemadmodum in libris oratorijs eorum meminit: quæ inchoata: atq; rudia sibi puero, aut adolescentulo excidisse refert. non ante igitur hos ad Herennium, quàm illos de inuentione libros composuit. Post autem si dixerint: parum diligenter uidentur eam rem consyderasse. quia si ita sit: sequeretur: politiores, & magis cultos esse hos ad Herennium: quàm illi ipsi quos de inuentione composuit: quod & doctior, & plures natus annos eos elucubrasset. Sed longe est secus. Rudes quodammodo hi uidebuntur: si ijs, quos de inuentione compositi: comparentur. Et quanquam sunt docti: tamen longissimo distant interuallo à diuina illa. M. Tullij eloquentia. immo si quis accuratius consyderauerit: plurima in his ad Herennium libris, dure, & ieiune dicta deprehendet. Adde, quod in libris de Oratore, ubi inchoatorum à se rhetoricorum meminit: & horum ad Herennium meminisset: atq; eò magis, quod perfecta, & absoluta sint:

» rum ad Herennium, authorem esse Ciceronem uolunt: duorum alterum fateantur necesse est: ut, aut ante, quàm quæ inchoata, atq; rudia puero, aut adolescentulo sibi excidisse ait: aut post, Cicero illos composuerit. ante, non puto dicturos. quia, si puer, aut adolescentulus illa imperfecta, hoc est duos illos libros de inuentione composuit: quando hos ad Herennium componere potuit? num puerulus? quis hoc credat? At à uiro etiam maturæ ætatis, ac patrefamilias, & philosopho compositi illi uidentur. id quod ex ipso authore facile est cognoscere: cum & hæc dicat: Etsi negotijs familiaribus impediti: uix satis otium studio suppeditare possumus: & id ipsum, quod datur otij: libentius in philosophia consumere consueuimus: & hæc, quæ habentur in fine quarti libri. Nam & simul libenter exercemur propter amicitiam: cuius initium cognatio fecit: cætera philosophiæ ratio confirmauit: & nobis non diffidimus: propterea quod & aliquantulum proœssimus: & alia meliora sunt: quæ multo intensius petimus in uita: & etiam, si non peruenimus in dicendo: quo uolumus: parua pars uitæ perfectissimæ desyderetur. Impediri negotijs familiaribus: & uix propterea esse otium ad studendum, & siquid supereset otij: in philosophia consumere consueuisse: tum paruam uitæ perfectissimæ partem desyderari: non puero, sed uiro conueniunt: & patri familias. Adde: quod cum consueuisse dicit: quod daretur otij: in philosophia consumere: prætermisso studio eloquentiæ: diu uidetur philosophiæ dedisse operam. Præterea in ijs ipsis libris de inuentione, fecisset aliquam eorum, qui sunt ad Herennium, mentionem: cur. s. de arte rhetorica iterum scriberet: quemadmodum in libris oratorijs eorum meminit: quæ inchoata: atq; rudia sibi puero, aut adolescentulo excidisse refert. non ante igitur hos ad Herennium, quàm illos de inuentione libros composuit. Post autem si dixerint: parum diligenter uidentur eam rem consyderasse. quia si ita sit: sequeretur: politiores, & magis cultos esse hos ad Herennium: quàm illi ipsi quos de inuentione composuit: quod & doctior, & plures natus annos eos elucubrasset. Sed longe est secus. Rudes quodammodo hi uidebuntur: si ijs, quos de inuentione compositi: comparentur. Et quanquam sunt docti: tamen longissimo distant interuallo à diuina illa. M. Tullij eloquentia. immo si quis accuratius consyderauerit: plurima in his ad Herennium libris, dure, & ieiune dicta deprehendet. Adde, quod in libris de Oratore, ubi inchoatorum à se rhetoricorum meminit: & horum ad Herennium meminisset: atq; eò magis, quod perfecta, & absoluta sint:

omniaq; artis rhetoricæ præcepta contineant: ut ipse author ostendit: his uerbis, Et uiam, quam sequamur: habemus: propterea quod in his libris nihil præteritum est rhetoricæ præceptionis. Ergo ad Herennium libri, si nec ante, nec post, quàm illi de inuentione à Cicerone compositi sunt: nõ sunt Ciceronis. nam post diuinos illos Oratorios, ad Herennium libros compositos dicere: amentia est. Illud præterea non præterierim: existimandum esse Hieronymum, & Priscianum, & alios, qui aut illa ætate, aut post extiterunt: huius rei inuestigandæ minimum sategisse: sed alterum alterius indiligenter, ut solet accidere: errorem secutos. Quis autem illorum author fuerit: Grammatici certant: & adhuc sub iudice lis est.

Sunt tamen: qui authorem fuisse dicant M. Gallionem: propterea quod in libro quodam rhetoricorum ad Herennium antiquissimo, qui dicitur esse romæ in bibliotheca palatina: sic est titulus: M. Gallionis Rhetoricorum ad C. Herennium liber primus. ubi Gallionis deletum esse aiunt: ita tamen, ut legi possit: & supra Gallionis scriptum. T. cum binis utrinq; punctis: inde Ciceronis. quod si ita est: puto eum, qui deleuit: quod existimarit perperam scriptum Gallionis: decæptum cum prænomine M. S. quod idem in utroq; est titulo: tum similitudine quadam Gallionis, & Ciceronis, apposuisse pro Gallionis, T. Ciceronis. Quam quidem rem cum aut ipse uidero: aut ab alio audiuero: cui fidem habeam: tunc credam: curaboq; Gallioni librum suum, quo tot secula uel iniuria temporum, uel ignorantia scriptorum priuatus est: restituendum. cuiuscunq; tamen fuerit liber: ei fatendum est: multum Ciceronis hos, quos diximus de inuentione libros, ad ea, quæ scripserit: præcepta contulisse. Gallionem autem hunc eum crediderim, ad quem Ouidius in quarto libro de Ponto consolatoriam scripsit epistolam ob mortem uxoris. Cuius epistolæ hoc est initium.

» Gallio crimen erit uix excusabile nobis:
» Carmine te nomen non habuisse meo.

Doctum etiã illum fuisse, his eiusdẽ epistolæ ostenditur carminibus.

» Sed neq; solari prudentem stultior ausim:
» Verbaq; doctorum nota referre tibi.

HAEC habui in Naugeri. quæ sup his dicerẽ pro tempore. Habeo enim assidue plus negotij: quàm fortasse alius quisquam uel occupatissimus. Adsit Deus: qui me & his malis, & grauissimis: quibus premor molestijs: eripiat, ac uelit, ut dum amissis agris: & ipse

» hæc queror. -En quo discordia ciues

» Perduxit miſeros: en queis conſeuimus agros. aut hæc:
» -Viui peruenimus, aduena noſtri,
» Quod nunquam ueriti ſumus: ut poſſeſſor agelli,
» Diceret: hæc mea ſunt. ueteres migrate coloni:
Tu quoque diuinus poëta (es enim alter ab illo) conſolans compatrem tuum: mihi aut hæc canas:
» Fortunate ſenex, etiam tua rura manebunt:
» Et longo quoq; ſeruitio te exire licebit:
» Et cito præſenteis alibi cognoſcere diuos.
Aut tale aliquid: quod cum fuero adeptus: ſaxo, quod tot annos indefeſſus uoluo: in montis apicem tandem perducto: & collocato:
» recubans ſub tegmine fagi: & ipſe queam dicere:
» -Deus nobis hæc otia fecit.
Vale ingens deus muſarum.

Index rerum memorabilium, quæ toto opere continetur per ordinem alphabeti. notandum autem, primum numerum significare chartas. secundum, uersus.

A

Ab argumentis quomodo dicitur Cartha 8.24
absoluta constitutio 5.15
absolutæ iuridicialis constitutionis usus 9.63
absolutissima argumẽtatio 11.29
absoluta pars 45.34
absolutio quid 49.46
abusio quid 34.61
academia 93.26
acuta exclamatio quæ incommoda afferat 20.28
aculeo 189.27
accusatoris officium 35.28
actio una in dicendo nominatur 162.66
actio partitur in uocem, & gestum 177.29
actio quasi corporis quædam eloquentia 202.4
adiunctum negotio quid 51.36
admirabile genus quale 46.55
aduersum genus argumentationis 59.45
ælius sextus 101.51
ænigmata 158.26
æqui & boni ius 10.6
æschines 88.74
æschines Milesius 195.71
æschines 117.37
æschines socraticus 52.77
æschylus Gnidius 194.16
æsopus 22.59
affectio quid 50.22 84.26
A.F.P.R. 134.77
africanus 32.11
agamemnon 22.60
aglaophon pictor 145.22
albenses Vegentini 14.66
alcibiades 117.25
alexãder rex Macedonũ 31.16
ambigua cur euitatio 41. 7
ambiguorũ plura genera 118.73
amicitia quid 83.14
amphion 59.67
amphictyones 71. 5
amplificatio quid 15.38 20.42
amplitudo quid 83.13
ancæps genus quale 46.57
animi laus 18.16
annominatio quid 30.66
annominationes fiunt p literarũ commutationem 31. 2
antigonidæ dictum 181.33
antimachi dictum de Platone 181.24
antiphon Rhãnusius pro se dixit in causa capitali 168.64
antipater Sidonius uersus hexametros fundebat ex tempore 161.6
ἀντίθετα 213.8
aperta narratio quo 48.65
appius Claudius disertus 169.6
appij Cæci oratio 170. 9

apollonius Rhodius 91.26
apollonius Alabandẽsis 95.38
aphilia 180.12
approbatio quid 7.71.55.34
approbatum quid 52.46
à quæstionibus quomodo dicitur 8.8
arcesilas 149.18
argumentationis communis genus 58.78
argumentationis genus falsum 58.76
argumentationes 6.46
argumenta quid 7.45
argumentationum uitiosarũ genera 11.74
aristippus 84.32
aristoteles æmulus Isocratis 155.33
ars quid 1.44
articulus quid 30.16
à rumoribus quomodo dicitur 8.34
à sententia qũo dicitur 8.72
asiatici oratores 169.12
assumptiua constitutio 5.20
assumptiua pars 45.35
assumptio quid 55.37
assumptiua ps iuridicialis 71.22
asclepiades medicus 90.35
aspasia 52.78
à testibus quomodo dicitur 8.3
attenti auditores quomodo habentur 2.11
attici præter cæteros facẽti 128.73
athenienses 32.8
athenis primum se extulit orator 167.14
atridæ 22.57
aulus Albinus 171.18
αὔξησις 208.46
axilla 211.30

B

Barbarismus quid 27.67
beneuoli auditores quomodo fiant 2.16
beneuolentia ex quatuor locis comparatur 47.5.
bestia 135.14
byzantij facẽti 128.73
boius cursor 24.54
breuis narratio quomodo 48.47
breuitas quid 41.21.49.44

C

Caius aqlius gallus 178.32
caius Bilienus 180.35
caius Carbo 118.38.173.23.184.63
caius Cato 174.35
C.Cento 135.37
C.Cœlius 94.57.10.1
C.Cosconius 187.10
C.Curio 174.44
C.Clodius 179.45
C.Fabricius 169.36
C.Fimbria 176.19.179.59 186.18
C.Flaminius 68.33
C.Flaminius, q apud Thrasimenum interfectus est, eloquens fuit 169.48
C.Galba 176.2
C.Gorgonius 180.65
C.Gracchus 31.23.33.5. 174.45.175.69
C.Hostilius Mancinus 105.60
C.Iulius 180.42
C.Lælius 28.34.171.65

C.Licinius Nerua 176.19
C.L.Cæpasij 187. 7
C.L.Memmij 176.67
C.Lucilius 91. 7
C.Macer 186.51
C.Manianus 100.2
C.Marius 90.54
C.Memmius 187.47
C.Norbanus 116.78
C.Persius 173.46
C.Piso 186.60
C.Pompilius 5. 49
C.Popilius 173.13
C.Ruscius 188.66
C.Rusticellus 179.63
C.Sergius Aurata 99.52
C.Seruilius Glaucia 185.10
C.Sextius Caluinus 176.26
C.Sicinius 189.12.
C.Sulpitius Gallus 171.37
C.Staienus 187. 3
C.Tityus 179.48
C.Tuditanus 173.13
C. Tullij dictum de Curione 184.23
C.Velleius epicureus 150.12
C.Visellius 189.20
calamides 170.64
calcei sicyonei 105.5
callidius 65.39
callisthenes historicus 113.66
calui Iudiciũ de oratione 191.24
canachus 170.64
carneades 88.74
carneades legatus ab Atheniensib.missus Romã 122.77
carthago 212.28
carthago 32.66. 40.69
catachrisis.i.abusio 205.37
cato 113.34
catonis maioris filius 170.30
cato senior quando est mortuus 170. 5
causa 6. 62
causarum genera qnq; 46.52
causarũ genera quot 1.62.6.28
causa in oratore 43.61
causarum tria genera 1. 27
cæsar falsus 117.61
cæsaris laus 188.5
cætegus 212.28
cæpio 4.54
chares 25.74
charisius 191.57
chirilius 188.69
cimber .22.59
circuitio 34.29
clementia quid 82.70
clitarchus historicus 168.32
clitemnestra 49.38
clitomachus 88.74
Cneus Carbo 88.38
Cn.Domitius 179.32
Cn.Lentulus 186.22
Cn.Pomponius 184.68
Cn.Sicinius 184.25.
Cohortatio quid 20.53.
Κῶλα 179.19. 217.62
collatio quid 52.52. 7.16
Κόμματα 217.62
commiseratio 16.8
commoratio quid 38.27
compar quid 30.38
comparabile quid 52.49
comparatio 71.25
comparatio quid 45.49
comparationis duo modi 153.51
componere ex arte nemo po-

teſt. niſi eruditus 25.10
compoſitio quid 27.73
complexio quid 11.37. 28.38. 51.75.55.38
complexio uitioſa 15.20
commune quid 52.44. 51.26
communes loci qui 7.74
commutabile uitium exordiorum 48.6
commutatio 33.17
concæſſu quid 10.46. 45.37. 74.16
concluſio 15.24
concluſio quid 1.20. 33.64. 60.15
conduplicatio quid 33.3.
confirmatio quid 1.18. 50.12
confirmatio rationis uitioſa 13.51
conformatio quid 40.63
confutatio quid 1.19
coniecturalis cõſtitutio quæ 4.16
coniuncta cauſa 45.68
coniunctio quid 32.72
conqueſtio quid 20.53
conſecutio quid 7.62
conſecutionis duo prima genera 153.45
conſilium quid 50.57
conſtitutio 4.14
conſtitutio definitiua 44.30
cõſtitutio generalis 44.31.69.74
conſtitutio quid 44.25
conſtitutiones quot 4.10
contentio quid 20.41. 28.25. 38.34
continentia quid 82.69
continuatio quid 20.50.30.24
contrarium genus argumentationis 59.37
contrarium quid 29.70.51.42
contra argumenta quomodo dicitur 8.30
contra quæſtiones quomodo dicitur 8.14
contra rumores quomodo dicitur 8.39
contra teſtes qũo dicitur 8. 4
controuerſia ex contrarijs legibus 80.35
controuerſia ex ſcripto & ſententia 77.59.
cõtrouerſia ex rõcinatione 80.76
controuerſia generis 44.53
controuerſia nominis 44.43
controuerſia qũo ex ambiguo naſcitur 77. 6
controuerſia qũo inſcripto uerſatur 77. 3
controuerſum genus argumentationis 59.24
conſuetudinis ius. 9. 71
conuerſio quid 28.30
corax 92.48.
corax et Tiſia primi ſcripſerunt de arte 168.57
correctio qualis 32.36
corinthus 32.66.40.70
coriolanus 168.24
cornelia mater Gracchorũ 183.60
corporis laus 18.14
cotta ſubtilis 117.61
craſſus ex lateris dolore mortuus eſt 143.30
credibile 52.39
Κρινόμενον 5.72. 208.52
chryſippus 89.31
critias 117.29
critolaus 88.78

critolaus ab Athenienſibus legatus miſſus Romam 122.77
crotoniatæ in Italia floren= tiſſimi 62.22
curio 175.51
curio orator indoctus 184.31
curius 57.38

D

Decius 38.14
decius Syllanus 186.70
definitio quid 32.17
definituum genus 46.56
definitiones falſæ 14. 4
definitiones uulgares 14. 5
defenſio Socratis 105. 3
deiotarus defenſus à Bruto 166.59
deliberatio 44.66
deliberationes quales 16.38
deliberatiuum genus 1. 30. 43. 53
demadis nulla extant ſcri pta 167.71
demetrius Phalereus 117.44
demochares ſororis Demo= ſthenis filius 117.43 191. 54
democritus 89.23
demoſthenes 117.37
demoſthenes facetus 205.16
demoſthenes Platonis audi tor 198.22
demonſtratio 41. 30 44. 66
demonſtratio in oratione quid 20. 46
demonſtratiuum genus 1. 29 43.53
denominatio quid 34.11
deprecatio 5. 31
deprecatio quid 45.41 75. 29
deprecationis uſus 10.72
deſcriptio quid 36.24
dignitas in oratore quid 20.45
dignitas quid 28. 12. 83. 12
diligentiæ laus 122.22
dimnutio quid 36. 7
dinarchus 117.37
diodorus 88.78
diodorus ſtoicus 194.4
diogenes ab Atheniẽſibus le gatus miſſus Romã 122.77
dionyſius Magnes 194.55
diophanes Mithylenæus 174.4
diſcretio ex inſtitutiõe artis 19.22
diſiunctio quid 32.64
diſſolutio quid 33.52
diſperatum quid 51.44
diſpoſitionis genera duo 19.21
diſpoſitio quid 1. 38. 44. 8
diſtributio quid 20. 51. 35. 17
diuiſionis uſus in genere de= monſtratiuo 18.48
diuiſio quid 1. 55 36. 53
dociles auditores quomodo parentur 2. 9
dolus 16.62
domitius 22.58
doriphorus Polycleti 192.71
draco iubatus 39.42
druſus 35. 7
dubitatio quid 33.36

dubium genus cauſæ 1.68
duellium 111.28
dulcedo orationis 157.57
duodecim tabularum libel=
lus 101.26

E

Eetion 170.70
effictio quid 39.50
εἶρων 134. 6
193.11
elegantia quid 27.61
elocutio quid 1.39.
eloquẽs nemo ſit victoria 166.77
eloquentiæ laus 87.47
empedoclis poëma 103.46
enumeratio falſa quæ 12.41
enumerationis uſus 3. 78
enumeratio quid 15.29.
60. 17
enumeratio uitioſa quæ 58.10
epamnundas 53. 55
ἐπιδιητικὸν genus 200.31
ἐπίλογοι 15.25
ἐπιχειρήματα 6. 7
ἔποδος 1.73
ephorus 117.34
ephorus diſcipulus Iſocra=
tis 213.62
ephorus indigebat calcari=
bus 146.14
eriphyle 59.51
euentus quid 51.48
eupolis 168.5
eurotas propter Lacedæmo
nem fluit 74.37
ex ambiguo controuerſia 4.41
exclamatio quid 28.34
ex contrarijs legibus con-
trouerſia 4.34
exempla teſtimoniorum lo=
cum obtinent 24.12
exempli probatio 24.72
exemplum quid 39.28.
52.53
exemplum uitioſum 15. 8
exercitatio quid 1.46
exordium quale eſſe de-
beat 47.73
exordium quid 1. 52
46. 49
exordij uſus 17.52
exordiũ uitioſum quomodo 3. 1
exornatio quid 11.36
exornatio ſententiarum
quid 28. 15
exornatio uerborum quid 28.14
expeditio quid 33.41
explanatio quid 27.69
expolitio quid 37.21
expoſitio quæ 4. 4
expoſitio uitioſa quæ 12.10
ex ratiocinatione controuerſia 4.71
ex ſcripto & ſententia con=
trouerſia 4. 26
ex trãslatione controuerſia 4. 59

F

Fabula quid 3. 19
48. 27
facultates quid 51.35
fannij 173.42
fidentia quid 82.62
figura attenuata 26.25
figura grauis 26.22
figura mediocris 26.24
figura uocis quæ 19.72

finis oratoriæ facultatis 43.36
firmamenti usus 5.66
firmamentum quid 46.27
firmitudo uocis unde fiat 19.76
φυσικοὶ 103.45
flamen Albinus 176.65
flexanima oratio 125.50
fortitudinis causa quid facere oportet 17.16
fortitudo quid 16.72 82.58
fortuna 5. 26
fregellani 32.69
fregellæ 28.78
frequentationis usus in coniecturalibus causis 36.73
frequentatio quid 36.66
fufidius 174.65

G

Genus quid 51.46
gloria quid 83.11
gorgias 89. 7
gorgias Leontinus 43.47 93. 52
gracchus 41.19
gradatio quid 32. 4
granius 131.41 135. 9
grannon Thessaliæ urbs 141.10
gratia 70.42
gratia quid 82.44
gymnasia 110.51

H

Habitus quid 50.48
haristus 196.58
helæus Hippias 153.42
hellanicus historicus 113.33
helmius Mancia 133.55
hermagoras 43.59
hermetes 4.11
hermodorus 90.33
herodotus 113.49
hierocles alabandensis 117.47
hierocles alabandeus 195.66
hieronymus pipatheticus 215.53
historia quid 3.20. 48.30.111.76
honestæ rationis usus 17.73
honestum causæ genus 1. 64
honestum genus quale 46.54
hortensij laus 164.47
humile genus causæ 1.70
humile genus quale 46.56
hyalisis 197.35
hyperbolus athenienſis 185.15
hyperides 117.37
hypseus 98.52

I

Ideæ 197.64
imagines quid 21.24
imago quid 39.37 52. 51
imitatio 33.76
imprudentia 51.30 5. 27
imprudentia quid 74.20
impulsio quid 64.18
In Aeschine sonitus 145.35
in Africano grauitas 145.36
in Carbone profluens quidam 145.37
inconstans genus argumentationis 59.40
in Demosthene uis 145.35
indignatio quid 60.54
inductio quid 52.72

ineptus quid apud latinos 110.24
inficiatio 6. 3
infirma ratio quæ 13.3
in Galba *asperitas* 145.37
in Hyperide *acumen* 145.34
in Isocrate *suauitas* 145.34
in Lælio *lenitas* 145.36
in Lysia *subtilitas* 145.34
in risu quinque quærun=tur 130.48
insinuationis & principij discrimen 2. 67
insinuationis usus 47.32
insinuatio quid 46.65
intellectio 34.49
intelligentia quid 82. 33
intentio 6. 3
interpretatio 33.12
interrogatio qualis 29.6
Inuentio in quot partes di uiditur 1.49
inuentio quid 1. 37 44. 6
iocatio quid 20. 48
iphigenia 22.60
isocrates eloquẽtiæ pater 109.51
isocratis dictum de Theopompo *&* Ephoro 183.14
isocratis domus quasi officina dicendi fuit 167.46
isocratis laus maxima 117.31
ἡ θεινὸν 208.62
iudicatio 6.3.5.71 68.43
iudicatio quid 46.20
iudicatum 70.60
iudicatum quid 9. 74 52.41. 82.56
iudiciale genus 1. 32 43. 55
iudiciale genus unum esse non posse 44.70
iudicialis pars 45.29
iuridicialis constitutio 70.74 5. 13
iustitiæ partium usus 17. 3
iustitia quid 16. 71. 82. 35

L

Lacedæmonius *nullus orator* 169.3
ladas cursor 24.54
lælius Decimus 111. 7
latinitas quid 27.63
laudabile quid 17.40
laus rerum externarum 18.10
legis ius 4. 70
legitima constitutio quæ 4.23
lemnus 41.22
lentulus Marcellinus 187.45
lepidi orationes 192.59
leue genus argumentationis 59. 5
libanus 39.72
liber Attici *de temporibus ad* Ciceronem 166.10
licentia quid 35.37
lisippus 25.75
liuius primus fabulam docuit 171. 3
loci apud dialecticos 201.31
loci communes ex quibus præceptis sumuntur 15.39
loci in memoria quid 21.21
λογοδαίδαλοι 200.46
longum uitium exordiorũ 48.7

rum 48. 7
longus 107.62
lucilius 10. 1
Lucius Accius 10. 3
174.22
L.Aelius ſtoicus 183.20
L.Afranius 179.53
L.Apuleius Saturninus 185.7
L.Aurifex 131.45
L.Beſtia 176.11
L.Brutus 40.72
L.Brutus primus orator apud Romanos 169.20
L.Cæſidenus 176.35
L.Caſſius 173.27
L.Cœlius Antipater 173.69
219.67
L.Cotta 176.73
L.Domitius 189.49
L. & C. Aurelij Oreſtæ 173.11
L.Fuſius 99.60
184.70
L.Gellius 174. 8
180.24
Lucius Heluius Lamia 133.24
L.Lentulus 189.55
L.Lucilius Balbus 178.32
L.Lucullus 184.72
L.Mummius 173. 7
L.Octauius Reatinus 187. 1
L.Opimius 118.37
L.Opimius Gracchi interfector 176.16
L.Papyrius 179.69
L.Paulus 171.51
L.Philippus 179.45
L.Piſo 174.15
L.Quintius 185.4
L.Sabelius 176.36
L.Saturninus 4. 49
L.Torquatus 186.64
189.28
L.Turius 186.49
L.Veturius 169.53
lucullus 135.19
lycurgus 90. 3
117.37
lycurgus Lacedæmoniorum diſciplinam aſtrinxit 168.19
lyſiæ tempora 167.61
lyſias 117.29
lyſias atticus 170.20
lyſippus pictor 145.20

M

Magiſtratus officium 35.26
magnificentia quid 82.60
magnitudo uocis unde pareretur 19.74
magonis Carthaginenſis georgica 106.74
maieſtas 32.18
maieſtatem minuere 68.53
Mamercus 180.30
Marcus Aemilius Porcina 88. 38
M. Aemilius Lepidus Porcina 173. 17
M. Antiſtius Virgenſis 135.43
M. Antius Briſo 173.29
M Aquilius 181.70
M Aurelius Scaurus 176.63
M.Bibulus 189.44
M.Bucculeius 99.58
M.Calidius 190.23
M.Camuleius 194.72

M. Cincius 135.36
M. Cœlius 190.11
M. Coponius 99. 65
181. 5
M. Cornelius Cæthegus 169.55
M. Craſſus 186.11
M. Curius 49.65
105.59. 169.38. 177.51
M. Druſus 9.77
174.36
M. Duronius 134.33
M. Fuluius Flaccus 174.33
M. Gratidius 179.57
M. Herennius 179.42
M. Marcellus 176.71
M. Marcellus ædilis curulis 8976
M. Octauius 173.17
184.74
M. Pennus 174.39
M. Pinnarius 133.18
M. Piſo 186.33
M. Pontidius 187.34
M. Popilius 169.42
M. Scaurus 174.45
M. Scipio malugineſis 133. 8
M. Seruilius 133.18
M. Syllanus 176.61
M. Valerius dict. cur Maximus dictus 169.31
M. Vergilius 180.60
M. Vigellius cum Panætio uixit 150.17
mare inferum ſcopuloſum atq; infeſtum 149.34
marius Cratidianus 99.54
materia facultatis 43.42
maxilla 211.32
membrum quid 308
memoria artificioſa 21. 8
memoria duplex 21. 6
memoria naturalis 21. 7
memoria quid 1. 4
44.10. 82.32
menecles alabandenſis 117.46
menedemus 92. 3
menelaus 22.60
metellus Celer & nepos 187.43
minationes 135.47
miſericordia quomodo commouetur auditoris animus 15.73
mneſarchus 91.66
modeſtiæ partium uſus 17.25
modeſtia quid 16.73
82.71
modus quid 51.29
mollitudo humanitatis 157.56
mollitudo uocis quæ 19.77
molo legatus Romæ 194.23
mons ſacer 169.29
mors Hortenſij 185.12
motus quid 21. 9
murmur maris 157.56
mutus augur 173.66
myron 170.65
myro pictor 145.20

N

Narrationis conditiones 3. 29
narratio quid 1. 54
20.47. 48.17
narrationum genera 3. 9
narratio ueriſimilis quomodo efficiatur 3. 52
naturæ ius 9. 68

naucrates discipulus Isocratis 159. 10
213. 62
necessitudo 5. 29
negotialis constitutio 69.78
negotialis pars 45.30
nestor facundus 168.15
nœuius quando est mortuus 170. 1
nicomachus 170.70
nomen quid 50.23
nominatio 33.73
notatio quid 39. 56
numa Pompilius ante Pythagoram 122.66
numitor obsoletus 35. 7

O

Obscurum genus quale 46.59
obseruantia 70.46
occasio quid 51.16
occasio quomodo quæratur 7. 37
occupatio quid 32. 51
odor urbanitatis 157.56
odyssea latina 171. 1
offensum genus argumentationis 59.35
officium oratoriæ facultatis 43.35
opimius consul 191.69
orationis usus in figura graui 26.27
oratoris officium quale 1. 25
ordinis usus 18.53

P

Pacta quid 10.10
pactius 10. 9
pactum quid 70. 58
82. 55
palæstra 110.49
palicanus 185. 5
pammenes 196.57
panathenaicus Isocratis 220 42
panegyricus Isocratis 200.28
παρανομασίαν 132.57
par quid 70.60
82. 55
partes facere 142. 47
pars quid 51.47
partitio 49. 27
παθητικὸν 208.64
patientia quid 82.64
paucitas in partitione 49.51
paxillum 211. 32
pedes duo extremi notandi 161.1
πεθῶ 169.70
pericles 103.36
117.25
pericles Anaxagoræ discipulus 198.17
pericles Xantippi filius 168.44
περίοδος quid 217.10
permissio quid 33.28
permutatio 34.78
perseuerantia 82. 65
persius omnium latinorum doctissimus 111. 6
perspicuum genus argumentationis 59.28
pes in naui nexum quod per libram agitur 157.46
phalereus eruditissimus omnium superiorum

oratorum 167.74
Phalereus primus inflexit orationem 168.16
pherecydes historicus 113.33
phidias 115.35
philippi oratoris dictum 138. 4
philistus historicus 113.60
philo academicus 153.13
philo academiæ princeps 193.63
philo armamentarium Atheniensium fecit 90.29
philoctetæ 33.67
phormio derisus ab Annibale apud Antiochum 115.48
phrygio Pomponius 135.13
pictor 113.34
pietas 70.41
pietas quid 82.43
pisistrati ætas 168. 8
pisistratus Homeri libros disposuit 155.42
piso 113.34
platonis statua 167.1
plautus quando est mortuus 170.3
poëtæ quasi alia quadam lingua loquuntur 114.13
poëtæ nemo bonus sine inflammatione animorum 126.30
poëticæ uerba usurpanda ab oratore 157. 1
polycletus 25.75 115. 6. 170.67
polycletus pictor 145.20
polygnotus 170.68
populi officium 35.27
porticus 110.49
præcepta laudandi 140.21
præcepta uituperandi 140.70
præcisio quid 33.57
πραγματικοὶ 101.48
πρέπον 203.33
principium quid 1. 74 46. 63
probabile in causa coniecturali 6. 59
probabile quid 52.14
probabilis narratio quomodo 48.75
probationis duplex materia 119.17
prometheus 25.64
pronominatio 34. 3
pronuntiatio 19.60
pronuntiatio quid 1.42 44. 1
προοίμιον 1.73
propositio quid 11.32 55. 33
propria uerba 27.72
proprij loci qui 7. 75
protogenes 170.71
prudentia quid 16. 67 51.30. 82.30
prytaneum 105.15
publicum quid 51.24
publius Africanus 171.65
P. Antistius 185.22
P. Antronius 189.77
P. Cominius Spoletinus 186.71
P. Crassus 173.35
P. Crassus M. filius 191.12
P. Decius 174.35
P. Lentulus

P.Lentulus 174.27 176.73. 189.51
P.Magus 180.61
P.Mummius 137.14
P.Murena 186.45
P.Mutius 10. 2
P.Mutius Pont.Max. 113.27
P.Orbius 180.56
P.Popilius 173.12
P.Rutilius 174.45
P.Rutilius Rufus 104.42 172.12
P.Sextius 180.67
P. Scipio Naſica Corculum 171.44
P.Sulpitius 5. 24
pulcer 212.28
purgatio 5. 24
purgatio quid 10. 48 45.39. 74.18

Q

Quæſtio in oratore 43.64
quæſtio quid 46.11
quintus Aelius Tubero 175.13
q.Arrius 187.13
q.Cæpio 176.66 184.78
q.Catulus 176.41
q.Fabius Labeo 171.61
q.Granius 180. 3
q.Lucretius Viſpillo 180.50
q.Maximus 169.51
q.Metellus 169.52 171. 61
q.Metellus Numidicus 176.61
q.Mutius 175.5
q.Pompeius 173.25
q.Pompeius bithynicus 186.72
q.Rubrius Varro 179.54
q.Sertorius 180.65
q.Val.Soranus togatorum literatiſſimus 146.71
q.Varius 94.59 184.66

R

Ratiocinatio quid 29.12 53.73. 64.23
Ratio honeſta 17.56
ratio infirma quæ 12.68
rationis confirmatio quid 11.34
ratio quid 5. 58 11. 33
ratio tuta 17.55
ratio uana quæ 12.77
ratio uitioſa quæ 12.66
rectum 17.44
rectum quid 16.66
relatio criminis 72. 17
relatio criminis quid 45.47
religio 70.40
religioſum 52.43
remotio criminis 73.19
remotio criminis quid 45.43
remotum genus argumentationis 59.10
repetitio breuis omnium quæ in libro ad Herennium dicta ſunt 41.13
repetitio quid 28.17
reprehenſio quid 57. 5
rex nullus captiuus interficiebatur 29.32
rhetor, ideſt, eloquens 202.46
ῥυθμὸς 203. 6
rdodij facti 128.73
roſcius 95.27

roſcius comœdus 130.36
ruſca 133.17

S

Sannio 39.65
ſapiens 37.42
ſapientis eſt, nullum pro Rep uitare 37.73
ſariſſæ 34.16
ſaturninus 41.18 31.25
ſœptius Metrodorus 141.73
ſcipio 28.20
ſcopas 141.10
ſedes 110.49
ſenatus officium 35.26
ſententia quid 29.4
ſeparatum uitium exordiorum 48.8
ſeptumuleius Anagninus 133.78
ſermocinatio quid 37.38 40.31
ſermo quid 20.40
ſeruius Fuluius 171.59 175.53
ſeruius Galba 88.37 173.38
ſeruius Sulpitius 178.4
ſextus Iulius 9.78
ſextus Pompeius philoſophus 90.61
ſextus Tityus 113.44 185.17
ſex. Tityus ſeditioſus ciuis & turbulentus 113.1
ſiculi facti 128.72
ſignificatio quid 40.78
ſignum quid 7.23
ſimle quid 51.41
ſimile uitioſum 15.6
ſimiliter cadens quid 30.50
ſimiliter deſinens quid 30.56
ſimilitudines rerum quomodo conſtituantur 22.37
ſimilitudines uerborum quomodo conſtituantur 22.38
ſimilitudo quid 38.41
ſimonides primus artem memoriæ protulit 141.9
ſimplex cauſa 45.67
ſimplicis concluſionis reprehenſio 58.26
ſingulare quid 51.27
ſiſenna 188.65
ſocratis inſtitutum 53.25
ſocratis laus ampliſſima 148.33
ſolœciſmus quid 27.66
ſolon 90.3
ſolonis ætas 168.8
ſoſia 39.72
ſpatij conſideratio 7.34
ſpes perficiendi 7.39
ſpeuſippus Platonis ſororis filius 149.15
ſpurius Albinus 173.10
ſp. Mummius 173.7
ſp. Torius 176.69
ſtaſeas peripatheticus 93.64
ſtratocles hiſtoricus 168.32
ſtudium quid 50.54
ſtylus 97.27
ſuauiloquentia 169.61
ſubiectio quid 31.43
ſulpitius 14.73
ſuperlatio 34.41
ſuſpicio ex facto 66.51

ſiſpicio ex negotio 66.54
χρήματα 170.57. 177.27. 190.37. 204.52. 214.72
ſyri uenales 133.52

T

Tarpeius mons 34.13
tauriſcus actor 163.71
taxilla 211.32
temperantia quid 82.66
tempus quid 51. 1
tempus quomodo quæratur 7.32
teſtimonij probatio 24.72
teſtis officium 35.30
teucer Pacuuij 106.55
tharſus 41.23
thebanus nullus orator 169.2
themiſtoclis facetum dictum in quẽdam ei artem memoriæ uendere uolentem 136.50
themiſtoclis mores 167.22
theodectes diſcipulus Ariſtotelis 213.67
theopompus 117.34. 170.42
theopompus indigebat frenis 146.15
theramenes 117.29
theſis 201.28 208.45
thraſimachus inuentor numerorum 214.14
thucydides 113.52. 117.26
thyſias 92.48
timæus 170.22
timans 170.69
titus Accius piſaurenſis 189.72
T. Albutius 173.67. 176.38
T. Annius Velina 180.52
T. Aufidius 180.58
T. Betutius Barrus 179.65
T. Coruncanus 169.37
T. Flaminius 174.43
T. Gracchus 171.42. 173.23
T. Iunius 180.67
T. Iuuentius 180.53
T. Libo tribunus plebis 172.51
T. Poſthumius 189.59
T. Tinca 180.2
T. Torquatus Molonis diſcipulus 187.29
tityus Brulla 151.21
tralatio uerecunda eſſe debet. 158.12
tranſgreſſio 34.33
tranſitio qualis 32.30
translatio 34.66
translatio criminis quid 10.32
translatiua conſtitutio 45.51
trãslatum uitiũ exordiorũ 48.10
tres uiri epulones 149.58
tria debent effici dicendo 181.18
tria genera dicendi 198.48
triarius 189.33
triptolemus 25.63
triumpus 212.28
τρόποι 170.56
turpe genus argumentationis 59.32
turpe genus cauſæ 1. 67
tutæ rationis uſus 17.69
tuta utilitas 16.57

V

Valerius Soranus 179.62
uargula 131.40
uarro 183.24
uegentini 14. 67
uerborum propriorum delectus habendus 156.65
ueritas 70.48
ueritas quid 82.49
uersus in epulis canebătur 161.35
uexillum 211.32
uindicatio 70.44
uindicatio quid 82.45
uiriati bellum 172.6
uis quomodo secernitur 16.60
uitium commune exordiorum 48. 5
ulysses facundus 168.14
uolscorum bellum 168.24
usitata uerba 27.71
utilitas 17.54
utilitas duplex in ciuili consultatione 16.56
utilitatis diuisio 17.55
uulgare uitium exordiorũ 48. 3

X

χαρακτὴρ 200.13
xenocles Adramitenus 194.55
xenophon 52.77
xenophon socraticus 113.66

Z

Zethus Pacuuianus 123.1
Zetus 14.42
Zeusis 62. 26. 170.68
Zeusis pictor 145.22

FINIS.

Illud hic subiungere libuit: considerandum diligentius: utrum in epistola ad Leptam, cum scripsit Cicero, Oratorem meum tantopere à te probari, uehementer gaudeo. &c. id dixerit de libris oratorijs ad Quintum fratrem, an de eo libro: quem ad Brutum scripsit: qui quæsiuerat: quod nam eloquentiæ genus Cicero probaret maxime, & quale ei uideretur illud, cui nihil addi posset: quod summum, & perfectissimum iudicaret. cui libro Oratori inditum est nomen. Idq; quoniam in præfatione nostra ad Naugerium, de tribus illis de Oratore libris, dixisse Ciceronem scripsimus: cum potius de eo ipso libro ad Brutum illud dixisse uideatur.

RHETORICORVM AD C. HERENNIVM LIBER PRIMVS.

TSI Negotijs familiaribus impediti, uix satis otium studio suppeditare possumus, & id ipsum, quod datur otij, libentius in philosophia consumere consueuimus, tamen tua nos Cai Herenni uoluntas commouit, ut de ratione dicendi conscribe remus, ne aut tua causa noluisse, aut fugisse nos laborē putares, & eo studiosius hoc negotium suscepimus, quod te nō sine causa uelle cognoscere rhetoricā intelligebamus. non enim parū habet in se fructus copia dicendi, & commoditas orationis, si recta intelligentia, & definita moderatione animi gubernetur. Quas ob res, illa, quæ græci scriptores inanis arrogantiæ causa sibi assumpserunt, reliquimus. nam illi, ne parum multa scisse uiderentur, ea conquisiuerūt, quæ nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur. nos autem ea, quæ uidebantur ad rationem dicendi pertinere, sumpsimus. non enim spe quæstus, aut gloria commoti uenimus ad scribē dum, quemadmodum cæteri, sed, ut industria nostra tuæ morē geramus uoluntati. Nunc, ne nimiū longa sumatur oratio, de re dicere incipiemus, sed, si te unum illud monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multum iuuare, ut intelligas hanc rationem præceptionis accommodari ad exercitationem oportere.

RATORIS officium, est de his rebus posse dicere, quæ res ad usum ciuilem moribus, ac legibus constitutæ sunt, cum assensione auditorum, quoad eius fieri poterit. Tria sunt genera causarum, quæ recipere debet orator, demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale. Demonstratiuum, est, quod tribuitur in alicuius certæ personæ laudem, uel uituperationem. Deliberatiuum, est quod in consultatione positum, habet in se suasionem, et dissuasionem. Iudiciale, est, quod positum in controuersia, habet accusationem, aut petitionem cum defensione. Nunc quas res oratorē habere oporteat, docebimus, deinde, quomodo has causas tractari cōueniat, ostendemus. Oportet igitur in oratore esse inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, & pronuntiationem.

Inuentio, est excogitatio rerum uerarum, aut uerisimilium, quæ causam probabilem reddāt. Dispositio, est ordo, & distributio rerum, quæ demonstrat, quid quibus in locis sit collocandum. Elo-

cutio, est idoneorum uerborũ, & sententiarum ad inuentionem accommodatio. Memoria, est firma animi rerum, & uerborum dispositionis perceptio. Pronuntiatio, est uocis, & uultus, & gestus moderatio cum uenustate. Hæc omnia tribus modis assequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione. Ars, est præceptio, quæ dat certam uiam, rationemq; dicendi. Imitatio, est, qua impellimur cum diligenti ratiõe, ut aliquorũ simules i dicẽdo uelimus esse. Exercitatio, est assiduus usus, cõsuetudoq; dicẽdi. Quoniã igitur demõstratũ est, quas causas oratorẽ recipere, quasq; res habere cõueniret, nũc, quẽadmodũ ad orationẽ possint oratoris officia accõmodari, dicendũ uidetur.

INVENTIO in sex partes orationis cõsumitur, exordiũ, narrationem, diuisionem, confirmationem, confutationẽ, cõclusionem. Exordium, est principiũ orationis, per quod animus auditoris, ueliudicis constituitur, uel apparatur ad audiendum. Narratio, est rerum gestarum, aut perinde ut gestarum expositio. Diuisio, est, per quam aperimus, quid conueniat, & quid in controuersia sit, & per quam exponimus, quibus de rebus simus dicturi. Confirmatio, est nostrorũ argumentorũ expositio cum asseueratiõe. Confutatio, est contrariorum locorum dissolutio. Conclusio, est artificiosus terminus orationis. Nunc, quoniã una cum oratoris officijs, quo res cognitu facilior esset, producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur, et eas ad inuentionis rationẽ accommodaremus, de exordio primũ dicendũ uidetur. CAVSA posita, quo commodius exordiri possimus, genus causæ est consyderandum. Genera causarũ sunt. IIII. honestum, turpe, dubiũ, humile. Honestum causæ genus putatur, cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum uidetur, aut id oppugnamus, quod ab omnibus uidetur oppugnari debere, ut prouiro forti contra pariadam. Turpe genus causæ intelligitur, cum aut honesta res oppugnatur, aut defenditur turpis. Dubium genus est, cum habet in se causa & honestatis, & turpitudinis partem. Humile genus est, cum cõtempta res affertur. Cum hæc ita sint, conueniet exordiorũ rationem ad omne genus causæ accommodari. Exordiorum duo sunt genera, principium, quod græce προοίμιον appellatur, & insinuatio, quæ ἐπῳδὸς nominatur.

Principium est, cum statim auditoris animum nobis idoneũ reddimus ad audiendum. Idita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut beneuolos auditores habere possimus. si genus causæ dubiũ habebimus, a beneuolentia principium cõstituemus, neq; illa turpitudinis pars nobis obesse possit. sin humile genus erit causæ, faciemus attentos. Sin

turpe

turpe cãuſæ genus erit, inſinuatiõe utemur, de qua poſterius dicemus, niſi quid nacti fuerimus, quare aduerſarios criminando beneuolentiam cãptare poſſimus. Sin honeſtum cãuſæ genus erit, licebit recte uel uti, uel non uti principio. Si uti uolemus, aut id oportebit oſtendere, quare cãuſa ſit honeſta, aut breuiter q̃bus de rebus ſimus dicturi, exponere. Si principio uti nolemus, aˋ lege, aˋ ſcriptura, aut ab aliquo firmiſſimo noſtræ cãuſæ adiumento principiũ cãpere oportebit. Quoniã igitur docilẽ, beneuolum, attentum habere auditorẽ uolumus, quo modo quidq; confici poſſit, aperiemus. Dociles auditores habere poterimus, ſi ſummam cãuſæ breuiter exponemus, & ſi attentos eos faciemus. nã docilis eſt is, q̃ attente uult audire. Attentos habebimus, ſi pollicebimur, nos de rebus magnis, nouis, inuſitatis uerba facturos, aut de ijs rebus, quæ ad remp. pertineant, aut ad eos ipſos, q̃ audient, aut ad deorũ immortaliũ religionem. & ſi rogabimus, ut attente audiant, et ſi numero exponemus res, quibus de rebus dicturi ſumus. Beneuolos auditores facere quatuor modis poſſumus. aˋ noſtra, ab aduerſariorũ, ab auditorum perſona, & aˋ rebus ipſis. Aˋ noſtra p̃ſona beneuolentiam cõtrahemus, ſi noſtrum officium ſine arrogantia laudabimus, aut in remp. quales fuerimus, aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipſos, qui audiunt, aliq̃d referemus, dummodo hæc omnia ad eam ipſam rẽ, de qua agitur, ſint accommodata. Item ſi noſtra incõmmoda proferemus, inopiam, ſolitudinem, cãlamitatem, & ſi orabimus, ut nobis ſint auxilio, et ſimul oſtẽdemus, nos in alijs ſpem noluiſſe habere. Ab aduerſariorũ perſona beneuolentia cãptabitur, ſi eos in odium, in inuidiam, in contemptionem adducemus. In odium rapiemus, ſiquid eorũ ſpurce, ſuperbe, perfidioſe, crudeliter, cõfidenter, malitioſe, flagitioſe factum proferemus. In inuidiam trahemus, ſi uim, ſi potentiam, factionem, diuitias, incõtinentiam, nobilitatem, clientelas, hoſpitiũ, ſodalitatem, affinitates aduerſariorum proferemus, et his adiumentis magis, quàm ueritati eos confidere aperiemus. In cõtemptionem adducemus, ſi inertiam, ignauiam, deſidiam, luxuriam aduerſariorum proferemus. Ab auditorum perſona beneuolentia colligetur, ſi res eorum fortiter, ſapienter, manſuete, magnificẽ iudicatas proferemus, & ſi, quæ de his exiſtimatio, quæ iudicij expectatio ſit, aperiemus.

Aˋ rebus ipſis beneuolum efficiemus auditorem, ſi noſtram cãuſam laudando extollemus, aduerſariorum per contemptionem deprimemus. Deinceps de inſinuatione aperiendũ eſt. TRIA ſunt tẽpora, q̃bus principio uti non poſſumus, quæ diligenter ſunt conſy-

deranda,aut cum turpem causam habemus,hoc est,cum ipsa res animum auditoris a' nobis alienat,aut cum animus auditoris persuasus esse uidetur ab ijs,qui ante contra dixerunt, aut cum defessus est eos audiendo,qui ante dixerunt. Si causa turpitudinẽ habebit,exordiri poterimus his rationibus,rem,non hominem,aut hominem,nó rem spectari oportere,non placere nobis ipsis quæ facta dicantur ab aduersarijs,& esse indigna,aut nefaria. Deinde,cum diu rem auxerimus,nihil simile a' nobis factum ostendemus, aut aliquorũ iudicium de simili causa,aut de eadem,aut de minore,aut de maiore proferemus. Deinde ad nostram causam pedetentim accedemus, et similitudinem conferemus. Item,si negabimus nos de aduersarijs,aut de aliqua re dicturos, et tamen occulte dicemus,interiectione uerborum. Si persuasus auditor fuerit,idest, si oratio aduersariorũ auditoribus fidem fecerit(neq; enim non facile scire poterimus,quoniã non sumus nescij,quibus rebus fides fieri soleat). Ergo si fidẽ factam putabimus,his rebus nos insinuabimus ad causam, si de eo,qđ aduersarij firmissimum sibi adiumentum putauerint,primũ nos dicturos pollicebimur,aut ab aduersarij dicto exordiemur, & ab eo maxime,quod ille nuperrime dixerit,aut dubitatione utemur,quid potissimum dicamus,aut cui loco primum respondeamus cum admiratione. Si defessi erunt audiendo,ab aliqua re, quæ risum mouere possit,exordiemur,ab apologo,a' fabula ueri simili,imitatione,deprauatione,inuersione,abiectione,ambiguo,suspicione,irrisione,stultitia, exuperatione,collatione,literarum mutatione , præterea expectatione,similitudine,nouitate,historia,uersu,aut ab alicuius interpellatione,aut arrisione,et si promiserimus aliter ac parati fuerimus,nos esse dicturos,nos non eodẽ modo,ut cæteri soleant,uerba facturos, quid alij soleant,qd nos facturi sumus,breuiter exponemus. Inter insinuationem,& principium hoc interest,quod principium huiusmodi debet esse,ut statim apertis rationibus,qbus præscripsimus,aut beneuolum,aut attentum,aut docilẽ faciamus auditorem. at insinuatio eiusmodi debet esse, ut oculte per dissimulationem eadem illa omnia cõficiamus,ut ad eandem commoditatẽ in dicendi opere uenire possimus. Verum hæ tres utilitates,tameti in tota oratione sunt comparandæ,hoc est,ut auditores sese perpetuo nobis attentos,dociles, beneuolos præbeant,tamen id per exordium causæ maxime comparandum est. Nunc,nequando uitioso exordio utamur , quæ uitia uitanda sunt,docebo. In exordienda causa seruandum est,ut lenis sit sermo,& usitata uerborum consuetudo,ut non apparata ora-

tio

tio uideatur esse. VITIOSVM exordiū est, qđ in plureꝰ causas potest accōmodari, quod uulgare dicitur. Item uitiosum est, quo nihilo minus aduersarius potest uti, quod commune appellatur. Itē illud, quo aduersarius poterit uti ex contrario. Itē uitiosum est, qđ nimiū apparatis uerbis compositum est, aut nimis longum est, & qđ non ex ipsa causa natum uideatur, ut proprie cohæreat cum narratione, & quod neq; beneuolum, neq; docilē, neq; attentum facit auditorē.

De exordio satis dictum est. Deinceps ad narrationē transeamus.

ARRAtionum tria sunt genera. Vnū, quo exponimus rē gestam, & unūquodq; trahimus ad utilitatē nostrā uincēdi causa, qđ ptinet ad eas causas, de qbus iudiciū futurū est.

Alterum genus est narrationis, quod intercurrit nonnunquā, aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut alicuius apparationis, uel laudationis causa. Tertiū genus est id, quod à causa ciuili remotum est, in quo tamen exerceri conuenit, quo commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus. Eius narrationis duo sunt genera, unum, quod in negotijs, alterum, quod in personis positū est. Id, quod in negotiorum expositione positum est, treꝰ habet partes, fabulam, historiam, argumentum. Fabula est, quæ neq; ueras, neq; uerisimles cōtinet res, ut eæ, quæ tragœdijs traditæ sunt. Historia, est gesta res, sed ab ætatis nostræ memoria remota. Argumentum, est ficta res, quæ tamen fieri potuit, uelut argumēta cōmœdiarū. Illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festiuitatem, animorū dissimilitudinem, grauitatē, lenitatē, spem, metum, suspicionem, desyderium, dissimulationem, miseriœrdiam, rerum uarietates, fortunæ commutationem, insperatum incommodum, subitam lætitiam, iucundum exitum rerum. uerum hoc in exercēdo transigetur. Illud, quod ad ueritatem pertinet, quomodo tractari cō ueniat, aperiemus. Treꝰ conuenit res habere, narrationem, ut breuis, ut dilucida, ut uerisimlis sit, quæ quoniam fieri oportere scimus, quemadmodū faciamus, cognoscendum est. Rem breuiter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare, unde necesse erit, & si nō ab ultimo initio repetere uolemus, & si summatim, nō particulatim narrabimus, & si nō ad extremū, sed usq; eò, quò opus erit, prosequemur, & si transitionibus nullis utemur, & si nō deerrabimus ab eo, qđ cœperimus exponere, & si exitus rerū ita exponemus, ut ante quoq; quæ facta sunt, sciri possint, tametsi nos reticuerimus. qđ genus, si dicā, me ex prouincia rediisse, profectum quoq; in prouinciā intelligatur, & omnino nō modo id, quod obest, sed etiā id, quod neq;

obeſt,neq; adiuuat,ſatius eſt præterire,& ne bis, aut ſæpius idẽ di camus,cauendum eſt,etiam ne id,qđ ſemel ſupra diximus, deiceps dicamus,hoc modo. Athenis Megarã uesperi aduenit Simo,ubi aduenit Megaram,inſidias fecit uirgini,inſidias poſtquã fecit, uim in loco attulit. Rem dilucide narrabimus, ſi ut quicq; primum geſtũ erit,ita primum exponemus,& rerum,ac temporum ordinem conſeruabimus,ut geſtæ res erunt,aut ut potuiſſe geri uidebuntur. Hic erit conſyderandum,nequit perturbate,nequid contorte,nequit ambigue,nequid noue dicamus,nequam in aliam rem tranſeamus,ne ab ultimo repetamus,ne longe proſequamur,nequid,quod ad rem ptinet,prætereamus. & ſi perſequemur ea,quæ de breuitate præcepta ſunt.nã quo breuior,eo dilucidior, & cognitu facilior narratio fiet.

Veriſimilis narratio erit,ſi,ut mos,ut opinio,ut natura poſtulat dicemus,ſi ſpatia temporum, perſonarum dignitates,conſiliorũ rationes,locorum opportunitates conſtabunt,ne refelli poſſit,aut temporis parum fuiſſe,aut cauſam nullam,aut locum idoneum non fuiſſe,aut homines ipſos facere,aut pati non potuiſſe. Si uera res erit,nihilominus hæc omnia narrãdo conſeruanda ſunt.nam ſæpe ueritas, niſi hæc ſeruata ſint,fidem non poteſt facere. Sin erunt ficta,eo magis erũt conſeruanda. De his rebus caute conſligendum eſt, quibus in rebus tabulæ, aut alicuius firma authoritas uidebitur interfuiſſe.

Adhuc quæ dicta ſunt,abitror mihi conſtare cum cæteris artis ſcriptoribus,niſi quia de inſinuatione noua excogitauimus,quod eã ſoli præter cæteros in tria tempora diuiſimus,ut planè certam uiã, & perſpicuam rationem exordiorum haberemus. Nunc,quod reliquum eſt,quoniam de rerum inuentione diſputandũ eſt,in qua ſingulare conſumitur oratoris officium,dabimus operam, ut nihilominus induſtrie, quàm rei utilitas poſtulabit,quæſiſſe uideamur,ſi prius pauca de cauſarum diuiſione dixerimus.

c AVSARVM diuiſio in duas partes diſtributa eſt. Primũ,perorata narratione debemus aperire,quid nobis conueniat cum aduerſarijs,ſi ea,quæ nobis utilia erunt,cõuenient,quid in controuerſia relinquatur,hoc modo. Interfectam eſſe ab Oreſte matrem conuenit mihi cum aduerſarijs,iure fecerit,& licuerit'ne facere,id eſt in controuerſia. Itẽ è contrario. Agamemnonem eſſe à Clytemneſtra occiſum confitentur. cũ id ita ſit, me ulciſci parentem negant oportuiſſe. Deinde, cum hoc fecerimus,diſtributione debemus uti. Ea diuiditur in duas partes,enumerationem,& expoſitionem. Enumeratione utemur,cum dicemus numero,quot de

rebus

rebus dicturi sumus. eā plusq̄ trium partium numero esse non oportet. nā & periculosum est, nequando plus, minus'ue dicamus, & suspicionē afferet auditori meditatiōis, et artificij, quæ res fidē abrogat orationi. Expositio est, cū res, q̄bus de rebus dicturi sumus, exponimus breuiter, et absolute. Nunc ad cōfirmationem transeamus.

TOTA spes uincendi, ratioq̄; p̄suadendi posita est in confirmatione, & confutatione. Nā, cum adiumēta nostra exposuerimus, contrariaq̄; dissoluerimus, absolute nimirū munus oratoriū confecerimus. Vtrunq; igitur facere poterimus, si constitutionem cāusæ cognouerimus. Cāusarū cōstitutiones alij quatuor fecerunt, noster doctor Hermetes treis putauit esse, non ut de illorū quicquam detraheret inuentione, sed ut ostenderet id, quod oportuisset, simpliciter, & singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter, & bipartito. Constitutio est prima deprecatio defensoris cū accusatoris insimulatione coniuncta. Constitutiones itaq̄; ut diximus, tres sunt, Coniecturalis, Legitima, Iuridicialis. Coniecturalis, est, cum de facto controuersia est, hoc modo. Aiax in sylua, postquam rescisset, quæ fecisset per insaniam, gladio incubuit. Vlysses interuenit. occisum conspicatur. e' corpore cruentum telum educit. Teucer interuenit, cū fratrem occisum, & inimicum fratris cū gladio cruento uidet, capitis arcessit. Hic, quoniam coniectura uerum quæritur, de facto erit controuersia, et ex eo constitutio cāusæ coniecturalis nominatur.

Legitima constitutio, est, cum in scripto, aut ex scriptis aliqd controuersiæ nascatur. Ea diuiditur in parteis sex, scriptum, & sentētiā, contrarias leges, ambiguum, definitionem, translationem, ratiocinationem. Ex scripto, & sententia nascitur controuersia, cū uidetur scriptoris uoluntas cum scripto ipso dissentire, hoc modo. Si lex sit, quæ iubeat eos, q̄ propter tempestatem nauim reliquerint, omnia p̄dere, eorum nauim, cæteraq̄; esse, si nauis conseruata sit, q̄ remanserunt in naui. magnitudine tēpestatis omnes perterriti, nauim reliquerunt, et in scapham conscenderunt, præter unū ægrotum, is propter morbū exire, et fugere non potuit, casu, et fortuitu nauis in portum incolumis delata est, illam ægrotus possidet, nauim petit ille, cuius fuerat. Hæc constitutio legitima est ex scripto, et sententia. Ex contrarijs legibus controuersia constat, cū alia lex iubet, aut p̄mittit, alia uetat q̄dpiā fieri, hoc modo. Lex uetat eum, q̄ de pecunijs repetundis dānatus sit, in concione orationē habere. Altera lex iubet, augurē, indemortui locum q̄ petat, in concione nominare. Augur q̄dā dānatus, de pecunijs repetundis, indemortui locum q̄ petat nomina-

uit. petitur ab eo multa. Constitutio hæc est legitima ex contrarijs legibus. Ex ambiguo controuersia nascitur, cũ scriptum duas, aut plureis res significat, hoc modo. Paterfamilias, cum filium hæredẽ facæret, testamẽto uasa argentea uxori legauit. Tullius hæres meus Terentiæ uxori meæ. xxx. pondo uasorum argenteorum dato, quæ uolet. Post mortem eius uasa pretiosa, & cælata magnificæ, illa petit, Tullius se quæ uelit ipse. xxx. pondo ei debere dicit. Constitutio est legitima ex ambiguo. Ex definitione causa constat, cum in cõtrouersia est, quo nomine factum appelletur, ea est huiusmodi.

Cum Lucius Saturninus legem frumentariam de semissibus, & trientibus laturus esset, Cepio, qui per id temporis quæstor urbanus erat, docuit senatum, ærarium non posse pati largitionem tantã. Senatus decreuit, si eam legem ad populũ ferat, aduersus remp. uideri eum facere. Saturninus ferre cœpit, collegæ interœdere, ille nihilo minus astellam detulit. Cepio, ut illum contra senatusconsultum interœdentibus collegis aduersus remp. uidit ferre, cũ uiris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas deijcit, impedimento est, quo' secius feratur lex, accersitur Cepio maiestatis. Constitutio est legitima ex definitione. uocabulũ enim definitur ipsum, cum quæritur, quid sit minuere maiestatẽ. Ex trãslatione controuersia nascitur, cum aut tempus differendũ, aut accusatorem mutandum, aut iudices mutandos reus dicat. Hac parte consitutionis græci in iudicijs, nos in iure ciuili plerunq; utimur. In hac parte nos iuris ciuilis scientia iuuabit. In iudicijs tamen non nihil ea utimur, ut hoc modo. Si qs peculatus accusatur, quod uasa argentea publica de loco priuato dicatur sustulisse, possit dicere, cum definitione sit usus, quid sit furtum, quid peculatus, secum furti agi, non peculatus oportere. Hæc partitio legitimæ constitutionis his de causis raro uenit in iudicium, quod in priuata actione prætoriæ exceptiones fiunt, & causa cadit is, qui non quemadmodum oportet, egerit, & in publicis quæstionibus cauetur legibus, ut ante si reo commodum sit, iudiciũ de accusatore fiat, utrum illi liceat accusare nec ne. Ex ratiocinatione controuersia constat, cum res sine propria lege uenit in iudicium, quæ tamen ab alijs legibus similitudinem quandam aucupatur. Ea est huiusmodi.

Lex est. Si furiosus existet, agnatorum, gentiliumq;, in eo, pecuniaq; eius, potestas esto, & Lex. Qui parentem necasse iudicatus erit, is obuolutus, & obligatus corio, deijciatur in profluentem. & Lex. Paterfamilias, uti super familia, pecunia'ue sua legauerit, ita ius esto, & Lex. Si paterfamilias intestato moritur, familia,

pecuniaq;

pecuniáq; eius agnatorum,gentiliumq; esto. Malleolus iudicatus est matrem necasse,ci damnato statim folliculo lupino os obuolutum est,& soleæ ligneæ pedibus inductæ sunt,& in carcerem ductus est. Qui defendebant eum,tabulas in carcerem afferunt,testamentum ipso præsente conscribunt,testes rite affuerunt,de illo supplicium paulo post sumitur. Ii,qui hæredes erant,testamento hæreditatem adeunt. Frater minor Malleoli,q eũ oppugnauerat,in eius periculo,suam uocat hæreditatem lege agnationis. Hic certa lex in rem nulla affertur, & tamen multæ afferuntur, e' quibus ratiocinatio nascitur,quare potuerit,aut non potuerit iure testamentum facere. Constitutio legitima est ex ratiocinatione. Cuiusmodi partes essent legitimæ constitutionis,ostendimus,nunc de iuridiciali constitutione dicamus. IVRIDIcialis constitutio est,cum factum conuenit,sed iure,an iniuria factum sit,quæritur. Eius constitutionis partes sunt duæ, quarum una absoluta,altera assumptiua nominatur.

Absoluta est,cum id ipsum,quod factum est,ut aliud nihil foris assumatur,recte factum esse dicimus. ea est huiusmodi. Mimus qdã nominatim Actium poëtam compellauit in scena, cũ eo Actius iniuriarũ agit. hic nihil aliud defendit,nisi licere nominari eum, cuius nomine scripta dentur agenda. Assumptiua pars est,cũ p se defensio infirma est,sed assumpta ex extranea re,cóprobatur. Assumptiuæ partes sunt quatuor,concessio,remotio criminis,translatio criminis,cóparatio. Concessio,est,cum reus postulat sibi ignosci. ea diuiditur in purgationẽ,& deprecationẽ. Purgatio,est,cum consulto se negat reus fecisse. Ea diuiditur in fortunam, imprudentiã,necessitatem. Fortunam,ut Cepio ad tribunos plebe de amissione exercitus. Imprudentiã,ut ille,q de co seruo,qui dominum occiderat,supplicium sumpsit,cui frater esset,antequã tabulas testamenti aperuerit,cum is seruus manumissus testamento esset. Necessitudinẽ,ut ille, qui ad diem commeatus non uenit,quod eum aquæ intercluserint.

Deprecatio,est,cum et peccasse,& consulto fecisse confitetur, & tamen postulat,ut sui misereãtur. Hoc,in iudicio non potest fere' usu uenire,nisi quando pro eo dicimus,cuius multa recte facta esse cõstãt. Hoc modo,in loco cõmuni p amplificationem inijciemus,quod,si hoc fecisset,tamen ei pro pristinis beneficijs ignosci conueniret,ucrũ nihil postulat ignosci. Ergo in iudiciũ non uenit,at in senatum, aut ante Imperatorem,& in concilĩ talis causa potest uenire. Ex trãslatione criminis causa constat,cum fecisse nos non negamus,sed aliorũ peccatis coactos fecisse dicimus, ut Oreste,cum se defendit, in ma-

trem cõfert crimen. Ex remotione crimnis cãusa cõstat, cũ à nobis non crimen, sed culpã ipsam amouemus, et uel in homnem trãsferimus, uel in rẽ quampiam conferimus. In homnem transfertur, ut si accusetur is, qui Publium Sulpitium se fatetur occidisse, & id iussu cõsulũ defendat, & eos dicat non modo imperasse, sed rationem quoq; ostendisse, quare id facere licæret. In rem cõfertur, ut siqs ex testamento, quod facere iussus sit, ex plebiscito uetetur. Ex cõparatione crimnis cãusa cõstat, cum dicimus necesse fuisse alterutrum facere, & id, quod fecerimus, satius fuisse facere. Ea cãusa huiusmodi est. Caius Pópilius, cum à Gallis obsideretur, neq; effugere ullo modo posset, uenit cum hostiũ ducibus in collocutionem, ita discessit, ut impedimenta relinqueret, exercitum educeret, satius esse duxit amittere impedimẽta, quàm exercitum. exercitum eduxit, impedimenta reliquit, accersitur maiestatis. Quæ constitutiones, & quæ constitutionum partes sint, satis uideor ostendisse. Nũc quomodo eas, et qua uia tractari conueniat, demonstrandum est, si prius aperuerimus, quid oporteat ab ambobus in cãusa destinari, quo ratio omnis totius orationis conferatur. Constitutione igitur reperta, statim quærenda est ratio. Ratio est, quæ cãusam facit, & continet defensionem, hoc modo, ut docendi cãusa in hac potissimum consistamus. Orestes, cũ cófiteatur se occidisse matrem, nisi attulerit facti rationem, peruertit defensionem, ergo affert eam, quæ nisi intercæderet, ne cãusa quidem esset. illa enim, inquit, patrem meum occiderat. Ergo, ut ostendi, ratio ea est, quæ continet defensionem, sine qua nec parua quidem dubitatio potest remorari damnationẽ. Inuenta ratione, firmamentum quærendũ est. id est, quod accusationem continet, quod affertur contra rationẽ defensionis, de qua ante dictum est. Id constituetur hoc modo. Cum usus fuerit Orestes ratione, hoc pacto, iure occidi. illa enim patrem meum occiderat, utetur accusator firmamento, hoc modo. Sed nó abs te tamen occidi, neq; indemnatam pœnas pendere oportuit. Ex ratione defensionis, & ex firmamento accusationis, iudicij quæstio nascãtur, oportet, quam nos iudicationem, græci κρινόμενον appellant. Ea constituitur ex coniunctione firmamenti, & rationis defensione, hoc modo. Cũ dicat Orestes, se patris ulciscendi cãusa matrẽ occidisse, rectum'ne fuerit à filio sine iudicio Clytemnestram occidi. Ergo hac ratione iudicationem inueniri conuenit. Inuenta iudicatione, omnem rationẽ totius orationis eò conferri oportebit. In omnibus constitutionibus, et partibus constitutionũ hac uia iudicationes reperiẽtur, præterquã in cõiecturali cõstitutione. in ea enim nec ratio quæritur, quare fece-

rit. fecisse enim negatur, nec firmamentum exquiritur, quoniam non subest ratio, quare ex intentione, & inficiatione iudicatio constituitur, hoc modo. Intentio, occidisti Aiacem. Inficiatio, non occidi. Iudicatio, occiderit'ne. Ratio omnis utriusq; orationis, ut ante dictũ est, ad hãc iudicationem conferenda est. si plures erunt constitutiones, aut partes constitutionũ, iudicationes quoq; plures erunt in una causa, sed omnes simli ratione reperientur. Sedulo dedimus operam, ut breuiter, & dilucide quibus de rebus adhuc dicendum fuit, diceremus. Nũc, quoniam satis huius uoluminis magnitudo creuit, commodius est in altero libro de cæteris rebus deinceps exponere, nequa propter multitudinem literarum possit animum tuum defatigatio retardare. sed, si quidem hæc tardius, quàm studes, absoluentur, cum rerum magnitudini, tum nostris quoq; occupationibus assignare debebis. Veruntamen maturabimus, & quod negotio diminutũ fuerit, exæquabimus industria, ut pro tuo in nos officio, & nostro in te studio munus hoc accumulatissime tuæ largiamur uoluntati.

RHETORICORVM AD C. HERENNIVM, LIBER SECVNDVS.

IN primo Libro Herenni breuiter exposuimus, quas causas recipere oratorẽ oporteret, & in quibus officijs artis elaborare conueniret, & ea officia qua ratione facillime consequi posset. Verum, quod neq; de omnibus rebus simul dici poterat, & de maximis primũ scribendum fuit, quo cætera tibi faciliora cognitu uiderentur, ita nobis placitũ est, ut ea, quæ difficillima essent, potissimũ scriberemus. CAVsarũ tria genera sunt, demonstratiuũ, deliberatiuũ, iudiciale, multo difficillimum est iudiciale, ergo id primum absoluemus. hoc & priore libro egimus, cum de oratoris officijs tractabamus, quorum inuentio & prima, & difficillima est, ea quoq; nobis erit hoc in libro propemodum absoluta, & paruam partem eius in tertium uolumen transferemus. De sex partibus orationis primum scribere incepimus. In primo libro locuti sumus de exordio, narratione, diuisione, nec pluribus uerbis, quàm necesse fuit, nec minus dilucide, quàm te uelle existimabamus. deinde coniuncte de confirmatione, & confutatione dicendum fuit, quare genera constitutionum, et earum partes aperuimus, ex quo simul ostendebatur, quomodo constitutionem, & partes constitutionis causa posita re-

periri oporteret. Deinde docuimus, iudicationem quemadmodũ quæri conueniret. qua inuenta, curandũ, ut omnis ratio totius orationis ad eam conferatur. Postea admonuimus, esse causas quamplures, in quibus plures constitutiones, aut partes constitutionum accommodarẽtur. Reliquum uidebatur esse, ut ostenderemus, quæ ratio posset inuẽtiones ad unamquamq; constitutionem, aut partem constitutionis accommodare. Et item quales argumentationes, quas græci ἐπιχειρήματα appellant, sequi, & quales uitari oporteret, quorũ utrunq; pertinet ad confirmationem, & confutationem. Deinde ad extremum docebimus, cuiusmodi conclusionibus orationũ uti oporteat, q̃ locus erat extremus de sex partibus orationis. Primum ergo quæremus, quẽadmodum quanq; causam tractare conueniat. & primum coniecturalem, quæ prima, & difficillima est, potissimum consyderemus.

IN Causa coniecturali, narratio accusatoris suspicionẽs interiectas, & dispersas habere debet, ut nihil actũ, nihil dictũ, nusquã uẽtum, aut abitum, nihil deniq; factum sine causa putetur. Defensoris narratio, simplicem, & dilucidam expositionem debet habere cum attenuatione suspicionis. Huius cõstitutionis ratio ĩ sex partes est distributa, probabile, collationem, signum, argumentum, cõsecutionem, approbationem. Horum unumquodq; quid ualeat, aperiemus. Probabile est, q̃ quod probatur expedisse reo peccare, & a' simili turpitudine hominem nunquam abfuisse. Id diuiditur in causam, & inuitam. Causa est ea, quæ induxit ad maleficium, commodorũ spe, aut incommodorum euitatione, ut cum quæritur, num q̃d commodũ maleficio acquisierit, num honorem, num pecuniam, num dominationẽ, num aliquam cupiditatem amoris, aut huiusmodi libidinis uoluerit explere. Aut num quod incommodum uitarit inimicitias, infamiã, dolorem, supplicium. Hic accusator in spe commodi, cupiditatem ostẽdet aduersarij, in uitatione incommodi, formidinẽ augebit. Defensor autem negabit fuisse causam, si poterit, aut eam uehementer extenuabit. Deinde iniquum esse dicet, omnes, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re peruenerit, in' suspicionem maleficij deuocari.

Deinde uita hominis ex ante factis spectabitur. In quo primũ consyderabit accusator, nũ quãdo simle qd fecerit. Si id nõ reperiet, quæret, nũ quando uenerit in simulem suspicionem, & in eo debebit esse occupatus, ut ad eam causam peccati, quam paulo ante exposuerit, uita hominis possit accõmodari, hoc modo. Si dicet pecuniæ causa fecisse, ostendet eum semper auarũ fuisse, si honoris, ambitiosum, ita poterit animi uitium cum causa peccati conglutinare. Si nõ pote-

rit par uitium cum causa reperire, reperiat dispar. Si non poterit auarũ demonstrare, demonstret corruptorem, uel perfidiosum, si quo modo poterit. deniq; aliquo, aut quamplurimis uitijs contaminabit psonam, deinde, qui fecerit illud tam nequiter, eundẽ hunc tam perperam fecisse non esse mirandũ. Si uehementer castus, & integer existimabitur aduersarius, dicet, facta, non famã spectari oportere, illũ ante occultasse sua flagitia, se planum facturum ab eo maleficiũ non abesse. Defensor, primum demonstrabit uitam integram, si potuerit, id si non poterit, confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescẽtiam, uim, persuasionem, q̃bus de rebus, uituperatio eorũ, quæ extra id crimen erunt, nó debeat assignari. Sin uehementer hominis turpitudine impedietur, & infamia, prius dabit operam, ut falsos rumores dissipatos esse dicat de innocente, & utetur loco communi, rumoribus credi nõ oportere. Sin nihil horum fieri poterit, utatur extrema defensione, & dicat, non se de moribus eius apud censores, sed de criminibus aduersariorum apud iudices dicere. Collatio est, cum accusator id, quod aduersarium fecisse criminatur, alij nemini, nisi reo bonum fuisse demonstrat, aut alium neminem potuisse perficere, nisi aduersarium, aut eum ipsum alijs rationibus aut non potuisse, aut non æque cõmode potuisse, aut eum effugisse alias rationes cõmodiores propter cupiditatem. Hoc loco defensor ut demonstret, oportet, aut alijs quoq; bono fuisse, aut alios quoq; id, quod ipse insimuletur, facere potuisse. Signum est, per quod ostenditur idonea perficiendi facultas esse quæsita. id diuiditur in partes sex, locum, tempus, spatium, occasionem, spem perficiendi, spem cælandi. Locus, quæritur, celebris, an desertus? semper, an tum cum id factum sit, fuerit in eo loco solitudo? sacer, an profanus? publicus, an priuatus fuerit? cuiusmodi loci attingant, num qui est passus pspectus, et exauditus esse possit. Horũ qd reo, quid accusatori conueniat, perscribere non grauaremur, nisi facile quiuis causa posita, posset iudicare. Initia. n. inuentionis ab arte debent proficisci, cætera facile comparabit exercitatio.

Tempus ita quæritur, qua parte anni, qua hora, noctu, an interdiu, et qua diei, et qua noctis hora factũ esse dicatur, et cuiusmodi tẽporibus. Spatiũ ita consyderatur, satis ne longum fuerit ad eam rem transigendã, et potuerit ne fieri satis ad id perficiendũ spatij futurũ. Nam parui refert satis spatij fuisse ad id perficiendũ, si id ante sciri, & ratione prouideri non potuerit. Occasio quæritur, idonea ne satis fuerit ad rẽ adoriendam, an alia melior, quæ aut præterita sit, aut nõ expectata. Spes perficiẽdi, quæ fuerit, spectabitur. hoc mo-

do, si quæ supradicta sunt signa, concurrent, si præterea ex altera parte uires, pecunia, consilium, scientia, apparatio, ex altera parte imbecillitas, inopia, stultitia, imprudentia, inapparatio demonstrabitur fuisse. Quare scire potuerit, utrum diffidendum, an confidendũ fuerit. Spes cælandi quæ fuerit, quæritur ex consciis, arbitris, adiutoribus, liberis, aut seruis, aut utrisq;. Argumentum, est, per quod res coarguitur certioribus argumentis, & magis firma suspicione. id diuiditur in tempora tria, præteritum, instans, consequens. In præterito tempore oportet considerare, ubi fuerit, ubi uisus sit, quo cũ uisus sit, num quid apparauerit, num quem conuenerit, num quid dixerit, num quẽ habuerit de conscijs, de adiutoribus, de adiumentis, nũ quo in loco præter cõsuetudinẽ fuerit, aut alieno tempore. In instanti tempore quæritur, num uisus sit, cum faciebat, num qui strepitus, clamor, crepitus exauditus sit, aut deniq; num quid aliquo sensu perceptũ sit, aspectu, auditu, tactu, odore, gustatu. nam quiuis horum sensus potest conflare suspicionem. In consequenti tempore spectabitur, num quid re transacta, relictum sit, quod indicet, aut factum esse maleficium, aut à quo factum sit. Factum esse, hoc modo, si tumore, aut liuore decoloratũ est corpus mortui, significat eum ueneno necatum. A quo factum sit, hoc modo, si telum, si uestimentũ, siquid eiusmodi relictũ sit, aut si uestigium rei fuerit, aut si cruor in uestimentis, si in eo loco comprehensus, aut uisus sit transacto negotio, quo in loco res gesta dicitur. Consecutio, est, cum quæritur, quæ signa nocentis, & innocentis consequi soleant. Accusator dicet, si poterit, aduersariũ, cum ad eum uentum sit, erubuisse, expalluisse, titubasse, inconstanter locutum esse, concidisse, pollicitum esse aliqd, quæ signa cõscientiæ sunt. Si reus horũ nihil fecerit, accusator dicet, eum usq; adeo præmeditatũ fuisse, qd sibi esset usu uenturũ, ut confidẽtissime resistẽs responderet, quæ signa confidentiæ, non innocentiæ sint. Defensor si pertimuerit, magnitudine periculi, non conscientia peccati commotum esse dicet, si non pertimuerit, fretum innocentia negabit esse commotum. Approbatio, est, qua utimur ad extremum confirmata suspicione. Ea habet locos proprios, atq; communes. Proprij sunt ij, quibus nisi accusator, nemo potest uti, & ij, quibus nisi defensor.

Communes sunt, qui alia in causa ab reo, alia ab accusatore tractantur. In causa coniecturali proprius locus accusatoris est, cum dicat malorum misereri non oportere, & cum auget peccati atrocitatem. Defensoris proprius locus est, cũ misericordiam captat, & cum accusatorem calumniari criminatur. Cõmunes loci sunt, cum

cauſatoris, tum defenſoris, à teſtibus, contra teſtes, à quæſtionibus, contra quæſtiones, ab argumentis, contra argumenta, à rumoribus, contra rumores. A teſtibus dicemus, ſecundum authoritatem, & uitam teſtium, & conſtantiam teſtimoniorum. Contra teſtes, uitæ turpitudinem, teſtimoniorum inconſtantiam, ſi aut non fieri potuiſſe dicemus, aut non factum eſſe, quod dicant, aut ſcire illos non potuiſſe, aut cupide dicere, & argumentari. hæc & ad improbationem, et approbationem teſtium pertinebunt. A quæſtionibus dicemus, cum demonſtrabimus, maiores ueri inueniendi cauſa tormentis, et cruciatibus uoluiſſe quæri, & ſummo dolore homines cogi, ut quid ſciant, dicant. Et præterea confirmatior hæc erit diſputatio, ſi quæ dicta erũt argumentando, ijſdẽ uijs, quibus omnis cõiectura tractatur, trahemus ad ueriſimilẽ ſuſpicionem, idemq; hoc in teſtimonijs facere oportebit. Contra quæſtiones hoc modo dicemus, primum, maiores uoluiſſe certis in rebus interponi quæſtiones, cum, quæ uere dicerentur, ſeruari, quæ falſo in quæſtione pronuntiarentur, refelli poſſent, hoc modo. Quo in loco quid poſitum ſit, & ſiquid eſſet ſimile, quod uideri, aut aliquo ſimili ſigno percipi poſſet. deinde, dolori credi non oportere, quod alius alio recẽtior ſit in dolore, qđ ingenioſior ad cõmniſcendũ, quod deniq; ſæpe ſcire, aut ſuſpicari poſſit, quid quæſitor uelit audire, quod cum dixerit, intelligat ſibi finem doloris futurum. Hæc diſputatio cõprobabitur, ſi refellemus, quæ in quæſtionibus erũt dicta probabili argumentatione. idq; partibus coniecturæ, quas ante expoſuimus, facere oportebit. Ab argumentis, & ſignis, & cæteris locis, quibus augetur ſuſpicio, dicere hoc modo conuenit. cum multa cõcurrant argumenta, & ſigna, quæ inter ſe conſentiant, rem ꝑſpicuã non ſuſpicioſam uideri oportere. item plus oportere ſignis, & argumẽtis credi, quàm teſtibus. hæc enim eo modo exponi, quo modo reuera ſunt geſta, teſtes corrumpi poſſe, uel pretio, uel gratia, uel metu, uel ſimultate. Contra argumenta, & ſigna, & cæteras ſuſpiciones dicemus hoc modo, ſi demonſtrabimus, nullam rem eſſe, quam non ſuſpicionibus quiuis poſſit criminari, deinde, unanquanq; ſuſpicionem extenuabimus, & dabimus operam, ut oſtendamus, nihilo magis in nos eam, quàm in alium quempiã conuenire, indignum facinus eſſe ſine teſtibus, coniecturã, et ſuſpicionem firmamenti ſatis habere. A rumoribus dicemus, ſi negabimus temere famã naſci ſolere, quin ſubſit aliquid, & dicemus cauſam non fuiſſe, quare quiſpiam confingeret, & comminiſceretur. Et præterea ſi cæteri falſi ſolcant eſſe, argumentabimur hunc eſſe uerum. Contra rumores dicemus primũ, ſi do-

æbimus multos esse falsos rumores, & exemplis utemur, de qbus falsa fama fuerit, & aut inimicos nostros, aut homines natura maleuolos, & maledicos confinxisse dicemus, & aliquam aut fictam fabulã in aduersarios afferemus, quam dicamus omnibus in ore esse, aut uerum rumorem proferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat, neq; tamen ei rumori nos fidẽ habere dicemus, ideo qđ quiuis homo possit quemuis turpem de quolibet rumorẽ proferre, & confictam fabulam dissipare. Veruntamem, si rumor uehementer probabilis esse uidebitur, argumentando famæ fidem poterimus abrogare. Quod & difficillima tractatu est constitutio coniecturalis, & in ueris causis sæpissime tractãda est, eo' diligentius omneis eius partes pscrutati sumus, ut ne paruula quidẽ titubatiõe, aut offensione impediremur. si ad hanc rationem præceptionis assiduitatem exercitationis accommodaremus. Nunc ad legitimæ constitutionis parteis transeamus.

CVM Voluntas scriptoris cum scripto dissidere uidebitur, si à scripto dicemus, his locis utemur secundum narrationẽ. Primum scriptoris collaudatione. Deinde, scripti recitatione. Deinde, percunctatione, scirent'ne aduersarij id scriptum fuisse in lege, aut in testamento, aut in stipulatione, aut quolibet scripto, quod ad eam rem pertineat? Deïnde collatione qd scriptum sit, quid aduersarij se fecisse dicant, quid iudicem sequi conueniat, utrum id, quod diligenter perscriptũ sit, an id, quod acute sit excogitatum? deinde ea sententia, quæ ab aduersarijs sit excogitata, & scripto attributa, cõtemnetur, & infirmabitur. Deinde, quæretur quid ei obfuerit, si id uoluisset scribere, ut nõ potuerit pscribere. Deinde à nobis sententia reperietur, & causa proferetur, quare id scriptor senserit, quod pscripsit, & demonstrabitur scriptum esse illud dilucide, breuiter, commode, perfecte, certa cum ratione. Deinde, exempla proferentur, quæ res, cum ab aduersarijs sententia redderetur, & uoluntas afferretur, à scripto potius iudicatæ sint. Deinde ostendetur, quàm periculosum sit à scripto recedere.

Locus communis, est contra eum, qui, cum fateatur se contra id, qđ legibus sanctum est, aut testamento perscriptum sit, fecisse, tamen facti quærat defensionem. A' sententia sic dicemus. Primum laudabimus scriptoris cõmoditatem, atq; breuitatẽ, quod tantum scripserit, quod necesse fuerit, illud, quod sine scripto intelligi potuerit, non necessario scribendum putari. Deinde, dicemus calumniatoris esse officium, uerba, & literas sequi, negligere uoluntatem. Deinde, id, quod scriptum sit, aut non posse fieri, aut non lege, non more, non natura, nõ bono, & æquo posse fieri, quæ omnia uoluisse scriptorẽ quamrectissime fieri nemo

ri,nemo dubitet,at ea,quæ a' nobis facta sint,iustissime facta. Deinde contrariã sententiam,aut nullá esse,aut stultam,aut iniustã, aut non posse fieri,aut non constare cũ superioribus,& inferioribus sententijs,aut cum iure communi,aut cũ alijs legibus communibus, aut cum rebus iudicatis dissentire. Deinde exemplorum a' uoluntate,et contra scriptũ iudicatorum enumeratione utemur. Deinde legũ, & stipulationum breuiter excæptarum,in qbus intelligatur scriptorum uoluntas,& expositio. Locus communis contra eum,qui scriptum recitet,& uoluntatem scriptoris non interpretetur. Cum duæ leges inter se discrepent,uidendum est,primũ,nunquæ abrogatio, aut derogatio sit. Deinde,utrum leges ita dissentiant, ut altera iubeat,altera uetet,an ita ut altera cogat,altera pmittat. Infirma enim erit eius defensio,q negabit se feciſſe,quod cogeretur , cũ altera lex permutteret. plus.n ualet sanctio pmissione. Item illa defensio tenuis est,cum ostẽditur id factum esse,quod ea lex sanciat,cui legi abrogatum, uel derogatum sit,id qđ posteriori lege sancitum sit,esse neglectum. Cũ hæc erunt cõsyderata,statim nostræ legis expositione,recitatione, collaudatione utemur. Deinde,contrariæ legis eno dabimus uoluntatem,et eã trahemus ad nostræ causæ commodũ. Deinde de iuridiciali absoluta sumemus rationem iuris,et quæremus partem iuris, utrũ cũ ea faciat,de qua parte posterius diseremus. Si ambiguũ esse scriptum putabitur,quod in duas, aut plureis sententias trahi possit, hoc modo tractandũ est. Primũ,sit' ne ambiguum,quærendum est. Deinde,quo modo scriptum esset,si id,quod aduersarij interpretantur,scriptor fieri uoluisset,ostendendũ est. Deinde id,quod nos interpretemur & fieri posse,et honeste,recte,lege,more,natura,bono,& æquo fieri posse, quod aduersarij interpretantur e' contrario,nec esse ambigue scriptũ, cum intelligatur utra sententia uera sit. Sunt q arbitrantur ad hãc causam tractandũ,uehementer ptinere cognitionem amphibologiarum eã,quæ a' dialecticis profertur. Nos uero arbitramur, non modo nullo adimento esse,sed potius maximo impedimento. omnes enim illi amphibologias aucupantur,eas etiã,quæ ex altera parte sententiã nullã possint interpretari. Itaq; & alieni sermonis molesti iterpellatores,& scripti,tũ odiosi,tũ obscuri interpretes sunt,& dũ caute,expediteq; loqui uolunt,infantissimi reperiuntur. Ita,dũ metuunt, in dicendo neqd ambiguũ dicant,nomen suum pronuntiare non possunt. Verũ horum pueriles opiniones,rectissimus rationibus cum uoles,refellemus. In præsentia hæc intercedere non alienum fuit,ut huius infantiæ garulam disciplinam contemneremus. Cum definitione

utemur, primum afferemus breuẽ uocabuli definitionem, hoc modo. maiestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus ciuitatis amplitudo constat, quæ sunt ea, quæ capiunt suffragia populi, & magistratus consilia. Nempe igitur tu & populũ suffragio, & magistratũ cõsilio priuasti, cum pontes disturbasti. Item ex contrario, maiestatem is minuit, q̃ amplitudinem ciuitatis detrimento afficit. Ego nõ affeci, sed prohibui, detrimento. ærariũ enim conseruaui. libidini malorũ restiti. maiestatem omnem interire nõ passus sum. Primũ igitur uocabuli sententia breuiter, & ad utilitatem accommodatam causæ describetur. deinde, factum nostrum cum uerbi descriptione coniungetur. Deinde, cõtrariæ descriptionis ratio refelletur, si aut falsa erit, aut inutilis, aut turpis, aut iniurioſa. Id quoq; ex iuris partibus sumetur de iuridiciali absoluta, de qua iam loquemur. Quæritur in translationibus, primũ, num aliqs eius rei actionem, petitionẽ, aut executionem habeat, quẽ non oporteat, num alio modo, alio tempore. alio loco, num alia lege, num alio quærente, aut agente, hæc legibus, & moribus æquo, & bono reperientur, de quibus dicetur in iuridiciali absoluta. In causa rationali primũ quæretur, ecq̃d in rebus maioribus, aut minoribus, aut simulibus, simuliter scriptum, aut iudicatũ sit. deinde, utrũ ea res simlis sit ei rei, de qua agitur, an dissimulis. deinde utrũ cõsulto de ea re scriptũ nõ sit, quod noluerit cauere, an q̃d satis cautũ putarit propter cæterorũ scripturũ similitudinẽ. De partibus legitimæ constitutionis satis dictum est, nunc ad iuridicialẽ reuertamur. ABSOLVTA iuridiciali constitutione utemur, cum ipsam rem, quam nos fecisse confitemur, iure factam dicemus, sine ulla assumptione extrariæ defensionis. in ea conuenit quæri, iure'ne factũ sit. de eo causa posita dicere poterimus, si ex q̃bus partibus ius constet, cognouerimus. Cõstat igitur ius ex his partibus, natura, lege, consuetudine, iudicato, æquo & bono, pacto. Natura ius est, quod cognationis, aut pietatis causa obseruatur, quo iure parentes à liberis, & à parentibus liberi coluntur. Lege ius est id, quod populi iussu sancitum est, quod genus, ut in ius eas, cum uocaris. Cõsuetudine ius est id, quod sine lege æque ac si legitimũ sit, usitatum est, q̃d genus id, q̃d argentario obtuleris expensum, à sotio eius recte repetere possis.

Iudicatũ est id, de quo sententia lata est, aut decretum interpositũ, ea sæpe diuersa sunt, ut aliud alij iudici, aut prætori, aut cõsuli, aut tribuno plebis placitum sit, & fit, ut de eadẽ re sæpe alius aliud decreuerit, aut iudicauerit, q̃d genus M. Drusus prætor urbanus, q̃d cũ hærede mãdati ageretur, iudiciũ reddidit. Sextus Iulius nõ reddidit.

didt. Item Caius Cœlius iudex absoluit iniuriarum eum, qui Lucilium poëtam in scena nominatim læserat. Publius Mutius eum, qui L. Accium poëtam nominauerat, cõdemnauit. Ergo, quia possunt res simili de causa dissimiliter iudicatæ proferri, cum id usu uenerit, iudicem cũ iudicæ, tempus cum tempore, numerum cum numero iudicorum proferemus. Ex æquo, et bono ius constat, quod ad ueritatẽ, & utilitatem communem uidetur ptinere, quod genus, ut maior annis LX. & cui morbus causa est, cognitorem det. Ex eo nouum ius constitui conuenit ex tempore, & hominis dignitate. Ex pacto ius est, siquid inter se pepigerunt, siquid inter quos conuenit. Pacta sunt, quæ legibus obseruanda sunt, hoc modo. Rem ubi pagunt, oratione pagunt. in comitio, aut in foro ante meridiem causam conijcato. Sunt item pacta, quæ sine legibus obseruantur ex cõuentu, quæ iuri præstare dicuntur. His igitur partibus iniuriam demonstrari, ius confirmari conuenit, idq; in absoluta iuridiciali faciendũ uidetur. CVM ex comparatione quæretur, utrum satius fuerit agere id, quod reus dicat se fecisse, aut id, qđ accusator dicat oportuisse fieri, primũ quæri conuenit, utrum fuerit utilius ex contentione, hoc est, utrum uenustius, facilius, conducibilius. Deinde oportebit quæri, ipsum'ne oportuerit iudicare, utrum fuerit utilius, an aliorum fuerit statuendi potestas. deinde interponetur ab accusatore suspicio ex coniecturali constitutione, qua re putetur non ea ratione factum esse, quo melius deteriori anteponeretur, sed dolo malo negotium gestum. deinde quæretur, potuerit'ne uitari, ne in eum locum ueniretur. Ab defensore contra refelletur argumentatio coniecturalis, de qua ante dictum est. His locis ita tractatis, accusator utetur loco communi in eum, qui inutile utili præposuerit, cum statuendi non habuerit potestatem. Defensor, contra eos, qui æquum censeãt, rem perniciosam utili præponi, utetur loco communi per conquestionem, & simul quæret ab accusatoribus, & ab iudicibus ipsis, quid facturi essent, si in eo loco fuissent, & tempus, locum, rem, deliberationem suam ponet ante oculos.

Translatio criminis est, cum ab reo facti causa in aliorum peccatum transfertur, in qua primum quærendum est, iure'ne in alium crimen transferatur. deinde spectandũ est, an æque magnum sit illud peccatum, quod in alium transferatur, atq; illud, quod reus susceptisse fateatur. deinde, oportuerit'ne in ea re peccare, in qua alius ante peccarit. deinde, oportuerit'ne iudicium ante fieri. deinde, cũ factum iudiciũ non sit de illo crimine, quod in aliũ transferatur, oporteat'ne de ea re iudicium fieri, quæ res in iudiciũ non uenerit. Locus com-

munis accusatoris, contra eũ, q plus censeat uim, quam iudicia ualere oportere, & ab aduersarijs punctabitur accusator, qd futurũ sit, si idẽ cæteri faciant, ut de indemnati suppliciũ sumant, qđ eos idem fecisse dicat. qd si ipse accusator idẽ facere uoluisset. Defensor eorũ peccati atrocitatem proferet, in quos crimen transferetur, rẽ, locũ, tempus ante oculos ponet, ut ij, q audient, existiment, aut non potuisse, aut nõ fuisse utile rẽ in iudiciũ uenire. Concessio est, p quam nobis ignosci postulamus. ea diuiditur in purgationẽ, et deprecationẽ. Purgatio est, cũ consulto à nobis factũ negamus. ea diuiditur in necessitatem, fortunã, imprudentiã. De his primũ partibus ostendendũ est, deinde ad deprecationẽ reuertendũ uidetur. Primũ, consyderandũ est, utrũ per culpã uentum sit in necessitudinẽ, num culpã ueniendi necessitudo fecerit. deinde quærendũ est, ecquo modo uis illa uitari potuerit, ac leuari. deinde is, q in necessitudinẽ causam conferet, expertus'ne sit, qd contra facere, aut excogitare posset. deinde, nũ quæ suspiciones ex coniecturali constitutione trahi possint, quæ significent id cõsulto factum esse, qđ necessario accidisse dicatur. deinde, si maxime necessitudo quæpiã fuerit, conueniat'ne, eam satis idoneã putari. Si autem imprudentia reus se peccasse dicet, primũ quæretur, utrum potuerit scire, an nõ potuerit. deinde, utrum data sit opera, ut sciretur, an non. deinde, utrũ casu nescierit, an culpa nã q se propter uinũ, aut amorem, aut iracundiã fugisse rationẽ dicet, is animi uitio uidebitur nescisse, nõ imprudentia. quare nõ imprudentia se defendet, sed culpa contaminabitur. deinde, coniecturali constitutione quæretur, utrum scierit, an ignorauerit, et consyderabitur, sati'ne imprudẽtia præsidij debeat cẽ, cũ factũ esse cõstet. Cũ in fortunã causa cõferretur, et ea re defensor ignosci dicet reo oportere, eadẽ oĩa uidentur cõsyderanda, quæ de necessitudine præscripta sunt. etenim hæ tres partes purgationis inter se finitimæ sunt, ut in omnes eadẽ ferè possint accommodari. Loci cõmunes in his causis, accusatoris, cõtra eũ, q cum se peccasse cõfiteatur, tamen oratiõe iudices moretur, Defensoris, de humanitate, misericordia, uolũtatẽ in oĩbus rebus spectari cõuenire, et quæ cõsulto facta nõ sint, in ijs fraudẽ esse nõ oportere. Deprecatione utemur, cũ fatebimur nos peccasse, neq; id imprudẽter, aut fortuito, aut necessario fecisse dicemus, et tamen ignosci nobis postulabimus. Hic ignoscendi ratio quæritur ex ijs locis, si plura, aut maiora officia, quam maleficia uidebuntur cõstare. siqua uirtus, aut nobilitas erit in eo, q supplicabit, siqua spes erit, usui futurũ, si sine supplicio discesserit, si ipse ille supplex, mansuetus, & misericors in potestatibus

ostendetur

ostendetur fuisse, si ea, quæ peccauit, non odio, nõ crudelitate, sed õffi=cio, et recto studio cõmotus fecit, si tali de causa alijs quoq; ignotũ sit, si nihil ab eo piculi nobis futurũ uidebitur, si eum missum fecerimus, si nulla aut à nostris ciuibus, aut ab aliqua ciuitate uituperatio ex ea re suscipietur. Loci communes, de humanitate, fortuna, misericordia, rerũ commutatione. His locis omnibus ex contrario utetur is, q̃ contradicet, cum amplificatiõe, & enumeratione omniũ peccatorum. Hæc causa iudicialis fieri nõ potest, ut in primo libro ostendimus. sed quod potest uel ad senatum, uel ad conciliũ uenire, nõ uisa est supersedenda. Cum à nobis crimen remouere uolemus, aut in rem, aut in hominem nostri peccati causam conferemus. Si causa in hominem cõferetur, quærendum erit primũ, potuerit ne tantum, quantum reus demonstrabit is, in quem causa conferetur, & ecquonam modo aut honeste, aut sine periculo potuerit obsisti. si maxime ita sit, nũ ea re cõ cedi reo cõueniat, quod alieno inductu fecerit. deinde in cõiecturalem trahetur controuersiam, & quæretur, num consulto factum sit. Si causa in rem quandã conferetur, & hæc eadem ferè, & omnia, quæ de necessitudine præcepimus, consyderanda erunt. QVONIAM satis ostendisse uidemur, q̃bus argumentationibus in uno quoq; genere causæ iudicialis uti conueniret, conseq̃ uidetur, ut doceamus, quemadmodum ipsas argumentationes ornate, & absolute tractare possimus. nam ferè non difficile est inuenire, quid sit causæ adiumento, difficilimum uero est, inuentum expolire, & expedite pronuntiare. hæc enim res facit, ut neq; diutius, quàm satis sit, in eisdẽ locis cõmoremur, neq; eodem identidem reuoluamur, neq; inchoatã argumẽtationem relinquamus, neq; incommode ad aliam deinceps transeamus. itaq; hac ratione & ipsi meminisse poterimus, quid quoquo loco dixerimus, & auditor cũ totius causæ, tum uniuscuiusq; argumẽtationis distributionem percipere, & meminisse poterit. Ergo absolutissima, et perfectissima argumentatio est ea, quæ in q̃q; partes est distributa, propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. Propositio est, per quam ostendimus summatim quid sit, quod probare uolumus. Ratio est causa, quæ demonstrat id uerum esse, quod intendimus, breui subiectione. Rationis confirmatio est ea, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expositam rationem. Exornatio est, qua utimur rei honestandæ, & collocupletandæ causa confirmata argumentatione. Complexio est, quæ cõcludit breuiter colligẽs partes argumentationis. Hisce igitur q̃q; partibus ut absolutissime utamur, hoc modo tractabimus

argumentationem. Causam ostendemus Vlyssi fuisse, quare interfecerit. Aiacem inimicum enim acerrimũ de medio tollere uolebat, à quo sibi non iniuria summum periculũ metuebat. uidebat illo incolumi, se incolumem non futurum. sperabat illius morte, se salutẽ sibi comparare. consueuerat, si iure non poterat, quauis iniuria inimico exitium machinari. cui rei mors indigna Palamedis testimonium dat. ergo & metus periculi hortabatur eum interimere, à quo supplicũ uerebatur, & consuetudo peccandi maleficij suscipiendi remouebat dubitationem. Omnes enim cum minima peccata cũ causa suscipiũt, tum uero illa, quæ multo maxima sunt maleficia, aliquo certo emolumento inducti suscipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecuniæ spes, si complures scelere se contaminauerunt imperij cupiditate, si multi leue compendiũ fraude maxima commutauerunt, cui mirum uidebitur, istum à maleficio propter acerrimam formidinẽ nõ temperasse? Virum fortissimum, integerrimũ, inimicitiarũ persequẽtissimum, iniuria lacessitum, ira excitatum, homo timidus, nocens, conscius sui peccati, insidiosus, inimicum incolumem esse noluit. cui tandẽ hoc mirum uidebitur? Nam, cum feras bestias uideamus alacres, & erectas uadere, ut alteri bestiæ noceant, non est incredibile putandum, istius quoq; animum ferum, crudelem, atq; inhumanum cupide ad inimici perniciem profectum, præsertim cum in bestijs nullã neq; bonam, neq; malam rationem uideamus, in isto plurimas, et pessimas rationes semper fuisse intelligamus. Si ergo pollicitus sum, me daturũ causam, qua inductus Vlysses accesserit ad maleficium, et si inimicitiarum acerrimam rationem, & periculi metum intercessisse demonstraui, nõ est dubiũ, quin confiteatur causam maleficij fuisse. Ergo absolutissima est argumentatio ea, quæ ex quinq; partibus constat, sed ea non semper necesse est uti. Tum enim complexione supersedendũ est, si res breuis est, ut facile memoria comprehendatur, tum exornatio prætermittenda est, si parum locuples ad amplificandum, & exornandum res uidetur esse. Sin & breuis erit argumentatio, et res tenuis, aut humilis, tum exornatione, & complexione supersedendũ est. In omni argumentatione de duabus partibus postremis, hæc, quã exposui, ratio est habenda. Ergo amplissima est argumentatio quinquepartita. Breuissima est tripartita. Mediocris, sublata aut exornatione, aut cõplexiõe quadripartita. GENERA duo sunt uitiosarũ argumentationũ, unũ, quod ab aduersario reprehendi potest, idq; ptinet ad causam. Alterũ, quod tameisi nugatoriũ est, tamen non indiget reprehensione. Quæ sint, quæ reprehensione cõfutari conueniat, quæ

at, quæ tacite contemni, atq; uitari sine reprehensione, si exempla su biecero, intelligere dilucide poteris. Hæc cognitio uitiosarũ argumentationum duplicem utilitatem afferet. nam & uitare in argumentatione uitium admonebit, & ab alijs non uitatum cõmode reprehendere docebit. Quoniam igitur ostendimus perfectam, & plenam argumentationem ex quinq; partibus constare, in unaquaq; parte argumentationis quæ uitia euitanda sunt, consyderemus, ut & ipsi ab his uitijs recedere, & aduersariorũ argumentationes hac præceptiõe in omnibus partibus tentare, et ab aliqua parte labefactare possimus.

Expositio uitiosa est, cum ab aliqua, aut à maiore parte ad omnes confertur id, quod non necessario est omnibus attributũ, ut siquis hoc modo exponat. Omnes, qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare diuitias, quam officio paupertatem tueri. Siquis hoc modo exposuerit argumentationem, ut non curet quærere, qualis ratio, aut rationis confirmatio sit, ipsam facile reprehendemus expositionem, cum ostendemus id, quod in aliquo paupere improbo sit, in omnes paupe res falsò & iniuria conferri. Item uitiosa expositio est, cum id, qđ raro fit, fieri omnino negatur, hoc modo. Nemo potest uno aspectu, neq; præteriens in amorẽ incidere, nam, cum nó nemo deuenerit in amorẽ uno aspectu, & cũ ille nemnẽ dixerit, omnino nihil differt raro id fieri, dummodo aliquando fieri, aut posse fieri intelligatur.

Itẽ uitiosa expositio est, cum omneis res estendemus nos cõllegisse, & aliquam rem idoneam præterimus, hoc modo. Quoniã igitur hominem occisum constat esse, necesse est, aut à prædonibus, aut ab inimicis occisum esse, aut abs te, quem ille hæredem testamento ex parte faciebat, prædones illo loco nunquam sunt uisi, inimicum nullũ habebat, relinqtur, si neq; à prædonibus, neq; ab inimicis occisus est, qđ alteri non erant, alteros non habebat, ut abs te sit interemptus. Nam in huiusœmodi expositione reprehensione utemur, siquos præter eos, quos ille dixerit, potuisse suscipere maleficium, ostenderimus, uelut in hoc exẽplo, cũ dixerit necesse esse aut à prædonibus, aut ab inimicis, aut à nobis occisum esse, dicemus potuisse uel à familia, uel à cohæredibus nostris, Cum hoc modo illorũ collectionẽ disturbauerimus, nobis latiorẽ locum defendendi relinquemus. Ergo hoc quoq; uitandũ est in expositione, ne quando, cũ omnia collegisse uideamur, aliquã idoneam partem reliquerimus. Item uitiosa expositio est, quæ cõstat ex falsa enumeratione, ut si, cũ plura sunt, pauciora dicamus, hoc modo. Duæ res sunt iudices, quæ omnes ad maleficiũ impellunt, luxuries, et auaritia. Quid amor inquit quispiam, quid ambitio, quid

religio, quid metus mortis, quid imperij cupiditas, quid denique alia permulta? Item falsa enumeratio est, cum pauciora sunt, & plura dicimus, hoc modo. Tres res sunt, quæ omnes homines solicitãt, metus, cupiditas, ægritudo. Satis fuerat dixisse metum, & cupiditatem, quoniã ægritudinẽ cum utraq; re coniunctam esse necesse est. Itẽ uitiosa expositio est, quæ nimium longe repetitur, hoc modo. Omnium malorum stultitia est mater, quæ parit immensas cupiditates, immensæ porrò cupiditates infinitæ, et immoderatæ sunt, hæ pariunt auaritiam, auaritia porrò hominem ad quoduis maleficium impellit, igitur auaritia inducti aduersarij nostri, hoc in se facinus admiserũt. hic id, quod extremum dictum est, satis fuit exponere, ne Ennium, & cæteros poëtas imitemur, quibus hoc modo loqui concessum est.

Vtinam, ne in nemore pelio securibus
Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes,
Neue inde nauis inchoandæ exordium
Cœpisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo', qua uecti argui delecti uiri,
Petebant illam pellem inauratam ariẽtis
Colchis imperio regis peliæ per dolum
Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore sæuo saucia.

Nam hic satis erat dicere, si id modo, qđ esset satis, curasset poëta.

Vtinam, ne hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore sæuo saucia.

Ergo hac quoq; ab ultimo repetitione in expositionibus magnopere superseděndũ est. non enim reprehensione eget, sicut aliæ complures, sed sua sponte uitiosa est. Vitiosa ratio est, quæ ad expositionẽ nõ est accommodata, uel propter infirmitatem, uel propter uanitatem.

Infirma ratio est, quæ non necessario ostendit ita esse, quemadmodum expositum est, uelut apud Plautum.

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immane est facinus, uerum in ætate utile,
Et conducibile=

Hæc expositio est, uideamus quæ ratio afferatur.

=Nam ego amicum hodie meum
Non castigabo pro commerita noxia.

Ex eo, quod ipse facturus est, non ex eo, quod fieri conuenit, utile qd sit, ratiocinatur. Vana ratio est, quæ ex falsa causa cõstat, hoc modo. Amor fugiẽdus non est, nam ex eo uerissima nascitur amicitia, aut

hoc modo.

hoc modo. Philosophia uitanda est. affert enim secordiam, atq; desidiam. Nã hæ rationes, nisi falsæ essent, expositiones quoq; earum ueras esse confiteremur. Item infirma ratio est, quæ non necessariã causam affert expositionis, uelut Pacuuius.

Fortunam insanam esse, et cæcam, & brutam perhibent philosophi,
Saxóq; instare globoso prædicant uolubili.
Ideo quò saxum impulerit, cò cadere fortunam autumant.
Cæcam, ob eam rem iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet,
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisq; sit.
Brutam, quia dignum, atq; indignum nequeat internoscere.
Sunt autem alij philosophi, qui contra fortuna negant
Miseriam esse ullam, sed temeritate omnia regi, id magis
Verisimile aiunt, quod usus re ab se experiundo edocet,
Velut Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est.
Naufragio res contigit. nempe ergo haud fortuna obtigit.

Nã hic Pacuuius infirma ratiõe utitur, cum ait, uerius esse temeritate, quàm fortuna res regi. Nã utraq; opinione philosophorum fieri potuit, ut is, q rex fuisset, mendicus factus esset. Item infirma ratio est, quæ uidetur pro ratione afferri, sed idẽ dicit, quod in expositione dictum est, hoc modo. Magno malo est oĩbus auaritia, ideo, quod homines magnis, & multis incõmodis conflictantur, propter immensam pecuniæ cupiditatẽ. nã hic alijs uerbis idẽ per rationem dicitur, qđ dictum est p expositionẽ. Item infirma ratio est, quæ minus idoneam, q̃ res postulat, causam subijcit expositioni, hoc modo. Vtilis est sapientia, propterea quod qui sapientes sunt, pietatẽ colere consueuerunt. Item utile est amicos ueros habere. habes enim, q̃bus cum iocari possis. nam huiusmodi in rationibus non uniuersali, neq; absoluta, sed extenuata ratione expositio confirmatur. Item infirma ratio est, quæ uel alij expositioni potest accõmodari, ut facit Pacuuius, qui eandem affert rationem, quare cæca, eandem, quare bruta fortuna dicatur. IN Confirmatione rationis multa uitanda in nostra, & obseruanda in aduersariorum ratione sunt uitia; propterea q; diligentius consyderanda sunt, quod accurata confirmatio rationis totam uehementissime comprobat argumentationem. Vtuntur igitur studiosi in confirmanda ratione duplici conclusione, hoc modo.

Iniuria abs te afficior indigna pater,
Nam, si improbum Threspontem existimaueras,
Cur me huic locabas nuptijs? sin est probus,
Cur talem inuitam inuitum cogis linquere?

Quæ hoc modo concludentur, aut ex contrario conuertentur, aut ex simplici parte reprehendentur. Ex contrario, hoc modo.

Nulla te indigna nata afficio iniuria,
Si probus est, bene locaui, sin est improbus,
Diuortio te liberabo incommodis.

Ex simplici parte reprehendentur, si ex duplici conclusione alterutra pars diluitur, hoc modo.

Nam si improbum Threspontem existimaueras,
Cur me huic locabas nuptijs? Duxi probum,
Erraui, post cognoui, & fugio cognitum.

Ergo reprehensio huius conclusionis duplex est, acutior illa superior, facilior hæc posterior ad excogitandum. Item uitiosa est confirmatio rationis, cum ea re, quæ plura significat, abutimur pro certo unius rei signo, hoc modo. Necesse est, quoniam pallet, ægrotasse, aut necesse est peperisse, quoniam sustinet puerum infantem. Nã hæc suæ sponte certa signa nõ habent, si nõ cætera quoq; simulia concurrant, quod si concurrerint, nonnihil huiusmodi signa adaugent suspicionẽ.

Item uitiosum est, cũ uel in aliũ, uel in eum ipsum, qui dicat id, quod in aduersarium dicitur potest conuenire, hoc modo.

Miseri sunt, qui uxores ducunt, at tu duxisti alteram.

Item uitiosum est id, quod uulgarẽ habet defensionem, hoc modo. Iracundia inductus peccauit, aut adolescentia, aut amore. huiusce modi enim deprecationes si probabuntur, impune maxima peccata dilabentur. Itẽ uitiosum est, cũ id pro certo sumitur, quod inter omnes non constat, quia etiam nunc in controuersia est, hoc modo.

Eho tu, dij, quibus est potestas, motus superum, atq; inferum,
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.

Nam ita pro suo iure, hoc exẽplo usum Threspontem Ennius induxit, quasi iam satis certis rationibus ita esse demonstrasset. Itẽ uitiosum est, qđ iã quasi sero, atq; acto negotio dici uidetur, hoc modo. In mentem mihi siueniſſet Quirites, non commisissem, ut hunc in locum res ueniret, nam hoc, aut hoc fecissem, sed me tũ hæc ratio fugit.

Item uitiosum est, cũ id, quod in aperto delicto positum est, tamen aliqua leui tegitur defensione, hoc modo.

Cum te expetebant omnes, florentissimo
Regno reliqui, nunc desertum ab omnibus,
Summo periclo sola ut restituam, paro.

Item uitiosum est, quod aliã in partem, ac dictum sit, potest accipi. id est huiusmodi, ut siqs potens, ac factiosus in cõcione dixerit, Sa

tius est uti regibus, q̃ malis legibus, nã hoc, tameisi rei arguendæ cau sa potest sine malitia dici, tamen propter potentiam eius, qui dicat, non dicatur sine atroci suspicione. Item uitiosum est, *falsis, aut uulgaribus definitionibus uti.* Falsæ *sunt huiusmodi, siquis dicat iniuriã nullam esse, nisi quæ ex pulsatione, aut cõuitio cõstet.* Vulgares *sunt, quæ nihilo minus in aliam rem transferri possunt, ut siquis dicat, quadruplator ut breuiter describam, capitalis est. est enim improbus, et pestifer ciuis. nã nihilo magis quadruplatoris, quàm furis, quàm sicarij, aut proditoris attulit definitionem.* Item uitiosum est, *pro argumẽto sumere, quod in disquisitione positum est, ut siquis quem furti arguat, dicat eum esse hominem improbum, auarum, fraudulentum, ei rei testimoniũ esse, quod sibi furtum fecerit.* Item uitiosum est, *controuersiam, controuersia dissoluere, hoc modo.* Non conuenit censorẽs *istũ uobis satisfacere, ex eo, quod ait, se nõ potuisse adesse, ita ut iuratus fuerat, quod si ad exercitum non uenisset, id'ne tribuno militum diceret? Hoc ideo uitiosum est, quia non expedita, aut iudicata res, sed impedita, & in simili controuersia posita, exempli loco profertur.*

Item uitiosum est, cum id, de quo summa controuersia est, parum expeditur, & quasi transactum sit, relinquitur, hoc modo.

Aperte fatur dictio, si intelligas,
Tali dari arma, qualis, qui gessit, fuit,
Iubet, potiri si studeamus pergamo,
Quæ ego profiteor, esse mea. nam me æquum est frui
Fraternis armis, mihiq; adiudicarier,
Vel quod propinquus, uel quod uirtute æmulus.

Item uitiosum est, ipsum sibi in sua oratione dissentire, & contra ea, quæ antedixerit, dicere, hoc modo.

Qua causa accusem hunc, nequeo exponendo euoluere.
Nam, si ueretur, quid eum accusem, qui est probus?
Sin inuerecundum animi ingenium possidet,
Quid eum accusem, qui id parui auditu existimet?

Non incommoda ratione uidetur sibi ostendisse, quare non accusaret, quid quod postea ait.

Nunc ego te ab summo iam detexam exordio.

Item uitiosum est, quod dicitur contra iudicis uoluntatẽ, aut eorũ, qui audiunt, si aut partes, quibus illi student, aut homines, quos illi cariros habent, lædantur, aut aliquo huiusmodi uitio lædituraudit oris uoluntas. Item uitiosum est, *non omnes res confirmare, quas pollicitus sis in expositione.* Itẽ uerendum est, *ne de alia re dicatur, cũ*

alia de re cõtrouersia sit,inq; huiusmodi uitio cõsyderandũ est,ne aut ad rem addatur quid, aut quippiam de re detrahatur, aut tota causa mutata,in aliam causam deriuetur. Vti apud Pacuuiũ Zethus cum Amphione,quorũ cõtrouersia, cũ de musica inducta sit,disputatio in sapientiæ rationem,& uirtutis utilitatem cõsumitur. Itẽ cõsyderandum est,ne aliud accusatoris criminatio cõtineat, aliud defensoris ratio purget, quod sæpe cõsulto multi ab reo faciunt angustijs causæ coacti. Vti siquis accusetur ambitu magistratum petisse, ab imperatoribus sæpenumero se apud exercitum donatũ esse dicat, Hoc si diligenter in aduersariorũ oratione obseruauerimus,sæpe deprehẽdemus,& in eiusmodi deprehensione ostendemus eos de ea re, qd dicant,non habere. Item uitiosum est,artem,aut scientiã,aut studiũ quodpiã uituperare,propter eorũ uitia,qui in eo studio sunt,uelut q Rhetoricã uituperãt propter alicuius oratoris uituperãdã uitã.

Item uitiosum est,ex eo,quod perperam factum esse cõstet,putare ostendi à quo homine factum est, hoc modo. Mortuum deformatum,tumore præditum,corpore decoloratum cõstat fuisse. Ergo uenẽno necatus est. deide,si sit usqueadeo in eo occupatus,ut multi faciũt, uenenum datum,uitio non mediocri cõflictetur. non enim factũ ne sit,quæritur,sed à quo factum sit. Item uitiosum est,in comparandis rebus alteram rem efferre,de altera mentionem non facere, aut negligentius disputare,ut si comparetur,utrũ satius sit populum frumentum accipere,an nõ accipere,quæ commoda sint,in altera re curet enumerare,quæ in altera re incommoda sint,uelut depressa prætereat,aut ea,quæ minima sunt,dicat. Item uitiosum est,in rebus comparandis necesse putari,alteram rem uituperari,cum alterã laudes,quod genus,si quæratur, utris maior honor habendus sit, Albensibus,an Vegentinis,quod reip. & populo R. profuerunt,& is,qui dicat alteris alteros lædat. Non enim necesse est,si alteros præponas,alteros uituperare. fieri enim potest, ut cum alteros magis laudaris, aliquã alteris partem laudis attribuas, ne cupide pugnasse contra ueritatem puteris. Item uitiosum est,de nomine,et uocabulo eius rei controuersiam struere,quam rem consuetudo optime potest iudicare, uelut Sulpitius, qui interesserat,ne exules,quibus causam dicere nõ licuisset,reducerentur. Idem posterius immutata uoluntate,cum eandem legem ferret,aliam sese ferre dicebat propter nominũ commutationem. nam non exules,sed ui eiectos se reducere aiebat,proinde quasi id fuisset in controuersia, quo illi nomine appellarentur à populo R. aut proinde quasi non omnes,qbus aqua,& igni interdictũ

est, exules appellẽtur. Verum illi fortasse ignoscimus, si cum causa fecit. nos tamen intelligamus uitiosum esse intendere controuersiã propter nominum mutationem. Quoniam exornatio constat ex similibus, & exemplis, & amplificationibus, iudicatis rebus, & cæteris, quæ pertinent ad exaggerandam, & collocupletandam argumentationem, quæ sint his rebus uitia consyderemus. Simle uitiosum est, quod ex aliqua parte dissimule est, nec habet parem rationem comparationis, aut sibiipsi obest, qui affert. Exemplum uitiosum est, si aut falsum est, ut reprehendatur, aut si improbum, ut non sit imitandũ, aut maius, aut minus, q̃ res postulabit. Res iudicata uitiose profertur, si aut dissimli de re proferatur, aut de ea re, de qua controuersia non est, aut si improba, aut eiusmodi, ut aut plures, aut magis idoneæ res iudicatæ ab aduersarijs proferri possint. Item uitiosum est id, quod aduersarij factum esse confiteantur, de eo argumentari, et planum facere factum esse. nam id tantum augeri oportet. Item uitiosum est, id augere, quod conuenit doceri, hoc modo. Vt si quis, quẽ arguat hominem occidisse, et ante, quàm satis idoneas argumentationes attulerit, augeat peccatum, et dicat, nihil indignius esse, quàm hominẽ occidere. nõ enim utrum indignum sit, an non, sed factum'ne sit, quæritur. Complexio uitiosa est, quæ non ut quicq; primum dictum est, primum cõplectitur, & quæ non breuiter concluditur, & quæ non ex enumeratione certum, et constans aliquid relinqt, ut intelligatur, quid propositũ in argumentatione sit, quid deinde ratione, q̃d cõfirmatione, q̃d tota argumentatiõe demonstratũ sit. CONCLVsiones, quæ apud græcos ἐπίλογοι nominantur, tripartitæ sunt. nam constant ex enumeratione, amplificatione, & cõmiseratione, In quatuor locis uti possumus conclusionibus. In principio. secundũ narrationem. secundum firmissimam argumentationem. in conclusione.

Enumeratio est, per quam colligimus, & commonemus, quibus de rebus uerba fecerimus, breuiter, ut renouetur, nõ redintegretur oratio, & ordine, quicquid erit dictum, referemus, ut auditor, si memoriæ mandauerit, ad id, quod ipse memunerit, reducatur. Itẽ curãdum est, ne aut ab exordio, aut à narratione repetatur orationis enumeratio. Ficta enim, et dedita opera cõparata oratio uidebitur esse, artificij significãdi, aut ingenij uẽditandi, uel memoriæ ostentandæ causa, quapropter uitiũ enumerationis sumendũ est à diuisiõe. deinde ordine breuiter exponẽdæ sunt res, quæ tractatæ erunt in cõfirmatione, et confutatione. Amplificatio est res, quæ p locum cõmunem instigationis auditorũ causa sumitur. Loci cõmunes ex decẽ præ-

æptis cõmodissime sumuntur adaugendi criminis cãusa. Primus locus sumitur ab authoritate, cũ cõmemoramus, quantæ curæ ea res fuerit dijs immortalibus, aut maioribus nostris, regibus, ciuitatibus, nationibus, hominibus sapientissimis, senatui. Itẽ maxime quo modo de his rebus in legibus sancitum sit. Secundus locus est, cũ consyderamus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant, utrum ad omnes, quod atrocissimũ est, an ad superiores, quod genus hi sunt, a' quibus authoritatis locus cõmunis sumitur, an ad pares, hac est in eisdẽ partibus animi, cõporis, fortunarũ positos, an ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur. Tertius locus est, quo peruncta mur, quid sit euenturum, si omnibus idem cõcedatur, & ea re neglecta, ostendemus, quid periculorum, aut incõmodorũ cõsequatur.

Quartus locus est, quo demonstratur, si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc expectatio iudicij remoratur. Quintus locus est, per quem ostendimus, si semel aliter iudicatum sit, nullam rem fore, quæ incõmodo mederi, aut erratum iudicium cõrigere possit, quo in loco non incõmodum erit, uti cæterarum rerum cõparatione, ut ostendamus alias res posse aut uetustate sedari, aut cõsilio cõrigi, huius rei aut leniendæ, aut cõrigendæ nullã rem adiumento futuram. Sextus locus est, cum ostendemus ex consulto factum, & dicemus uoluntario facinori nullã esse excusationem, sed imprudentiæ iustam deprecationem paratã. Septimus locus est, quo ostendemus tetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse, quod genus, iniuriæ mulierum, aut earum rerum aliquid, quarum rerum cãusa, bella suscipiuntur, & cum hostibus de uita dimicatur. Octauus locus est, quo ostendimus, non uulgare, sed singulare esse maleficium, spurcum, nefarium, inusitatum, quo maturius, & atrocius uindicandum sit. Nonus locus cõstat ex peccatorum cõparatione, quasi cum dicemus, maius esse maleficium stuprare ingenuam, quàm sacrum lædere, quod propter egestatem alterũ, alterum propter intemperantem superbiam fiat. Decimus locus est, p quem omnia, quæ in negotio gerendo acta sunt, quæq; rem consequi solent, exponemus acriter, & criminose, & diligenter, ut agi res, et geri negotium uideatur rerum consequentium enumeratione. Miseri cordia commouebitur auditoris animus, si uariam fortunarum cõmutationem dicemus. si ostendemus, in quibus cõmodis fuimus, quibusq; in incõmodis simus comparatione. si quæ nobis futura sint, nisi cãusam obtinuerimus, enumerabimus, & ostendemus. si supplicabimus, & nos sub eorum, quorum misericordiam captabimus, po-

testatem subijciemus. siquid nostris parentibus, liberis, cæteris necessarijs casurum sit propter nostras calamitates, aperiemus, et simul ostendemus, illorum nos solicitudine, & miseria, non nostris incommodis dolere. si de clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios usi sumus, aperiemus. si nos semper, aut diu in malis fuisse, ostendemus. si nostrum fatum, aut fortunam conqueremur. si animum nostrum fortem, patientem incommodorum ostendemus futurum.

Commiserationem breuem eē oportet. Nihil enim lachryma citius aresçit. Ferè locos obscurissimos totius artificij tractauimus in hoc libro, qua propter huic uolumni modus hic sit. reliquas præceptiones, quoad uidebitur, in tertium librum transferemus. Hæc si, ut conquisite conscripsimus, ita tu diligenter fueris consecutus, & nos industriæ fructus ex tua scientia capiemus, & tute nostram diligentiam laudabis, tuáq; perceptione lætabere, tu scientior eris præceptorum artificio, nos alacriores ad reliquum persoluendum. Verum hæc futura satis scio. te enim non ignoro. sed nos deinceps ad cætera præcepta transeamus, ut quod libentissime facimus, tuæ uoluntati rectissime morem geramus.

RHETORICORVM AD C. HERENNIVM LIBER TERTIVS.

DOMNEM iudicialem causam quemadmodū conueniret inuentionem rerum accommodari, satis abundanter, ut arbitror, superioribus libris demonstratum est. Nunc earum rationem rerum inueniendarum, quæ pertinebant ad causas deliberatiuas, et demonstratiuas, in hunc librum transtulimus, ut omnis inueniendi præceptio tibi quā primū persoluerctur. Reliquæ quatuor partes erāt artificij. De tribus partibus in hoc libro dicemus, dispositione, pronūtiatione, & memoria. De elocutione, quia plura dicenda uidebantur, in quarto libro conscribere maluimus, quem, ut arbitror, tibi librū celeriter absolutum mittemus, neqd tibi rhetoricæ artis deesse possit. Interea prima quæq; & nobiscum, cum uoles, et interdum sine nobis legendo consequere, nequid impediare, quin ad hāc utilitatem pariter nobiscum progredi possis. Nunc tu fac, ut attentum te præbeas, nos proficisci ad instituta pergemus. DELIBE rationes partim sunt huiusmodi, ut quæratur, utrum potius faciendum sit, partim hu

iusmodi, ut quid potissimum faciendum sit, considderetur. Vtrũ potius hoc modo. Carthago tollenda, an relinquenda uideatur. Quid potissimum, hoc pacto, ut si Annibal consultet, cum ex Italia Carthaginem accersitur, an in Italia remaneat, an domũ redeat, an in Aegyptum profectus, occupet Alexandriam. Item deliberationes partim ipsæ propter se consultandæ sunt, ut si deliberet senatus, captiuos ab hostibus redimat, an nõ, partim propter aliquam extraneam causam ueniunt in deliberationem, & consultationem, ut si deliberet senatus, bello italico soluat' ne legibus Scipionem, ut eum licèat ante tẽpus consulẽ fieri, partim & propter se sunt deliberandæ, & magis propter extraneam causam ueniunt in consultationem, ut si deliberet senatus, bello italico socijs ciuitatẽ det, an nõ. In quibus causis rei natura faciet deliberationem, omnis ratio ad ipsam rẽ accommodabitur. In quibus extranea causa confiet deliberationem, in his ea ipsa erit causa adaugenda, aut deprimenda. Omnem orationẽ eorũ, qui sententiã dicent, finem sibi conueniet utilitatis proponere, ut omnis ad eam totius orationis ratio conferatur. Vtilitas in duas partes in ciuili consultatione diuiditur, tutam, & honestam. Tuta est, quæ confiat instantis, aut consequentis periculi uitationem qualibet ratione. Hæc distribuitur in uim, & dolum, quorum aut alterum separatim, aut utrunq; sumemus coniuncte. Vis secernitur ꝑ exercitus, classes, arma, tormenta, euocationes hominum, & alias huiusmodi res.

Dolus consumitur in pecuniam, pollicitationes, dissimulationes, maturationes, mentitiones, & cæteras res, de quibus magis idoneo tempore loquemur, siquando de re militari, aut de administratione rei pub. scribere uelimus, Honesta res diuiditur in rectum, & laudabile. Rectum est, quod cum uirtute, & officio fit. id diuiditur in prudentiam, iustitiam, fortitudinem, modestiam. Prudentia est calliditas, quæ ratione quadam potest delectum habere bonorum, & malorũ. Dicitur item prudentia scientia cuiusdam artificij. Item applicatur prudentia multarum rerum memoria, & usus compluriũ negotiorũ. Iustitia est æquitas, ius unicuiq; tribuens pro dignitate cuiusq;. Fortitudo est rerum magnarum appetitio, & rerum humiliũ contemptio, & laboris cum utilitatis ratione perpessio. Modestia est in animo continens moderatio cupiditatum. Prudentiæ partibus utemur in dicendo, si commoda cũ incommodis conferemus, cum alterum sequi, uitare alterũ cohortemur, aut siqua in re cohortabimur aliquem, cuius rei alquam disciplinabilem scientiam poterimus habere, et quomodo, aut qua ꝙdq; ratione fieri oporteat, ostẽdemus.

demus. Aut si suadebimus quippiam, cuius rei gestæ aut præsentem, aut auditam memoriam poterimus habere qua in re facile id, quod uelimus, exemplo allato persuadere possimus. Iustitiæ partibus utemur, si aut innocentum, aut supplicum misereri dicemus oportere. Si ostendemus, bene merentibus gratiam referri conuenire. Si demonstrabimus, ulcisci malemeritos oportere. Si fidem magnopere censebimus conseruandam. Si leges, & mores ciuitatis egregie dicemus seruari oportere. Si societates, atq; amicitias studiose dicemus coli conuenire. Si quod ius in parentes, deos, patriã natura cõparauit, id religiose colendum demonstrabimus. Si hospitia, clientelas, cognationes, affinitates caste colendas esse dicemus. Si nec precæ, nec pretio, nec gratia, nec piculo, nec simultate à uia recta ostendemus deduci oportere. Si dicemus in omnibus æquabile ius statui cõuenire. His, atq; huiusmodi partibus iustitiæ siquã rẽ in contione, aut in concilio faciendã censebimus, iustã esse ostendemus, contrarijs, iniustam, ita fiet, ut eisdẽ locis, & ad suadendũ, & ad dissuadendũ simus parati. Sin fortitudinis retinendæ causa faciendũ quid esse dicemus, ostendemus res magnas, & excelsas seq, & appeti oportere, & itẽ res humiles, & indignas uiris fortibus uiros fortes propterea cõtemnere oportere, nec idoneas dignitate sua iudicare. Itẽ à nulla re honesta piculi, aut laboris magnitudine deduci oportere, antiquiorẽ mortẽ turpitudine haberi, nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur, nullius pro rei ueritate metuere inimicitias, quodlibet pro patria, parentibus, hospitibus, amicis, & ijs rebus, quas iustitia colere cogit, adire periculũ, & quemlibet suscipere laborem. Modestiæ partibus utemur, si nimias libidines honoris, pecuniæ, simliumq; rerũ uituperabimus. si unanquanq; rem certo naturæ termino definiemus. si deniq; qđ cuiq; satis sit, ostendemus, & nimium progredi dissuadebimus, & modum unicuiq; rei statuemus. Huiusmodi partes sunt uirtutis, amplificandæ, si suadebimus, attenuandæ, si ab his dehortabimur, ut hæc attenuentur, quæ supra demonstraui. nam nemo erit, q̃ censeat à uirtute recedẽdum, uerum aut res huiusmodi non dicatur esse, ut uirtutem possimus egregiam experiri, aut in contrarijs potius rebus, quàm in his uirtus cõstare ostendatur. Item, siquo pacto poterimus, quam is, qui contra dicet, iustitiam uocarit, nos demonstrabimus ignauiam esse, & inertiã, ac prauam liberalitatem. Quam prudentiã appellarit, ineptam, & garulam, & odiosam scientiam esse dicemus. Quam ille modestiam dicet esse, eam nos inertiam, & dissolutam negligentiam dicemus. Quam ille fortitudinem nominarit, eam nos gladiatoriã, et incon-

ſyderatam appellabimus temeritatem. Laudabile eſt, quod confi-
cit honeſtam, & præſentem, & conſequentem commemorationẽ. hoc
nos eo à recto ſeparauimus, non quod hæ quatuor partes, quæ ſubij-
ciuntur ſub uocabulo recti, hãc honeſtatis commemorationẽ dari nõ
ſoleant, ſed, quanquam ex recto laudabile naſcatur, tamen in dicẽdo
ſeorſum tractandum eſt hoc ab illo. neq; enim ſolum laudis cauſa re
ctum ſequi conuenit, ſed, ſi laus conſequitur, duplicatur recti appetẽ=
di uoluntas. Cum igitur erit demonſtratum rectum, laudabile eſſe de
monſtrabimus, aut ab idoneis hominibus, ut ſi qua res honeſtiori or-
dini placeat, quæ à deteriore ordine improbetur, aut aliquibus ſocijs,
aut omnibus ciuibus, exteris nationibus, poſteriſq; noſtris. Cũ huiuſ
modi locorũ diuiſio ſit in conſultatione, breuiter aperienda eſt totius
tractatio cauſæ. Exordiri licebit uel à principio, uel ab inſinuatio
ne, uel ijſdem rationibus, quibus in iudiciali cauſa. Si cuius rei nar-
ratio incidet, eadem ratione narrari oportebit. Quoniam in huiuſ
modi cauſis finis eſt utilitas, & ea diuiditur in rationẽ tutam, atq;
honeſtam, ſi utrunq; poterimus oſtendere, utrunq; pollicebimur nos in
dicendo demonſtraturos eſſe. ſin alterum demonſtraturi erimus, ſim=
pliciter quod dicturi ſumus, oſtendemus. At ſi noſtram rationem tu-
tã eſſe dicemus, diuiſione utemur in uim, & conſiliũ. Nã quod in do-
cendo rei dilucidandæ cauſa dolum appellauimus, id in dicendo ho
neſtum conſilium appellabimus. Si rationis noſtræ ſententiam rectã
eſſe dicemus, & omnes partes recti incident, quadripartita diuiſione
utemur, ſi non incident, quot erunt, tot exponemus in dicendo. In con
firmatione, & confutatione utemur locis, quos ante oſtendimus no=
ſtris cõfirmandis, contrarijs confutandis. Argumentatiõis artificioſæ
tractandæ ratio de ſecundo libro petetur. Sed, ſi acciderit, ut ĩ conſul
tatione alteri ab tuta ratione, alteri ab honeſta ſententia ſit, ut ĩ de-
liberatione eorum, qui à pœnis arcunſeſſi deliberant, quid agant.

Qui tutam rationem ſequi ſuadebit, his locis utetur, nullam rem
utiliorem eſſe incolumitate, uirtutibus uti nemnem poſſe, qui ſuas ra
tiones in tuto non collocarit, nec deos quidem eſſe auxilio ijs, qui ſe
inconſulto in periculum mittant. Honeſtum nihil oportere exiſtima
ri, quod nõ ſalutem pariat. Qui tutæ rei præponet rationem hone
ſtam, his locis utetur, uirtutem nullo tempore relinquendam, uel do-
lorẽ, ſi is timeatur, uel mortem, ſi ea formidetur, dedecore, & infamia
leuiorem eſſe, conſyderare, quæ ſit turpitudo conſecutura. at non im
mortalitatem, neq; æternam incolumitatem conſeq, nec eſſe explora-
tum illo uitato periculo, nullum in aliud periculũ uenturos, uirtute,

uel ultro

uel ultro ad mortem profiscâ, esse præclarum. fortitudini fortunam quoq; esse adiumento solere. eum tute uiuere, qui honeste uiuat, non qui in præsentia incolumis sit, & eum, q turpiter uiuat, incolumem in perpetuum esse non posse. Conclusionibus ferè simulibus in his, & iudicialibus causis uti solemus, nisi quod his maxime conducit, quamplurima rerum ante gestarum exempla proferre. Nunc ad demonstratiuum genus causæ transeamus.

VONIAM hæc causa diuiditur in laudē, et uituperationem, qbus ex rebus laudē constituerimus, ex contrarijs rebus erit uituperatio cōparanda. Laus igitur potest esse rerū externarū, & corporis, & animi. Rerū externarū sunt ea, quæ casu, aut fortuna secūda, aut aduersa accidere possunt, ut genus, educatio, diuitiæ, potestates, gloriæ, ciuitates, amicitiæ, et quæ huiusmodi sunt, et ea, quæ his sunt contraria. Corporis sunt ea, quæ natura corpori attribuit cōmoda, aut incōmoda, ut uelocitas, uires, dignitas, ualetudo, et quæ cōtraria sunt. Animi sunt ea, quæ cōsilio, et cogitatiōe nostra cōstant, ut prudētia, iustitia, fortitudo, modestia, et quæ cōtraria sunt. Erit igitur hæc cōfirmatio, et cōfutatio nobis. in huiusmodi igitur causa principiū sumetur, aut ab nostra, aut ab eius, de quo loquemur, aut ab eorū, q audiēt, psona, aut ab re. Ab nostra, si laudabimus, dicemus aut officio facere, qđ causa necessitudinis intercēdat, aut studio, quod eiusmodi uirtutis sit, ut omnes cōmemorare debeant uelle, aut qđ rectū sit ex aliorū laude ostendere, qualis noster animus sit. Si uituperabimus, aut merito facere, quod ita tractati sumus, aut studio, q utile putemus esse ab omnibus unicā malitiā, atq; neqtiā cognosci, aut qđ placeat ostēdi, qd nobis displiceat ex aliorū uituperatione. Ab eius psona, de quo loquemur, si laudabimus, dicemus, uereri nos, ut illius facta uerbis cōsequinō possimus, oēs homines illius uirtutes prædicare oportere, ipsa facta omniū laudatorū eloquētiā anteire. Si uituperabimus, ea, quæ uidebimus cōtraria paucis uerbis cōmutatis dicta posse, dicemus, ut paulo ante supra exēpli causa demonstratū est. Ab auditorū psona, si laudabimus, dicemus, quoniam nō apud ignotos laudemus, nos monendi causa pauca esse dicturos, aut si erunt ignoti, ut talē uirū uelint cognoscere petemus, quoniam in eodē uirtutis studio sint, apud quos laudemus, quo ille, qui laudatus fuerit, sperare nos facile ijs, qbus uelimus, huius facta probaturos. Cōtraria uituperatio, quoniā norint, pauca de neqtia eius nos esse dicturos, qđ si ignorent, petemus, ut cognoscāt, uti malitiā uitare possint, quoniā dissimules sunt, qui audiant, atq; ille, qui uituperatur, nos

ſperare illius uitam uehementer improbaturos. Ab rebus ipſis, incertos eſſe quid potiſſimum laudemus, uereri, ne cum multa dixerimus, plura prætereamus, & quæ ſimiles ſententias habebunt, quibus ſententijs contraria ſumuntur à uituperatione. Principio tractato, tum ab re, tum ab aliqua harum, quas ante commemorauimus, rationum, narratio non erit ulla, quæ neceſſario conſequatur, ſed, ſiqua inciderit, cum aliquod factum eius, de quo loquemur, nobis narrandum ſit cum laude, aut uituperatione, præcepto narrandi de primo libro repetetur. Diuiſione hac utemur, primo exponemus quas res laudaturi ſumus, aut uituperaturi, deinde ut quæq; quo'ue tẽpore res erit geſta, ordine dicemus, ut, qd, quamq; tute, cauteq; egerit, intelligatur. Sed exponere oportebit animi uirtutes, aut uitia, deinde cómoda, aut incõmoda corporis, aut rerũ externarũ, quomodo ab animo tractata ſint, demonſtrare. Ordinem hũc adhibere in demonſtranda uita debemus. Ab externis rebus, genus in laude, qbus maioribus natus ſit, ſi bono genere, parẽ, aut excelſiorẽ fuiſſe, ſi humili genere, ipſum in ſuis, non in maiorũ uirtutibus habuiſſe præſidium. In uituperatione, ſi bono genere, dedecori maioribus fuiſſe, ſi malo, tamen his ipſis detrimento fuiſſe. Educatio in laude, bene & honeſte, in bonis diſciplinis per omnem pueritiam. in uituperatione, è contrario. Deinde tranſire oportet ad corporis commoda. A natura in laude, ſi ſit dignitas, atq; forma, laudi fuiſſe eam, non quemadmodũ cæteris detrimento, atq; dedecori. Si uires, atq; uelocitas egregia, honeſtis hæc exercitationibus, & induſtrijs dicemus comparata. Si ualetudo ex ꝑpetua diligentia, & temperantia cupiditatum. In uituperatione, ſi erunt hæc corporis commoda, his male uſum dicemus, quæ caſu, & natura tanquam qlibet gladiator habuerit. Si non erunt, præter formã omnia ipſius culpa, et intemperantia nõ fuiſſe dicemus. Deinde reuertemur ad extraneas res, et in his animi quæ uirtutes, aut quæ uitia fuerint, conſyderabimus, diuitiæ, an paupertas fuerit, & quæ poteſtates, quæ gloriæ, quæ amicitiæ, quæ inimicitiæ, & quid fortiter in inimicitijs gerendis fecerit, cuius cauſa ſuſceperit inimicitias, qua fide, beneuolẽtia, officio geſſerit amicitias. In diuitijs qualis, aut in paupertate cuiuſmodi fuerit, quemadmodum habuerit in poteſtatibus gerendis animum. Si interierit, cuiuſmodi mors eius fuerit, cuiuſmodi res mortẽ eius ſit conſecuta. Ad omnes autem res, in qbus animus hominis maxime conſyderatur, illæ uatuor animi uirtutes erunt accommodandæ, utſi laudemus, aliud iuſte, aliud fortiter, aliud modeſte, aliud prudenter factum eſſe dicamus. Si uituperemus, è cõtrario. Perſpicuũ eſt

iam nimirũ

iam nimirū ex hac dispositione, quemadmodū sit tractanda tripartita diuisio laudis, & uituperationis, si illud etiam assumpserimus, nó necesse esse nos omneis has partes in laudē, aut uituperationē trā ferre, propterea quod sæpe ne incidunt quidem, sæpe ita tenuiter incidūt, ut nō sint necessariæ dictu. Qua propter eas parteis, quæ firmissimæ uidebuntur, legere oportebit. Conclusionibus breuibus utemur, enumeratione ad exitū causæ. in ipsa causa crebras, et breueis amplificationes interponemus p locos communes, nec hoc genus causæ, eo quod raro accidit in uita, negligentius consyderandū est. neq; enim id, quod potest accidere, ut faciendū sit aliquando, non oportet uelle quàaccommodatissime posse facere. Et si separatim hæc causa minus sæpe tractatur, at in iudicialibus, & in deliberatiuis causis sæpe magnæ partes uersantur laudis, aut uituperationis. quare in hoc quoq; genere causæ nonnihil industriæ conferendū putauimus. Nūc absoluta nobis difficillima parte rhetoricæ, hoc est inuentione perpolita, atq; ad omne causæ genus accommodata, tempus est ad cæteras parteis proficisci. Deinceps igitur de dispositione dicemus.

QVONIAM dispositio est, per quam illa, quæ inuenimus, in ordinem redigimus, ut certo quidq; loco pronuntietur, uidendū est, cuiusmodi rationē in disponendo habere conueniat. Genera dispositionis sunt duo, unū ab institutione artis profectū, alterū ad casum temporis accommodatū. Ex institutione artis disponemus, cum sequemur eā præceptionē, quam in primo libro exposuimus, hoc est, ut utamur principio, narratione, diuisione, cōfirmatione, cōfutatione, cōclusione, & hunc ordinē, quemadmodū præceptū est, ante in dicendo sequemur. Itē ex institutiōe artis nó modo totas causas p orationē, sed singulas quoq; argumentationes disponemus, quemadmodū in secundo libro docuimus. ideſt expositionem, rationem, confirmationem rationis, exornationē, complexionem. Hæc igitur duplex dispositio est, una per orationes, altera p argumentationes ab institutione artis profecta. Est autem alia dispositio, quæ, cū ab ordine artificioso recedendū est, oratoris iudicio ad tempus accommodatur, ut si à narratiōe dicere incipiamus, aut ab aliqua firmissima argumentatione, aut à literarū aliquarū recitatione, aut si secundum principiū cōfirmatione utamur, deinde narratione, aut siquā huiusmodi permutationem ordinis faciamus, quorū nihil, nisi causa postulet, fieri oportebit. Nā si uehementer aures auditorū obtusæ uidebuntur, atq; animi defatigati ab aduersarijs multitudine uerborū, cōmode poterimus principio supersedere, & exordiri causam, aut à

narratione,aut ab aliqua firma argumentatione.deinde,si cõmodũ erit,quia non semper necesse est,ad principij sententiam reuerti licebit.Si causa nostra magnam difficultatem uidebitur habere,ut nemo æquo animo principiũ possit audire , a narratione cum incœperimus,ad principij sententiã reuertamur licebit. Si narratio parum probabilis est,exordiemur ab aliqua firma argumentatiõe.His commutationibus,& translationibus partiũ sæpe uti necesse est, cũ ipsa res artificiosam dispositionẽ artificiose comminutare cogit.In confirmatione, & confutatione argumentationũ dispositiones huiusmodi conuenit habere,firmissimas argumentatiões in primis, & in postremis causæ partibus collocare,mediocres,& neq; inutiles ad dicendũ,neq; necessarias ad probandũ,quæ si separatim,ac singulæ dicantur , infirmæ sunt,cum cæteris coniunctæ,firmæ,& probabiles fiunt,interponi,& in medio collocari oportet.Nam & re narrata,statim expectat animus auditoris,ex quare causa confirmari possit,qua propter continuo firmam aliquam oportet inferre argumentationem.Et quoniam nuperrime dictũ facile memoriæ mandatur,utile est, cũ dicere desinamus,recentẽ aliquã relinquere in animis auditorũ bene firmã argumentationẽ.Hæc dispositio locorũ, tanq; instructio militũ,facillime in dicendo , sicut illa in pugnando , parere poterit uictoriam.

PRONVNTIATIONEM multi maxime oratori utilem dixerunt esse,& ad persuadendum plurimũ ualere.nos qd unũ de quinq; rebus plurimũ prosit,nõ facile dixerimus, nec egregie magnam esse utilitatem in pronuntiatione audacter confirmauerimus.Nam commodæ inuentiões,& concinnæ uerborũ elocutiones,& partium causæ artificiosæ dispositiones,& horũ omnũ diligens memoria sine pronuntiatiõe,non plusquã sine his rebus pronuntiatio sola ualere poterit . Quare,qa nemo de ea re diligenter scripsit.nã omnes uix putarũt posse de uoce,& uultu,gestu,dilucide scribi,cũ hæ res ad sensus nostros pertinerent,& quia magnopere ea pars à nobis ad dicendum comparanda est , nõ negligenter uidetur tota res cõsyderanda.Diuiditur igitur pronuntiatio in uocis figurã, & corporis motum.Figura uocis est,quæ suũ quendã possidet habitum ratione, & industria cõparatum.Ea diuiditur in treis partes, magnitudinem,firmitudinem,mollitudinem.Magnitudinem uocis maxime comparat natura,nonnihil hãc auget,sed maxime cura conseruat.Firmitudinẽ uocis maxime natura comparat,nonnihil adauget, & maxime conseruat exercitatio declamationis.Mollitudinem uocis, hoc est,ut eã torquere ro nostro commodo possimus, maxime facit

exercitatio

exercitatio declamationis. Quapropter de magnitudine uocis, et firmitudinis parte, quoniã altera natura, altera cura cõparatur, nihil ad nos attinet cõmonere, nisi ut ab ijs, qui non inscij sunt eius artificij, ratio curandæ uocis petatur. De ea parte firmitudinis, quæ cõseruatur ratione declamationis, & de mollitudine uocis, quæ maxime necessaria est oratori, quoniam ea quoq; moderatione declamationis cõparatur, dicendũ uidetur. Firmá igitur quãmaxime poterimus in dicendo uocẽ conseruare, si quammaxime sedata, & depressa uoce principia dicemus, nã læduntur arteriæ, si ante, quã leni uoce pmulsæ sunt, acri clamore cõpleantur. Et interuallis longioribus uti cõueniet, recreatur enim uox spiritu, et arteriæ retinendo acquiescũt. & continuum clamorẽ remittere, et ad sermonem trãsire oportet, Commutationes enim faciunt, ut nullo genere uocis effuso, in omni uoce integri simus. et acutas uocis exclamationes uitare debemus, ictus enim fit, & uulnerantur arteriæ acuta, atq; attenuata nimis acclamatione, & siquis splendor est uocis, consumitur clamore uniuersus. & uno spiritu cuntinenter multa dicere in extrema conuenit oratione, fauces enim calefiunt, et arteriæ cõplentur, & uox, quæ uarie tractata est, reducitur in quendã sonum æquabilem, atq; cõstantem. Sæpe rerum naturæ gratia quædãiure debetur, uelut accidit in hac re. Nam, quæ diximus ad uocẽ seruandã prodesse, eadem attinent ad suauitatem pronuntiationis, ut quod nostræ uoci prosit, idẽ uoluptate auditoris probetur. utile est ad firmitudinem uocis sedata uox in principio. quid insuauius, quàm clamor in exordio causæ? interualla uocẽ confirmant, eadem sententias concinniores diuisione reddunt, & auditori spatium cogitandi relinquunt. Cõseruat uocem continui clamoris remissio, & auditorẽ qdem uarietas maxime delectat, cum sermone animum eius retinet, aut exsuscitat clamore. Acuta exclamatio uocẽ, et fauces uulnerat, cadẽ lædit auditorem. habet enim quiddã illiberale, et ad muliẽbrem potius uociferationem, quàm ad uirilẽ dignitatem in dicẽdo accõmodatum. In extrema oratione cõtinens uox remedio est uoci, qd hæc eadẽ, non ne animum uehementissime calefacit auditoris in totius cõclusione causæ? Quoniã igitur res eadem uocis firmitudini, & pronuntiationis suauitudini prosunt, de utraq; resimul erit in præsentia dictum, de firmitudine, quæ uisa sunt, et de suauitate, quæ coniuncta fuerunt, cætera suo loco paulo post dicemus. Mollitudo igitur uocis, quoniam omnis ad rhetoris præceptionem pertinet, diligentius nobis consyderanda est. eam diuidimus in sermonem, contentionem, amplifica-

tionem. Sermo est oratio remissa, & finitima quotidianæ locutioni. Contentio est oratio acris, & ad cõfirmandum, & cõfutandum accommodata. Amplificatio est oratio, quæ aut ad iracundiam inducit, aut ad misericordiam trahit auditoris animum. Sermo diuiditur in partes quatuor, dignitatem, demonstrationem, narrationem, iocationem. Dignitas est oratio cum aliqua grauitate, & uocis remissione. Demonstratio est, quæ docet remissa uoce quo modo quid fieri potuerit, aut non potuerit. Narratio est rerum gestarum, aut perinde, ut gestarum expositio. Iocatio est oratio, quæ ex aliqua re risum pudentem, & liberalem potest cõparare. Contentio diuiditur in cõtinuationẽ, & distributionem. Continuatio est orationis enuntiandæ accelerata clamosa. Distributio est in contentione oratio frequens cũ raris, & breuibus interuallis acri uociferatione. Amplificatio diuiditur in cohortationẽ, & conquestionem. Cohortatio est, quæ aliquod peccatum amplificans, auditorem ad iracundiã adducit. Conquestio est oratio, quæ incommodorum amplificatione animum auditoris ad misericordiam perducit. Quoniam igitur mollitudo uocis in treis partes diuisa est, & hæ partes ipsæ in octo partes alias distributæ, harum octo partium, quæ cuiusq; idonea pronuntiatio sit, demonstrandum uidetur. Sermo cum est in dignitate, plenis faucibus quam sedatissima, & depressissima uoce uti conueniet, ita tamen, ut ne ab oratoria consuetudine ad tragicam transeamus. Cum autem est in demonstratione, uoce paululum attenuata, crebris interuallis, et diuisionibus oportet uti, ut ipsa pronuntiatiõe eas res, quas demonstrabimus, inserere, atq; intersecare uideamur in animos auditorum. Cum autẽ sermo in narratione est, tum uocum uarietate opus est, ut quo quidq; pacto gestum sit, ita narrari uideatur. Strenue quod uolumus ostendere factum, celeriuscule dicemus, at aliud otiose retardabimus. deinde modo acriter, tum clementer, mœste, hilariter in omneis partes cõmutabimus, ut uerba, ita pronuntiationem. Si qua inciderint in narratione dicta, roguta, responsa, siquæ admirationes, de qbus nos narrabimus, diligẽter animaduertemus, ut omniũ personarũ sensus, atq; animos uoce exprimamus. Sin erit sermo in iocatione, leniter tremebunda uoce cũ parua significatione risus, sine ulla suspicione nimiæ cachinnationis, leniter oportebit à sermone serio torquere ad liberalem iocũ uocẽ. Cũ autẽ contendere oportebit, quoniã id, aut p continuationẽ, aut p distributionẽ faciendũ est, in continuatione adaucto mediocriter sono uocis, uerbis cõtinuãdis, uocẽ quoq; adaugere oportebit, et torquere sonũ, et celeriter cũ clamore uerba cõficere, ut uim

uolubilem

uolubilem orationis uociferatio consequi possit. In distributione uocē ab imis faucibus exclamatione quamclarissima adhibere oportet, et quantum spatij per singulas exclamationes sūmpserimus, tantum in singula interualla spatij consumere iubemur. In amplificationibus, cum cohortatione utemur uoce attenuatissima, clamore leni, sono æquabili, cōmutationibus crebris, maxima celeritate. In conquestione utemur uoce depressa, inclinato sono, crebris interuallis, longis spatijs, magnis cōmutationibus. De figura uocis satis dictum est, nunc de corporis motu dicendū uidetur. Motus est corporis gestus, et multus moderatio quædā, quæ probabiliora reddit ea, quæ pronuntiantur. Conuenit igitur in uultu pudorem, & acrimoniam esse. In gestu nec uenustatem conspiciendam, nec turpitudinem esse, ut aut histriones, aut operarij uideamur esse. Ad easdem igitur partes, in quas uox est distributa, motus quoq; corporis ratio uidetur esse accōmodanda. Nam si erit sermo cum dignitate stantes in uestigio, leui dexteræ motu loqui oportebit, hilaritate, tristitia, mediocritate uultus ad sermonis sententias accommodata. Sin erit in demonstratione sermo, paulum corpus a' ceruicibus demittemus. Nam hoc est a' natura datum, ut quamproxime tum uultum admoueamus ad auditores, siquam rē docere eos, & uehementer instigare uelimus. Sin erit in narratione sermo, idē motus poterit idoneus esse, qui paulo ante demonstrabatur in dignitate. Sin erit in iocatione, uultu quandam debebimus hilaritatem significare sine commutatione gestus. Sin contendemus p̄ continuationem, brachio celeri, mobili uultu, acri aspectu utemur. Sin contentio fiet per distributionē, celeri porrectione brachij, inambulatione, pedis dextri rara supplosione, acri, et defixo aspectu uti oportet. Sin utemur amplificatione per cohortationem, paulo tardiore, & consideratiore gestu conueniet uti, simulibus cæteris rebus, atq; in contentione p̄ continuationem. Sin utemur amplificatione per conquestionem, fœmineo plangore, & capitis ictu, nonnunquam sedato, & constanti gestu, mœsto, & conturbato uultu uti oportebit. Non sum nescius, quantum susceperim negotij, qui motus corporis exprimere uerbis, & imitari scriptura conatus sum uoces. Verum nec hoc confisus sum posse fieri, ut de his rebus satis commode scribi posset, nec si id fieri non posset, hoc, qđ fieri, fore inutile putabā, propterea qđ hic admonere uoluimus, qd oporteret, reliqua trademus exercitationi. Hoc tamen scire oportet pronuntiationem bonam id p̄ficere, ut res ex animo agi uideatur. Nunc ad thesaurum inuentorum, atque omniū partium rhetoricæ custodem memoriam transeamus.

MEMORIA utrum habeat quiddã artificij, an omnis a natura proficiscatur, aliud dicẽdi tẽpus magis idoneũ dabitur. Nunc pinde atq; cõstet in hac re multũ ualere artem, & præceptionẽ, ita de ea re loquemur. Placet.n.nobis esse artificiũ memoriæ, quare placeat, aliãs ostẽdemus, in præsentia cuiusmodi sit ea, aperiemus. Sunt igitur duæ memoriæ, una naturalis, altera artificiosa. Naturalis est ea, quæ nostris animis insita est, & simul cũ cogitatione nata. Artificiosa est ea, quã cõfirmat inductio quædã, et ratio præceptionis. Sed, qa in cæteris rebus ingenij bonitas imitatur sæpe doctrinã, ars porro naturæ cõmoda cõfirmat, et auget. ita fit in hac re, ut nõnunquã naturalis memoria, sicui data est egregia, similis sit huic artificiosæ. porro hæc artificiosa naturæ cõmoda retinet, et amplificat ratiõe doctrinæ. Quapropter et naturalis memoria præceptione cõfirmãda est, ut sit egregia, et hæc, quæ doctrina datur, indiget ingenij. Nec hoc magis, aut minus in hac re, quàm in cæteris artibus fit, ut ingenio, doctrina, præceptiõe, natura uiteſcat. Quare et illis, q natura memores sunt, utilis hæc erit institutio, qd tute paulo post poteris itelligere, etsi illi freti igenio, nostra præceptiõe nõ idigerent, tamen iusta causa daretur, quare ijs, q minus igenij habẽt, adiumẽto uelimus esse. nũc de artificiosa memoria loquemur. Cõstat igitur artificiosa memoria ex locis, et imaginibus. Locos appellamus eos, q breuiter, pfecte, insigniter aut natura, aut manu sunt absoluti, ut eos facile naturali memoria cõprehẽdere, et amplecti queamus, ut ædes, intercolumniũ, angulũ, fornicẽ, et alia, quæ his simlia sunt. Imagines sunt formæ quædã, et notæ, et simulachra eius rei, quã meminisse uolumus, qd genus, equi, leones, aqlæ, quorũ memoriã si uolemus habere, imagines eorũ certis in locis collocare nos oportebit. Nunc cuiusmodi locos iuenire, et quo pacto reperire, et in locis imagines cõstituere oporteat, ostẽdemus. Quẽadmodũ igitur q literas sciũt, possunt id, qd dictũ est, scribere, et recitare, qd scripserũt, ita q mnemonica didicerũt, possunt quæ audierũt in locis collocare, et ex his memoriter pronũtiare. Loci.n. cæræ, aut chartæ simillimi sunt. imagines literis. dispositio, et collocatio imaginũ scripturæ, pronũtiatio lectioni. Oportet igitur, si uolumus multa memminisse, multos nobis locos cõparare, ut in multis locis multas imagines collocare possimus. Item putamus oportere ex ordine hos locos habere, nequãdo pturbatiõe ordinis ipediamur, quo secius quoto quoq; loco libebit, uel a supiore, uel ab iferiore, uel ab media pte imagines seq, ea, quæ mãdata locis erũt, dere, & proferre possimus. Nã, ut si in ordine stantes notos quã plu-

res uiderimus, nihil nostra interſit, utrũ à ſummo, an ab imo, an ab medio nomina eorum dicere incipiamus, item in locis ex ordine collocatis eueniet, ut in quãlibet partem quoto quoq; loco libebit imaginibus commoniti dicere poſſimus id, quod locis mandauerimus. Quare placet & ex ordine locos cõparare, & locos, quos aſſumpſerimus, egregie commeditari oportebit, ut ꝑpetuo nobis hærere poſſint. Nam imagines, ſicut literæ delentur, ubi nihil illis utimur, loci tanquã cera remanere debent. Et, ne forte in numero locorũ falli poſſimus, ꝙntũ quẽq; locũ placet notari, quod genus, ſi in quinto loco manum aureã collocemus, & ſi in decimo aliquẽ notũ, cui prænomen ſit Decimo, deinde facile erit ſimules notas ꝙnto quoq; loco collocare. Itẽ cõmodius eſt in derelicta, quàm in celebri regiõe locos cõparare. propterea qđ frequentia, & obambulatio hominum conturbat, & infirmat imaginum notas. Solitudo conſeruat integras ſimulachrorum figuras. Præterea diſſimiles forma, atq; natura loci comparandi ſunt, ut diſtincte interlucere poſſint. nã ſiquis multa itercolumnia ſumpſerit, conturbabitur ſimilitudine locorum, ut ignoret, quid in quoquo loco collocarit, & magnitudine modica, & mediocres locos haberi oportet. Nam & præter modum ampliuagas imagines reddunt, & nimis anguſti ſæpe non uidentur poſſe capere imaginum collocationem. Tum nec nimis illuſtres, nec uehementer obſcuros locos haberi oportet, ne aut obcæcentur tenebris imagines, aut ſplendore præfulgeant. Interualla locorum mediocria placet eſſe ferè paulo plus, aut minus pedũ tricenũ. nam ut aſpectus, ita cogitatio minus ualet, ſiue nimis procul amoueris, ſiue uehementer propè admoueris id, qđ oportet uideri. Sed quã quã facile eſt ei, qui paulo plura exploraũerit, quamuis multos, & idoneos locos comparare, tamen, ſiquis ad iſta ſatis idoneos inuenire ſe non putabit, ipſe ſibi conſtituat, quàm uolet multos licebit. Cogitatio enim, quamuis regionem poteſt amplecti, & in ea ſitum loci cuiuſdam ad ſuũ arbitrium fabricari, & architectari. Quare licebit, ſi hac prompta copia contenti non erimus, noſmetipſos nobis cogitatione noſtra regionem conſtituere, & idoneorum locorum commodiſſimam diſtinctionem comparare. De locis ſatis dictum eſt, nunc ad imaginum rationem tranſeamus. Quoniam ergo rerum ſimiles imagines eſſe oportet, & ex omnibus uerbis notas nobis ſimilitudines eligere debemus, duplices ſimilitudines eſſe debent, unæ rerum, alteræ uerborum. Rerum ſimilitudines exprimuntur, cum ſummatim ipſorum negotiorum imagines comparamus. Verborum ſimilitudines conſtituuntur, cum uniuſcuiuſq; nominis, & uoca-

buli memoria imagine notatur. Rei totius memoriam ſæpe una nota, et imagine ſimplici comprehendemus, hoc modo. Vt ſi accuſator dixerit ab reo hominem ueneno necatum, & hæreditatis cauſa factũ arguerit, & eius rei multos dixerit teſtes, & conſcios eſſe. Si hoc primũ, ut ad defendendũ nobis expeditũ ſit, memniſſe uolemus, in primo loco rei totius imaginem conformabimus. ægrotum in lecto cubantem faciemus ipſum illum, de quo agetur, ſi formam eius detinebimus, ſi eũ non agnouerimus, aliquem ægrotum nó de minimo loco ſumemus, ut cito in mentẽ uenire poſſit, & reũ ad lectũ eius adſtituemus, dextra poculũ, ſiniſtra tabulas, medico teſticulos arietinos tenentẽ. Hoc modo & teſtiũ, & hæreditatis, & ueneno necati memoriam habere poterimus. Item deinceps cætera crimina ex ordine in locis ponemus, & quotieſcunq; rẽ memniſſe uolemus, ſi formarum diſpoſitione, & imaginũ diligenti notatióe utemur, facile ea, quæ uolemus, memoria conſequemur. Cũ uerborũ ſimilitudines imaginibus exprimere uolemus, plus negotij ſuſcipiemus, & magis ingeniũ noſtrũ exercebimus, id nos hoc modo facere oportebit. Iã domi ultionẽ reges Atridæ parant. in loco conſtituere oportet manus ad cœlũ tollẽtem Domitiũ, cum à regibus martijs loris cædatur. Hoc erit iã domi ultionem reges. In altero loco Aeſopum, & Cimbrũ ſubornare Iphigeniam, Agamemnonem, & Menelaũ, hoc erit Atridæ parant. hoc modo omnia uerba eruut expreſſa. Sed hæc imaginum conformatio tum ualet, ſi naturalẽ memoriã exſuſcitauerimus hac notatióe, ut uerſu poſito, ipſi nobiſcũ primũ tranſeamus bis, aut ter eũ uerſum, deinde cum imaginibus uerba exprimamus, hoc modo naturæ ſuppeditabit doctrina, nã utraq; altera ſeparata munus erit firma, ita tamen, ut multo plus in doctrina, atq; arte præſidij ſit, quod docere non grauaremur, ni metueremus, ne, cum ab inſtituto noſtro recęſſiſſemus, munus commode ſeruaretur hæc dilucida breuitas præceptionis. Nũc, quoniã ſolet accidere, ut imagines partim firmæ, & ad monẽdũ idoneæ ſint, partim imbeciles, & infirmæ, quæ uix memoriam poſſint excitare, qua de cauſa utrũq; fiat, conſyderandũ eſt, ut cognita cauſa, quas uitemus, & quas ſequamur imagines, ſcire poſſimus. Docet igitur nos ipſa natura, qd oporteat fieri. nã ſiquas res inuita uidemus paruas, uſitatas, quotidianas, eas memniſſe nõ ſolemus, propterea quod nulla, niſi noua, aut admirabili re commouetur animus, at ſiqd uidemus, aut audimus egregie, turpe, aut honeſtum, inuſitatum, magnum, incredibile, ridiculum, id diu memniſſe conſueuimus.

Itaque quas res ante ora uidemus, aut audimus, obliuiſcimur

plerunq; quæ acciderũt in pueritia, memuinimus optime ſæpe, nec hoc alia de cauſa poteſt accidere, niſi quod uſitatæ res facile è memoria elabuntur, inſignes, & nouæ manent diutius. Solis exortus, curſus, occaſus nemo admiratur, propterea qđ quotidie fiunt, at eclipſis ſolis mirantur, quia raro accidunt, et ſolis eclipſis magis mirantur, quàm lunæ, quoniam hæ crebriores ſunt. Docet ergo, ſe natura uulgari, et uſitata re non exſuſcitari, nouitate uero, & inſigni quodam negotio cõmoueri. Imitetur igitur ars naturã, & quod ea deſyderat, inueniet, ſi quod oſtendit, ſequatur. Nihil eſt enim, quod aut natura extremum inuenerit, aut doctrina primum, ſed rerũ principia ab ingenio profecta ſunt, et exitus diſciplina comparantur. Imagines igitur nos in eo genere conſtituere oportebit, quod genus in memoria manere diutiſſime poteſt. id accidet, ſi quammaxime notas ſimilitudines conſtituemus, ſi non mutas, nec uagas, ſed aliquid agentes imagines ponemus, ſi egregiã pulchritudinem, aut unicam turpitudinẽ eis attribuemus, ſi aliqua re exornabimus, ut ſi coronis, aut ueſte purpurea, quo nobis notior ſit ſimilitudo, aut ſiquare deformabimus, ut ſi cruentam, aut cœno oblitam, aut rubrica delibutã inducamus, quo magis inſignita ſit forma, aut ſi ridiculas res aliquas imaginibus attribuamus. Nã ea res quoq; faciet, ut facilius memniſſe poſſimus. nam quas res ueras facile memnimus, eaſdẽ fictas, & diligenter notatas memniſſe nõ eſt difficile. ſed illud facere oportebit, ut identidẽ primos quoſq; locos imaginum renouandarũ cauſa celeriter animo peurramus. Scio pleroſq; græcos, qui de memoria ſcripſerunt, feciſſe, ut multorũ uerborũ imagines conſcriberent, uti q eas ediſcere uellent, paratas haberent, nequid in quærẽdo conſumerent operæ, quorũ rationẽ aliquot de cauſis improbamus. primũ, quod in uerborũ innumerabiliũ multitudine ridiculum ſit mille uerborũ imagines comparare. Quantulum enim poterunt hæc ualere, cũ ex infinita uerborũ copia modo aliud, modo aliud nos uerbũ memniſſe oportebit? deinde, cur uolumus ab induſtria quenquã remouere, ut nequid ipſe quærat, cum nos illi oĩa parata, quæſitaq; tradamus? præterea ſimilitudine alia alius magis cõmouetur. nam, ut ſæpe formam ſiquam ſimilẽ cuipiã dixerimus eſſe, non omnes habemus aſſenſores, qđ alij uidetur aliud, ita fit in imaginibus, ut quæ nobis diligenter notæ ſint, eæ parum uideantur inſignes alijs. Quare ſibi quenq; ſuo commodo conuenit imagines comparare. Poſtremo præceptoris eſt docere, quemadmodum quæri quidq; conueniat, aut unum aliquod, aut alterum, non omnia, quæ eius generis erũt, exẽpli cauſa ſubijcere, quo res poſſit eſ-

se dilucidior, ut cum de proœmijs quærendis disputamus, rationem damus quærendi, non mille proœmiorũ genera conscribimus, ita arbitramur de imaginibus fieri conuenire. Nunc, ne forte uerborũ memoriam aut nimis difficilem, aut parũ utilem arbitreris, et ipsarum memoria rerũ contentus sis, quod & utiliores sint, & plus habeant facilitatis, ammonendus es, quare uerborũ memoriam non improbemus. Nã putamus oportere eos, q̃ uelint res faciliores sine labore, et molestia facile memminisse, in rebus difficilioribus esse ante exercitatos. Nec nos hanc uerborũ memoriã inducimus, ut uersus memminisse possimus, sed ut hac exercitatione illa rerũ memoria, quæ pertinet ad utilitatẽ, confirmetur, ut ab hac difficili consuetudine sine labore ad illã facilitatem transire possimus. Sed cum in omni disciplina infirma est artis præceptio sine summa assiduitate exercitationis, tum uero in mnemonicis minimum ualet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligẽtia comprobetur. quamplurimos locos ut habeas, & quammaxime ad præcepta accommodatos curare debebis. In imaginibus collocandis exercœri quotidie conueniet. non enim, sicut in cæteris studijs, abducimur nonnunquã occupatione, ita ab hac re nos potest causa deducere aliqua. Nunquã est enim, quin aliquid memoriæ tradere uelimus, & tum maxime, cũ aliquo maiore negotio detinemur. Quare, cũ sit utile facile memminisse, nõ te fallit, quod tantopere utile sit, quanto labore sit appetendũ, quod poteris existimare utilitate cognita. Pluribus uerbis ad eã te hortari non est sententia, ne aut tu nostro, aut nos tuo studio diffidere, aut minus, quàm res postulat, dixisse uideamur. De qnta parte rhetoricæ deinceps dicemus, tu primas quasq; partes in animo frequẽta, et, qđ maxime necesse ẽ, exercitatiõe cõfirma.

RHETORICORVM AD C. HERENNIVM LIBER QVARTVS.

QVONIAM in hoc libro C. Herenni de elocutione conscripsimus, & qbus in rebus opus fuit exemplis uti, nostris exẽplis usi sumus, & id fecimus præter consuetudinem græcorũ, qui de hac re scripserunt, necessario faciendũ est, ut paucis rationẽ nostri cõsilij demus. Atq; hoc nos necessitudine facere, nõ studio, satis erit signi, quod in superioribus libris nihil neq; ante rẽ, neq; præter rẽ locuti sumus. Nũc, si paucæ, quæ res postulat, dixerimus, tibi id, qđ reliquũ

est artis, ita, uti instituimus, ꝓsoluemus. Sed facilius nostram rationẽ intelliges, si prius quid illi dicant, cognoueris. Compluribus de causis putant oportere, cum ipsi præceperint, quo pacto oporteat ornare elocutionem, uniuscuiusq; generis ab oratore, aut poëta probato sumptum ponere exemplum. Et primum se id modestia commotos facere dicunt, propterea quod uideatur esse ostentatio quædam, nó satis habere præcipere de artificio, sed ipsos etiam uideri uelle artificiose gignere exempla, hoc est inquiunt ostentare se, non artem ostendere. Quare pudor in primis est ad cã rẽ impedimento, ne nos solos probare, nos amare, alios contemnere, & deridere uideamur. Etenim, cũ possimus ab Ennio sumptum, aut a Graccho ponere exemplum, uidetur esse arrogantia, illa relinquere, & ad sua deuenire. Præterea, exẽpla testimoniorũ locũ obtinent. Id enim, quod ammonuerit, & leuiter fecerit præceptio, exemplo, sicut testimonio cõprobatur. Non igitur ridiculus sit, siquis in lite, aut in iudicio, domestico pugnet, & sui ipsius testimonio abutatur? ut enim testimonium, sic exemplum rei cõfirmandæ causa sumitur. Non ergo oportet hoc, nisi a probatissimo sumi, ne, quod aliud confirmare debeat, egeat ipsum confirmationis. etenim necesse est, aut se omnibus anteponant, & sua maxime probẽt, aut negent optima esse exempla, quæ a probatissimis oratoribus, aut poëtis sumpta sunt. Si se omnibus anteponant, intolerabili arrogantia sunt, siquos sibi præponant, & eorũ exempla suis exemplis non putent præstare, nó possint dicere, quare sibi illos anteponãt. Quid igitur ipsa authoritas antiquorum? Nã tum res probabiliores, tum hominum studia ad imitandum alacriora reddit. immo erigit omniũ cupiditates, & acuit industriã, cum spes iniecta est posse imitando Gracchi, aut Crassi consequi facultatem. Postremo hoc ipsum est summũ artificiũ res uarias, et dispares in tot poematibus, & orationibus sparsas, & uage disiectas, ita diligenter eligere, ut unũquodq; genus exemplorũ sub singulos artis locos subijcere possis. Hoc si industria solum fieri posset, tamen essemus laudandi, cum talem laborem non fugissemus. nunc uero sine summo artificio non potest fieri. Quis est enim qui non, cum summe teneat artem, possit ea, quæ iubeat ars, de tanta, & tam diffusa scriptura notare, & separare? Cæteri, cum legunt orationes bonas, aut poemata, probant oratores, & poëtas, neque intelligunt, quare commoti probent, quod scire non possunt ubi sit, nec quid sit, nec quomodo factum sit id, quod eos maxime delectet. At is, qui & hæc omnia intelligit, & idonea maxime eligit, & omnia in arte maxime scribenda, redigit in singulas

rationes præceptionis, necesse est eius rei summus artifex sit. Hoc igitur ipsum maximũ artificiũ est, in arte sua posse & alienis exẽplis uti. Hæc illi cum dicunt, magis nos authoritate sua commouent, quàm ueritate disputationis. Illud enim ueremur, necui satis sit ad contrariam rationem probandam, quod ab ea steterint ij, qui & inuentores huius artificij fuerunt, & uetustate iam satis omnibus probati sunt. quod si illorũ authoritate remota, res omnes uolent cum re comparare, intelligent, non omnia esse cõcedenda antiquitati. Primum igitur quod ab eis modestia dicatur, uideamus ne nimium inutiliter, & pueriliter proferatur. Nam, si tacere, & nihil scribere modestia est, cur quicquam scribunt, aut loquuntur? Sin aliqd suum scribũt, cur, quo secius omnia scribant, impediuntur modestia? Quasi si quis ad olympiacum uenerit cursum, & steterit, ut mittatur, impudentiusq; illos dicat esse, q currere cœperint, ipse intra carcerẽ stet, & narret alijs quomodo Ladas, aut Boius cum Sicyonijs cursitarint. Sic isti, cum in artis curriculũ descenderũt, illos, qui in eo, qđ est artificij, elaborẽt, aiunt facere immodeste. ipsi aliquem antiquum oratorem, aut poëtã laudant, aut scripturam, sic ut in stadiũ rhetoricæ artis prodire nõ audeant. Non ausim dicere, sed tamen uereor, nequa in re laudẽ modestiæ uenentur, in ea ipsa re sint impudentes. Quid enim tibi uis aliqs inquiet? artem tuã scribis, gignis nobis nouas præceptiones, eas ipse confirmare non potes, ab alijs exempla sumis, uide ne facias impudenter, qui tuo nomni uelis ex aliorum laboribus libare laudẽ. Nam, si eorum uolumina prehenderint antiqui oratores, & poëtæ, & suum quisq; de libris suis tulerint, nihil istis, quod suum uelint, relinquetur. At exempla, quoniã testimoniorũ simulia sunt, item conuenit ut testimonia ab homnibus probatissimis sum. Primũ omnium exempla ponuntur hic non confirmandi, neq; testificandi causa, sed demonstrandi. Non enim, cum dicamus esse exornationẽ, quæ uerbi causa constet ex simuliter desinentibus uerbis, & ponimus hoc exẽplũ à Crasso, quod possumus, & debemus, testimonium collocamus, sed exemplum. Hoc igitur interest inter exemplũ, & testimonium. Exemplo demonstratur id, quod dicimus cuiusmodi sit. Testimonio esse illud ita, ut nos dicimus, confirmatur. Præterea oportet testimoniũ cum re conuenire. aliter enim rem non potest confirmare. at id, qđ illi faciunt, cum re nõ conuenit. Quid ita? qa pollicentur artẽ se scribere, & exempla proferunt ab ijs plerunq;, qui artem nescierũt. tũ quis est, qui possit id, quod de arte scripserit, comprobare? nisi aliquid scribat ex arte, contráq; faciunt, quàm polliceri uidentur. nam cum

scribere

ſcribere artem inſtituunt, uidentur dicere ſe excogitaſſe, quod alios docerent. cum uero ſcribunt, oſtendunt nobis, quid alij excogitarint. At hoc ipſum eſt difficile, inquiunt, eligere de multis. q̃d dicitis difficile? utrũ laborioſum, an artificioſum? Si laborioſum, non ſtatim præclarũ. Sunt enim multa laborioſa, quæ ſi faciatis, nõ continuo gloriemini, niſi etiam, ſi ueſtra manu fabulas, aut orationes totas tranſcripſiſſetis, glorioſum putaretis, ſin autem iſtud, artificium egregium dicitis, uidete, ne inſueti rerum maiorũ uideamini, ſi uos parua res, ſicuti magna delectat. Nam iſto modo eligere rudis quidem nemo poteſt, ſed ſine ſummo artificio multi. Quiſquis enim audierit de arte paulo plus, i elocutione præſertim, omnia uidere poterit, quæ ex arte dicuntur, facere nemo poterit, niſi eruditus. Ita ut, ſi de tragœdijs Ennij uelis ſentẽtias eligere, aut de pacuuianis periodos, ſed q̃a planè rudis id facere nemo poterit, cũ feceris, te literatiſſimũ putes, ineptus ſis, propterea quod id facile faciat quiuis mediocriter literatus. Itẽ ſi cum ex orationibus, aut poëmatibus elegeris exempla, quæ certis ſignis artificij notata ſunt, quia rudis id nemo facere poſſit, artificioſiſſime te feciſſe putes, erras, propterea quod iſto ſigno uidemus te nõ nihil eius ſcire, aliis ſignis te ſcire multa intelligimus. Quod ſi artificioſum eſt intelligere, quæ ſunt ex arte ſcripta, multo eſt artificioſius ipſum ſcribere ex arte. qui enim ſcribit artificioſe, ab alijs commode ſcripta facile intelligere poterit, qui eliget facile, nõ continuo ipſe cõmode ſcribit, & ſi eſt maxime artificioſum, alio tempore utantur ea facultate, non tum, cum parere ipſi, & gignere, & proferre debent. poſtremo in eo uim artificij cõſumant, ut ipſi ab alijs potius eligendi, quàm aliorum boni electores exiſtimentur contra ea, quæ ab ijs dicuntur, qui dicunt alienis ſe exemplis uti oportere, ſatis eſt dictũ. Nũc quæ ſeparatim dici poſſint, cõſyderemus. dicimus ergo eos omnes, ideo quod alienis utantur, peccare, tum etiam magis delinquere, quod à multis exempla ſumant, & de eo, q̃d poſtea diximus, ante uideamus. Si cõcederem aliena oportere aſſumere exempla, uincerẽ unius oportere. Primũ, quod contra hoc nulla ſtaret eorũ ratio. licèret enim eligerent, & probarent quemlibet, q̃ ſibi in omnes res ſuppeditaret exempla, uel poëtã, uel oratorem, cuius authoritate niterẽtur. Deinde intereſt magni eius, q̃ diſcere uult, utrum unũ omnia, an omnia neminem, ſed aliud alium putet conſequi poſſe. Si enim putabit poſſe omnia penes unum conſiſtere, ipſe quoq; ad omnium nitetur facultatem, ſi id deſperarit, in paucis ſe exercebit, ipſis etiam contentus erit, nec mirum, cum ipſe præceptor artis omnia penes unum

reperire nõ potuerit. allatis igitur exemplis à Catone, à Gracchis, à Lælio, à Scipione, Galba, Porcina, Crasso, Antonio, cæterisq; , item sumptis alijs à poëtis, & historiarũ scriptoribus, necesse erit eum, q discet, ab omnibus putare omnia, ab uno pauca uix potuisse sumi. Quare se unius alicuius esse simulem satis habebit, omnia, quæ omnes habuerint, solũ habere se posse diffidet. ergo inutile est ei, q discere uult, putare non unum omnia posse. igitur nemo in hanc incidet opinionẽ, si ab uno exempla sumpsissent. nũc hoc signi est ipsos artis scriptores non putasse unum potuisse in omnibus elocutionis partibus enitere, quoniã neq; sua protulerunt, neq; unius alicuius, aut de niq; duorum, sed ab omnibus oratoribus, & poëtis exempla sumpserunt. Deinde, siquis uelit artem demonstrare, nihil prodesse ad discendum, non male utatur hoc adiumento, quod unus omnes artis partes consequi nemo potuerit. Quod igitur iuuat horum rationem, qui omnino improbent artem, id non ridiculum est, ipsum scriptorem artis suo iudicio comprobare? ergo ab uno sumenda fuisse docuimus exempla, si semper aliunde sumerentur. Nunc omnino aliunde sic intelligemus sumenda non fuisse. Primum omniũ, quod ab artis scriptore affertur exemplum, de eius artificio debet esse, nõ, ut siquis purpuram, aut aliud quippiam uendens, dicat sume à me, sed huius exemplum aliunde rogabo, tibiq; ostendam. Si merces ipsi, q uenditant, aliũde exemplum quæritent alind meras, æruos se dicant tritici habere, & eorum exemplum pugno non habeant, quod ostendant. Si Triptolemus, cum omnibus semen largiretur, ipse ab alijs hominibus id mutuaretur, aut si Prometheus, cum mortalibus ignem diuidere uellet, ipse à uicinis cum testa ambulans, carbunculos corrogaret, non ridiculum uideretur? Ista magistri omnium dicendi præceptores non uidentur sibi ridicule facere, cum id, quod alijs pollicentur, ab alijs quærunt. Si, qui se fontes maximos penitus absconditos aperuisse dicat, & hæc sitiens quammaxime loquatur, neq; habeat quo sitim sedet, nõ irrideatur? Isti, cum non modo dominos se fontiũ, sed se ipsos fontes esse dicant, & omnium rigare debeant ingenia, nõ putant fore ridiculum, si cum id pollicẽantur alijs, arescant ipsi siccitate. Chares à Lisippo statuas facere non isto modo didicit, ut Lisippus caput ostenderet Mironis, bracchia Praxitelis, pectus Polycleti, sed omnia coràm magistrum facientem uidebat, cæterorũ opera, uel sua sponte consyderare poterat. Isti credunt eos, qui hæc uelint discere, alia ratione doceri posse commodius. Præterea, nec possunt quidem ea, quæ sumuntur ab alijs exempla, tam esse accommodata ad artem,

tem, quàm propria, propterea quod in dicendo leuiter unusquisq; locus plerunq; tangitur, ne ars appareat. In præcipiendo, expresse conscripta ponere oportet exempla, ut in artis formam conuenire possint, & post in dicendo, ne possit ars eminere, & ab omnibus uideri, facultate oratoris occultatur. Ergo etiam, ut magis ars cognoscatur, suis exemplis melius est uti. Postremo hæc quoq; res duxit nos ad hanc rationem, quod nomina rerum græca, quæ conuertimus, ea remota sunt à consuetudine. Quæ enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata. Ergo hæc asperiora primo uideantur, necesse est, idq; fiet rei, non nostra difficultate. Reliquum scripturæ consumetur in exemplis. hæc aliena si posuissemus, factum esset, ut quod commodius esset in hoc libro, id nostrum non esset. Quod asperius, & inusitatum, id proprie nobis attribueretur. Ergo hanc quoq; incommoditatem fugimus. His de causis, cum artis inuentionem græcorum probassemus, exemplorum rationem secuti non sumus. Nunc tempus postulat, ut ad elocutionis præcepta trãseamus. Bipartita erit igitur nobis elocutionis præceptio. Primum dicemus, qubus in generibus semper omnis oratoria elocutio debeat esse. Deinde ostendemus quas res semper habere debeat.

VNT igitur tria genera, quæ nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non uitiosa consumitur, unam graue, alteram mediocrem, tertiam extenuatam uocamus. Grauis est, quæ constat ex uerborum grauium magna, & ornata constructione. Mediocris est, quæ cõstat ex humiliore, neq; tamen ex infima, & peruulgatissima uerborum dignitate. Attenuata est, quæ demissa est usq; ad usitatissimam puri consuetudinem sermonis.

In graui consumetur oratio figura, si, quæ cuiusq; rei poterunt ornatissima uerba reperiri, siue propria, siue translata, ad unamquãq; rem accommodabuntur, & si graues sententiæ, quæ in amplificatione, & cõmiseratione tractantur, eligentur, & si exornationes sententiarũ, aut uerborum, quæ grauitatem habebunt, de qbus post dicemus, adhibebuntur. In hoc genere figuræ erit hoc exemplum. Nam quis est uestrum iudices, qui satis idoneam possit in eã pœnam excogitare, q prodere hostibus patriam cogitarit? quod maleficium cum hoc scelere comparari? quod huic maleficio dignum supplicium potest inueniri? In ijs, qui uiolassent ingenuam, matremfamilias constuprassent, pulsassent aliquem, aut postremo necassent, maximа supplicia maiores nostri consumpserunt, huic truculentissimo, ac nefario sicario singularem pœnam non reliquerunt. Atque

in alijs maleficijs ad ſingulos,aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruẽnit.huius ſceleris qui ſunt affines uno cõſilio,uniuerſis ciuibus,atrociſſimas calamitates machinantur.O feros animos.O crudeles cogitationes.O derelictos ab humanitate homines.Quid agere auſi ſunt,aut cogitare potuerunt?Quo pacto hoſtes reuulſis maiorum ſepulchris,deiectis mœnibus,ouantes irruerent in ciuitatem?quo modo deũm ſpoliatis templis,optimatibus trucidatis,alijs arreptis in ſeruitutem,matribus familias,& ingenuis ſub hoſtilem libidinẽ ſubiectis,urbs acerbiſſimo concidat incendio conflagrata?qui ſe nõ putant id,quod uoluerint,ad exitum pduxiſſe,niſi ſanctiſſimæ patriæ miſerandum ſcelerati uiderint cinerem?Nequeo uerbis conſequi iudices indignitatem rei,ſed negligentius id fero,quia uos mei nõ indigetis. Veſter enim uos animus amantiſſimus reip.facile edocet,ut eum,qui fortunas omnium uoluerit prodere,præcipitem perturbetis ex ea ciuitate,quam iſte ſpurciſſimorum hoſtium domnatu nefario uoluerit obruere. In mediocri figura uerſabitur oratio,ſi hæc,ut ante dixi,aliquantulũ demiſerimus,neq; tamen ad infimum deſcenderimus, ſic. Quibus cum bellum gerimus iudices,uidetis,cum ſocijs,q pro nobis pugnare,& imperium noſtrum nobiſcum ſimul uirtute,& induſtria conſeruare ſoliti ſunt.Hi cum ſe,& opes ſuas,& copiam neceſſariorũ norunt,tum uero nihilo minus propter propinquitatẽ, et omniũ rerum ſocietatem,quid in omnibus rebus populus R.poſſet, ſcire,& æſtimare poterant.Hi,cum deliberaſſent nobiſcum bellũ gerere,quæſo,quæ res erat,qua freti bellum ſuſcipere conarentur?cum multo maximam ſociorum partem in officio manere intelligerent,cũ ſibi non multitudinem militum,non idoneos imperatores,non pecuniam publicam præſtò eſſe uiderent,non deniq; ullam rẽ, quæ res ptinet ad bellum adminiſtrandum. Si cum finitimis de finibus bellũ gererent,ſi totum certamen in uno prælio poſitum putarent, tamen omnibus rebus inſtructiores,ac paratiores uenirent,nedum illud imperium orbis terræ,cui imperio omnes gentes,reges,nationes,partim ui,partim uoluntate conſenſerunt,cum aut armis,aut liberalitate à populo R.ſuperati eſſent,ad ſe transferre tantulis uiribus conarentur. Quæret aliquis, quid Fregellani,non ſua ſponte conati ſunt?Eo quidem minus iſti facile conarentur,quo illi, quemadmodũ deſciſſent,uidebant.Nam rerum imperiti,qui uniuſcuiuſq; rei de rebus ante geſtis exempla petere non poſſunt,ij per imprudentiam facile deducuntur in fraudem.At ij,qui ſciunt quid alijs acciderit,facile ex aliorum euentibus ſuis rationibus poſſunt prouidere. Nulla

igitur

igitur re inducti, nulla spe freti arma sustulerunt? Quis hoc credat, tantam amentiam quenquam tenuisse, ut imperium populi R. tentare auderet nullis copijs fretus? Ergo aliquid fuisse necesse est. qd aliud, nisi id, quod dico, potest esse? In attenuato figuræ genere, quod ad infimum, & quotidianum sermonem demissum est, hoc erit exemplum. Nã, ut forte hic in balneas uenit, cœpit, postquã perfusus est, defricari. Deinde, ubi uisum, ut in alueum descenderet, cæ ibi iste de transuerso, heus inquit adolescens, pueri tui modo me pulsauerũt, satisfacias oportet. hic, qui id ætatis ab ignoto præter consuetudinem appellatus esset, erubuit. Iste clarius eadem, & alia dicere cœpit. hic uix tandem inquit, sine me considerare. Tum uero iste cœpit uoce clamare ista, quæ facile cuiuis rubores ejcere posset, ita petulans es, atq; acer, ut ne ad solarium quidem idoneus, ut mihi uidetur, sed penes scenam, & in eiusmodi locis exercitus sis? conturbatus est adolescens, nec mirum, cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas uersarentur imperito eiusmodi conuitiorum. Vbi enim iste uidisset scurram ex hausto rubore, qui se putaret nihil habere, quod de existimatione perderet, ut omnia sine famæ detrimento facere posset? Igitur genera figurarum ex ipsis exemplis intelligi poterunt. Erit enim & attenuata uerborum constructio quædam. Et item alia in grauitate, alia posita in mediocritate. Est autem cauendum, ne, dum hæc genera consectemur, in finitima, & propinqua uitia ueniamus. Nam graui figuræ, quæ laudanda est, propinqua est ea, quæ fugienda est, quæ recte uidebitur appellari, si suffulta nominabitur. Nam ita, ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur sæpe, ita grauis oratio sæpe imperitis uidetur ea, quæ turget, & inflata est, cum aut nouis, aut priscis uerbis, aut duriter aliunde translatis, aut grauioribus, quàm res postulat, aliquid dicitur, hoc modo. Nam qui perduellionibus uenditat patriam, non satis supplicij dederit, si præceps in neptunias depultus erit lacunas. Pœnitet igitur istum, qui montes belli fabricatus est, campos sustulit pacis. In hoc genus plerique cum declinassent, & ab eo, quo profecti sunt, aberrauerunt, & specie grauitatis fallũtur, nec prospicere possunt orationis tumorem. Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si peruenire eo non potuerũt, errantes perueniunt ad confine genus eius generis, quod appellamus fluctuans, & dissolutum, eo quod sine neruis, & articulis fluctuat huc, & illuc, nec potest confirmare, nec uiriliter sese expedire. id est huiusmodi. Socij nostri, cum belligerare nobiscum uellent, profecto ratiocinati essent etiam, atque etiam, quid possent facere, siquidem

sua sponte facerent, & non haberent hinc adiutores multos, & malos homines, & audaces. Solent *enim diu cogitare omnes, q magna negotia uolunt agere.* Non *potest huiusmodi sermo tenere attentũ auditorem. diffluit enim totus, neq; quicquam comprehendens perfectis uerbis amplectitur. Qui non possunt in illa facetissima uerborũ attenuatione commode uersari, ueniunt ad aridum, & exangue genus orationis, qđ non alienũ est exile nominari, cuiusmodi est hoc.* Nam *istic ad balneas accessit, ad hunc postea dixit, hic tuus seruus me pulsauit, postea dixit hic illi, cõsyderabo, post ille conuitiũ fecit, et magis, magisq; præsentibus multis clamauit.* Friuolus *hic qdem iã, & illiberalis est sermo. non enim adeptus est id, quod habet attenuata figura puris uerbis, & electis compositam orationem.* Omne *genus orationis, & graue, & mediocre, & attenuatum dignitate afficiunt exornationes, de quibus post loquemur, quæ, si raræ disponentur, distinctam sicuti coloribus, si crebræ collocabuntur, oblitam reddunt orationem.* Sed *figuram in dicendo commutari oportet, ut grauem mediocris, mediocrem excipiat attenuata.* Deinde *identidem cõmutentur, ut facile satietas uarietate uitetur.* QVONIAM *quibus in generibus elocutio uersari debeat, dictum est, uideamus nunc, quas res debeat habere elocutio commoda, & perfecta, quæ maxime admodũ oratori accommodata est, trees res in se debet habere, elegantiã, compositionem, dignitatem.* ELEGANTIA *est, quæ facit, ut unumquodq; pure, & aperte dici uideatur.* Hæc *distribuitur in latinitatem, & explanationem.* Latinitas *est, quæ sermonem purum conseruat ab omni uitio remotum.* Vitia *in sermone, quo minus is latinus sit, duo possint esse,* Solœcismus, & Barbarismus. Solœcismus *est, cum uerbis pluribus consequens uerbum superiori non accommodatur.* Barbarismus *est, cum uerbum aliquod uitiose effertur.* Hæc *qua ratione uitare possimus, in arte grammatica diligentius discemus.* Explanatio *est, quæ reddit apertã, & dilucidã orationem. ea comparatur duabus rebus, usitatis uerbis, & proprijs.* Vsitata *sunt ea, quæ uersantur in sermone, & consuetudine quotidiana.* Propria, *quæ eius rei uerba sunt, aut esse possunt, qua de loquemur.* COMPOSITIO *est uerborũ cõstructio, quæ facit omnes partes orationis æqualiter ppolitas. ea conseruabitur, si fugiemus crebras uocalium concursiones, quæ uastam, atque hiantem orationem reddunt, ut hoc est, uaccæ æneæ amœnissimæ impendebant.* Et *si uitabimus ciusdẽ literæ nimiam assiduitatem, cui uitio uersus hic erit exemplo. nam hic nihil prohibet in uitijs, alienis exemplis*

emplis uti. O' Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti, & hic eiuſdē poëtæ. Quicquam quiſquam, cuiquam quod cōueniat, neget. Et *ſi eiuſdem uerbi aſſiduitatem nimiam fugiemus, ea eſt huiuſmodi. nam cuius rationis ratio non extet, ei rationi ratio non eſt fidem habere, et ſi non utemur, cōtinenter ſimiliter cadentibus uerbis, hoc modo. flentes, plorātes, lachrymantes, obteſtantes.* Et *ſi uerborum tranſiectionē uitabimus, niſi quæ erit cōcinna, qua de re poſterius loquemur, quo in uitio eſt* Lucilius *aſſiduus, ut hoc eſt in priore libro. has res ad te ſcriptas* Luci *miſimus eli.* Item *fugere oportet longam uerborū continuationem, quæ & auditoris aures, & oratoris ſpiritū lædit. His uitijs in cōpoſitione uitatis, reliquum operis conſumendum eſt in dignitate.* DIGNITAS *eſt, quæ reddit ornatam orationem uarietate diſtinguens. hæc et in uerborum, & ſententiarum exornationem diuiditur.* Verborum *exornatio eſt, quæ ipſius ſermonis inſignita continetur perpolitione.* Sententiarum *exornatio eſt, quæ non in uerbis, ſed in ipſis rebus quandam habet dignitatem.*

REPETITIO *eſt, cum cōtinenter ab uno, atq; eodē uerbo in rebus ſimilibus, & diuerſis principia ſumuntur, hoc modo.* Vobis *iſtud attribuendum eſt, uobis gratia habenda, uobis res iſta erit honori.* Item, Scipio Numantiam *ſuſtulit,* Scipio Carthaginem *deleuit,* Scipio *pacem peperit,* Scipio *ciuitatem ſeruauit.* Item, *tu in forū prodire, tu lucem cōſpicere, tu in horū cōſpectum uenire cōnaris, audes uerbum facere, audes quicquam ab iſtis petere, audes ſupplicium deprecari? Quid eſt, quod poſſis defendere? quid eſt, quod audeas poſtulare? quid eſt, quod tibi putes cōcedi oportere?* Non *iuſiurandum reliquiſti? non amicos prodidiſti? non parenti manus intuliſti? non deniq; in omni dedecore uolutatus es?* Hæc *exornatio, cum multum uenuſtatis habet, tum grauitatis, & acrimoniæ plurimum. Quare uidetur eſſe adhibenda, & ad exornandam, & ad augendam orationem.* CONVERSIO *eſt, per quam non, ut ante primum repetimus uerbum, ſed ad poſtremum continenter reuertimur, hoc modo.* Pœnos populus R. *iuſtitia uicit, armis uicit, liberalitate uicit.* Item, *ex quo tempore concordia de ciuitate ſublata eſt, libertas ſublata eſt, fides ſublata eſt, amicitia ſublata eſt.* Item, C. Lælius *homo nouus erat, ingenioſus erat, doctus erat, bonis uiris, & ſtudioſis amicus erat, ergo in ciuitate primus erat.* Item, *nam, cum iſtos, ut abſoluāt te, rogas, ut peierent, rogas, ut exiſtimationē negligant, rogas, ut leges populi* R. *tuæ libidini largiātur, rogas.* COMPLEXIO *eſt, quæ utranque complectitur exornationem, &*

hanc, & quam ante exposuimus, ut & repetatur idem primũ uerbum sæpius, & crebro ad idem postremum reuertamur, hoc modo. Qui sunt, qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginienses. qui sunt, q crudele bellũ in Italia gesserunt? Carthaginienses. qui sunt, qui Italiam deformauerunt? Carthaginienses, qui sunt, qui sibi postulant ignosci? Carthaginienses. Videte ergo, quid conueniat eos impetrare. Item, quem senatus damnarit, quem populus R. damnarit, quem omnium existimatio damnarit, eum uos sententijs uestris absoluetis?

TRADVctio est, quæ facit, ut, cum idem uerbum crebrius ponatur, non modo nõ offendat animum, sed etiã concinniorem orationem reddat, hoc pacto. Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitã non potest colere. Item, eum tu hominem appellas, qui, si fuisset homo, nunquam tam crudeliter uitam hominis petisset. at erat inimicus, ergo inimicũ sic ulcisci uoluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus. Item, diuitias sine diuitũ esse, tu uero uirtutem præfer diuitijs. nam si uoles diuitias cũ uirtute cõparare, uix satis idoneæ tibi uidebuntur diuitiæ, quæ uirtutis pedisequæ sint. EX eodẽ genere est exornationis, cum idem uerbũ modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo. Cur eam rẽ tam studiose curas, quæ multas tibi dabit curas? Item, amari iucundũ est, si curetur, nequid insit amari. Item, ueniam ad uos, si mihi senatus det ueniam. in his quatuor generibus exornationũ, quæ adhuc propositæ sunt, nõ inopia uerborum fit, ut ad idẽ uerbũ redeatur sæpius, sed inest festiuitas quædã, quæ facilius auribus diiudicari, quàm uerbis demonstrari potest.

CONTENTIO est, cũ ex contrarijs uerbis oratio cõficitur, hoc pacto. Habet assentatio iucunda principia, eadem exitus amarissimos affert. Item, inimicis te placabilem, amicis inexorabilẽ præbes. Item, in otio tumultuaris, in tumultu solus es otiosus. In re frigidissima cales, in feruentissima friges. Tacito, cũ opus est, clamas, cũ loqui conuenit, obmutescis. Ades, abesse uis. abes, reuerti cupis. In pace bellum quæritas, in bello pacẽ desyderas. In concione de uirtute loqueris, in prælio p ignauiã tubæ sonitum pferre non potes. Hoc genere si distinguemus orationem, & ornati, & graues poterimus esse.

EXCLAmatio est, quæ conficit significationem doloris, aut indignationis alicuius, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cuiuspiã compellationem, hoc modo. Te nunc alloquor Africane, cuius mortui quoq; nomen splendori, ac decori est ciuitati. Tui clarissimi nepotes suo sanguine abluerunt inimicorũ crudelitatem. Item, ó perfidiosæ fregellæ, quàm facile scelere uestro contabuistis, ut cuius nitor urbis

Italiam

Italiam nuper illustrauit, eius nunc uix fundamentorum reliquiæ maneant. Item, bonorum insidiatores latrocinio uitam innocentissimi cuiusq; petistis, tantam'ne ex iniquitate iudiciorũ uestris calumnijs assumtis facultatem? Hac exclamatione si loco utemur, & raro, & cum rei magnitudo postulare uidebitur, ad quam uolemus indignationem animum auditoris adducemus. INTERROGATIO non omnis grauis est, neq; conanna, sed hæc, quæ cum enumerata sunt ea, quæ obsunt causæ aduersariorum, confirmat superiorẽ orationem, hoc pacto. Cum igitur hæc omnia facëres, dicëres, administrares, utrum animos sociorum ab repub. remouebas, et alienabas? an non? & utrum'ne aliquem exornari oportuit, qui ista prohiberet, ac fieri non sineret? an non? RATIOcinatio est, per quã nos ipsi a nobis rationẽ poscimus, quare qdq; dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus uniuscuiusq; propositionis explanationẽ. Ea est huiusmodi. Maiores nostri, siquam unius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum maleficiorum conuictam putabant. Quo pacto? quoniam, quam impudicam iudicarant, eam ueneficij quoq; damnatam existimabant. Quid ita? quia necesse est eam, quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati, timere pmultos. Quos istos? uirum, parentes, cæteros, ad quos uidet sui dedecoris infamiam ptinere. Quid postea? quos tantopere timeat, eos necesse est, ut quoquo modo possit ueneficio petat. Cur? quia nulla potest honesta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidã, intemperantia audacem, natura mulierbris inconsyderatam. Quid ueneficij damnatã? quid? putabant impudicam quoq; necessario, Quare? quia nulla facilius ad id maleficium causa, quàm turpis amor, & intemperans libido commouere potuit, cum cuius animus mulieris esset corruptus, eius corpus castum esse nó putarint. Quid in uiris? idem'ne hoc obseruabant? minime. Quid ita? quia uiros ad unum quodq; maleficium singulæ cupiditates impellunt. Mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit. Item, bene maiores nostri hoc comparauerunt, ut neminem regem, quem armis cœpissent, uita priuarent. Quid ita? quia quam nobis facultatem fortuna dedisset, iniquum erat in eorum supplicio consumere, quos eadem fortuna paulo ante in amplissimo statu collocarat. Quid quod exercitum contraduxit? desino meminisse. Quid ita? qa uiri fortis est, qui de uictoria contendant, eos hostes putare, qui uicti sunt, eos homines iudicare, ut possit bellũ fortitudo minuere, pacem humanitas augere. et ille si uicisset, num idẽ fecisset? non profecto tam sapiens fuisset. Quid igitur ei paras? quia talem

ſtultitiam contemnere, non imitari conſueui. Hæc exornatio ad ſermonem uehementer accommodata eſt, & animum auditoris reddit attentum, tum uenuſtate ſermonis, tum rationum expectatione.

SENTENTIA eſt oratio ſumpta de uita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat, in uita breuiter oſtendit, hoc modo. Difficile eſt primum uirtutem reuereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit uſus. Item liber is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit. Item egens æque eſt is, qui non ſatis habet, & is, cui nihil ſatis poteſt eſſe. Item optima uiuendi ratio eſt eligenda, eam iucundam conſuetudo reddet. Huiuſmodi ſententiæ ſimplices non ſunt improbandæ, propterea quod habet breuis expoſitio, ſi rationis nullius indiget, magnam delectationem. Sed illud quoq; probandum eſt genus ſententiæ, quod confirmatur ſubiectione rationis, hoc modo. Omnes bene uiuendi rationes in uirtute ſunt collocandæ, propterea quod ſola uirtus in ſua poteſtate eſt. omnia præterea ſubiecta ſunt fortunæ dominationi. Item, qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius ſecuti ſunt, hi ſimulac fortuna dilapſa eſt, deuolant omnes. Cum enim receſſit ea res, quæ fuit conſuetudinis cauſa, nihil ſupereſt, quare poſſint in amicitia retineri. Sunt item ſententiæ, quæ duplices efferuntur, hoc modo, ſine ratione, Errant, qui in proſperis rebus omnis impetus fortunæ ſe putant fugiſſe, Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis caſus aduerſos reformidant. Cum ratione, hoc pacto. Qui adoleſcentiũ peccatis ignoſci putant oportere, fallũtur, propterea quod ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudijs. at hi ſapienter faciunt, q̃ adoleſcentes maxime caſtigant, ut quibus uirtutibus omnem uitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima uelint comparare. Sententias interponi raro conuenit, ut rei actores, non uiuendi præceptores eſſe uideamur, cum ita interponentur, multum afferent ornamenti. Nam neceſſe eſt animo eam comprobet tacitus auditor, cum ad cauſam uideat accommodari rem certam ex uita, et moribus ſumptam. CONTRARium idem ferè eſt, quod contentio. Contrarium eſt, quod ex rebus diuerſis duabus alteram breuiter, & facile confirmat, hoc pacto. Nam qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eũ quomodo alienis rebus amicum fore ſperes? Et item, Nam quem in amicitia pfidioſum eſſe cognoueris, eum quare putes inimicitias cum fide habere poſſe? Et qui priuatus intolerabili ſuperbia fuerit, eum commodũ, & ſui cognoſcentem uidere in poteſtate quis ſperet? Et qui in ſermonibus, & conuentu amicorum uerum dixerit nunquam, eum ſibi in concionibus credis à mendacio temperaturum? Item, Quos ex collibus deieci-

inuis, cum his in campo metuimus dimicare? Qui, cum plures erant, paucis nobis exæquari non poterant, hi, postquam pauciores sunt, metuimus, ne sint superiores? Hoc exornationis genus *breuibus, & continuatis uerbis perfectum esse debet, & cum commodum est auditu propter breuẽ, & absolutam conclusionem, tum uero uehementer id, quod opus est oratori, comprobat contraria re, & ex eo, quod dubium non est, expedit illud, quod dubium est, ut aut dilui non possit, aut multo difficillime possit.* MEMBRVM *orationis appellatur res breuiter absoluta sine totius sententiæ demonstratiõe, quæ denuo alio membro orationis excipitur, hoc modo.* Et *inimico proderas. id est unum, quod appellatur membrum, deinde hoc excipiatur oportet ab altero, & amicum lædebas.* Ex *duobus membris his hæc exornatio potest constare. Sed commodissima, & absolutissima est, quæ ex tribus constat, hoc pacto. & inimico proderas, & amicum lædebas, & tibi ipsi non consulebas. Item nec reip. consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti.* ARTICVLVS *dicitur, cum singula uerba interuallis distinguuntur cæsa oratione, hoc modo.* Acrimonia, *uoce, uultu aduersarios terruisti.* Item, Inimicos *inuidia, iniurijs, potentia, perfidia sustulisti.* Inter *huius generis, et illius superioris uehementiã hoc interest, quod illud tardius, & rarius uenit, hoc crebrius, & celerius peruenit. Itaque in illo genere ex remotione bracchij, & contortione dextræ gladius ad corpus afferri, in hoc autem crebro, & celeri uulnere corpus consauciari uidetur.*

CONTINVATIO *est densa, & continens frequentatio uerborum cum absolutione sententiarum. ea utemur commodissime tripartito, in sententia, in contrario, in conclusione. In sententia, hoc pacto. ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmus in uirtute, quàm in casu præsidium collocauit. In contrario, hoc modo. nam si quis spei non multum collocarit in casu, quid est, quod ei magnopere casus obesse posset? In conclusione, hoc pacto, quod si in eos plurimum fortuna potest, qui suas rationes omnes in casum contulerũt, non sunt omnia committenda fortunæ, ne magnam nimis in nos habeat dominationem. In his tribus generibus ad continuationis uim adeo frequentatio est necessaria, ut infirma facultas oratoris uideatur, nisi sententiam, & contrarium, & conclusionem frequentibus efferat uerbis, sed & aliâs quoque nonnunquam, non alienum est, tametsi necesse non est eloqui res aliquas per huiusœmodi continuationes.* COMPAR *Appellatur, quod habet in se membra orationis, de quibus ante diximus, quæ constant*

ex pari ferè numero ſyllabarum, hoc non de enumeratione noſtra fiet, nam id quidẽ puerile eſt, ſed tantum affert uſus, & exercitatio facultatis, ut animi quodã ſenſu par membrũ ſuperiori referre poſſimus, hoc modo. In prælio moriẽ pater oppetebat, dom filius nuptias cõparabat, hæc omnia graueis cæſus adminiſtrabant. Itẽ illi fortunã felicitatem dedit, huic induſtria uirtutem comparauit. In hoc genere ſæpe fieri poteſt, ut non planè par ſit numerus ſyllabarũ, et tamen eſſe uideatur, ſi una, aut etiam altera ſyllaba eſt alterum breuius, aut, ſi cũ in altero plures ſunt, in altero longior, aut longiores, plenior, aut pleniores ſyllabæ erunt, ut longitudo, aut plenitudo harum, multitudinem alterius aſſequatur, & exæquet. SIMILITER cædens exornatio dicitur, cũ in eadem conſtructione uerborum duo, aut plura ſunt uerba, quæ ſimiliter ijſdem cæſibus efferuntur, hoc modo. Hominem laudas egentem uirtutis, abundantem felicitatis. Item, cuius omnis in pecunia ſpes eſt, eius a' ſapientia eſt animus remotus. Diligentia comparat diuitias, negligẽtia corrumpit animũ, & tamen, cum ita uiuit, nemnem præ ſe ducit hominem. SIMILITER deſinens eſt, cum tametſi cæſus non inſunt in uerbis, tamen ſimiles exitus ſunt hoc pacto. Turpiter audes facere, nequiter ſtudes dicere. Viuis inuidioſe, delinquis ſtudioſe, loqueris odioſe. Item, Audacter territas, humiliter placas. Hæc duo genera, quorum alterum in exitus, alterum in cæſus ſimilitudine uerſatur, inter ſe uehementer conueniunt, & ea re, qui his bene utuntur, plerunque ſimul ea collocant in ijſdẽ partibus orationis. Id hoc pacto facere oportet. Perditiſſima ratio eſt amorem petere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam. hic & ea uerba, quæ cæſus habent ad cæſus ſimiles, & illa, quæ nõ habent, ad ſimiles exitus ueniunt. ANNOminatio eſt, cum ad idem uerbum accæditur commutatione unius literæ, aut literarũ, aut ad res diſſimileis ſimilia uerba accõmodãtur. Ea multis, & uarijs rationibus conficitur, attenuatione, aut cõplexione eiuſdẽ literæ, ſic. Hic, qui ſe magnificè iactat, atq; oſtentat, uenijt a' te ante, quàm Romã uenit. Ex cõtrario. hic quos hoies alea uincijt, eos ferro ſtatim uincit. Productione eiuſdẽ literæ, hoc modo. hũc ãuiũ dulcedo ducit ad ãuiũ. Breuitate eiuſdẽ literæ, hoc modo. hic, tametſi uidetur eſſe honoris cupidus, tamen nõ tantũ cũriã diligit, quantũ Cũriã. Addendis literis, hoc pacto. hic ſibi poſſet temperare, niſi amori mallet obtemperare. Demendis literis, ſic. ſi lenones tanquam leones uitaſſet, uitæ ſe tradidiſſet. Transferendis literis, ſic. Videte iudices utrũ homini nauo, an uano credere malitis. item no-

lo esse laudator, ne uidear adulator. Cómutandis, hoc modo. deligere oportet, quem uelis diligere. Hæ sunt annomnationes, quæ in literarum cómutatione, breuitate, aut productione, aut trãslatione, aut aliquo huiusmodi genere uersantur. Sunt autem aliæ, quæ non habent tam propinquam in uerbis similitudinem, & tamen dissimiles non sunt, quibus de generibus unum est huiusmodi. Quid ueniã, q̃ sim, quare ueniam, quem insimulem, cui prosim, quem postulem breui cognoscetis. Nam hic est in quibusdam uerbis quædam similitudo non tam affectanda, quàm illæ superiores, sed tamen adhibenda nõ nunquã. Alterũ genus huiusmodi. Demus operã Quirites, ne omnino patres conscripti an unscripti putentur. hæc annomnatio magis accedit ad similitudinem, quàm illa superior, sed minus, quàm illæ superiores, propterea quod non solum additæ, sed uno tempore demptæ quoq; literæ sunt. Tertiũ genus est, quod uersatur in casuum cõmutatione, aut unius, aut plurium ne minum. unius nomnis, hoc modo. Alexander macedo summo labore animum ad uirtutes a' pueritia confirmauit. Alexandri uirtutes per orbem terræ cum laude, & gloria uulgatæ sunt. Alexandrum omnes maxime metuerunt, itẽ plurimũ dilexerunt. Alexandro si uita data longior esset, Oceanum Macedonum gloria 'transuolasset. Varie hic unum nomen in cõmutatione casuum uolutatum est. Plura nomna casibus cõmutatis, hoc modo facient annomnationem. Tiberiũ gracchũ remp. administrantem indigna prohibuit nex diutius in ea cõmorari. C. Graccho simliter occisio oblata est, quæ uirũ reip. amantissimum subito de sinu ciuitatis eripuit. Saturninum fide captum malorũ perfidia p̃ scelus uita priuauit. Tuus o' Druse sanguis domesticos pariẽtes, & uultum parentis aspersit. Sulpitio, cui paulo ante omnia concedebant, eũ breui spatio non modo uiuere, sed etiam sepeliri prohibuerunt. Hæc tria genera proxima exornationum, quorum unum in simliter cadentibus, alterũ in simliter desinentibus uerbis, tertium in annomnationibus positum est, perraro sumenda sunt, cũ in ueritate dicemus. propterea quod non hæc uidentur reperiri posse sine elaboratione, et operæ consumptione. Eiusmodi autem studia ad delectationẽ, quàm ad ueritatem uidentur accommodatiora. Quare fides, & grauitas, & seueritas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis, & non modo tollitur authoritas dicendi, sed offenditur quoq; in eiusmodi oratione auditor. propterea quod est in his lepos, & festiuitas, non dignitas, neq; pulchritudo. Quare, quæ sunt ampla, & pulchra, diu placere possunt, quæ lepida, et concinna, cito satietate affi-

runt aurium ſenſum faſtidioſiſſimum. Quo modo igitur, ſi crebro his generibus utemur, puerili uidebimur elocutione delectari, ita ſi raro has interſeremus exornationes, & in cauſa tota uarie diſpergemus, cõmode luminibus diſtinctis illuſtrabimus orationẽ. SVBIECTIO *eſt, cum interrogamus aduerſarios, aut quærimus ipſi, q̃d ab illis, aut quid contra nos dici poſſit. Deinde ſubijcimus id, quod dici oportet, aut quod non oportet, aut nobis adiumento futurum ſit, aut offuturũ illis è cõtrario, hoc modo. Quæro igitur unde iſte tam pecunioſus factus ſit? amplum patrimonium relictum eſt? At patris bona uenierunt. Hæreditas aliqua obuenit? non poteſt dici, ſed etiã à neceſſarijs omnibus exhæredatus eſt. Præmium aliquod ex lite, aut iudicio cœpit? non modo id nõ fecit, ſed etiã inſuper ipſe grandi ſponſione uictus eſt. Ergo ſi his rationibus locupletatus non eſt, ſicut omnes uidetis, aut iſti domi naſcitur aurum, aut unde licitum non eſt, pecunias accepit. Item, Sæpe Iudices animaduerti, multos aliqua ex honeſta re, quam ne inimici quidem criminari poſſint, ſibi præſidium petere, quorum nihil poteſt aduerſarius facere. nam utrũ ad patris eius uirtutem confugiet? at eum uos iurati capite damnaſtis. an ad ſuam reuertetur antiquam uitã alicubi honeſte tractatam? nam hic quidem ante oculos ueſtros quomodo uixerit, ſcitis omnes. an cognatos ſuos enumerabit, quibus uos conueniat commoueri? at hi quidem nulli ſunt. amicos proferet? at nemo eſt, qui ſibi non putet turpe iſtius amicum nominari. Item, credo inimicum, quem nocentem putabas, in iudicium adduxiſti? non. nam indemnatum necaſti. leges, quæ id facere prohibent, ueritus es? at ne ſcriptas quidem iudicaſti. cum ipſe te ueteris amicitiæ commonefaceret, cõmotus es? at nihilo minus, ſed etiam ſtudioſius occidiſti. quid, cum tibi pueri ad pedes uolutarentur, miſericordia motus es? at eorum patrem crudeliſſime ſepultura quoque prohibuiſti. Multum ineſt acrimoniæ, & grauitatis in hac exornatione, propterea quod, cum quæſitum eſt, quid oporteat, ſubijcitur id non eſſe factum, quare facillime fit, ut augeatur indignitas negotij. Ex eodem genere, ut ad noſtram quoq; perſonam referamus ſubiectionem, ſic. Nam q̃d me facere conueniret, cum à tanta multitudine Gallorum circunſederer? an dimicarem? at cum parua manu tum prodiremus, locum quoq; inimiciſſimum habebamus. Sederem in caſtris? at neque ſubſidium, quod expectarem, habebamus. neq; erat, quo uitam produceremus. Caſtra relinquerem? at obſidebamur. Vitam militum negligerem? at ea uidebar eos accepiſſe conditione, ut quoad poſſem incolumes patriæ, & parentibus conſerua-*

rem. Hostium conditionem repudiarem? at salus antiquior est militum, quàm impedimentorum. Huiusmodi consequuntur identidem subiectiones, ut ex omnibus ostendi uideatur, nihil potius, quàm quod factum sit, faciundum fuisse. GRADATIO est, in qua non ante ad consequens uerbum descenditur, quàm ad superius cœnsensum est, hoc modo. Nam quæ reliqua spes manet libertatis, si illis, & quodlibet licet, & quod licet possint, & quod possunt audent, & quod audent, faciunt, & quod faciunt uobis molestum non est. Item non sensi hoc, & non suasi, neque suasi, & non ipse statim facere cœpi, neque facere cœpi, & non perfeci, neque perfeci, et non probaui. Item. Africano industria uirtutem, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Item, imperium Græciæ fuit apud Athenienses, Atheniensium potiti sunt Sparciatæ, Sparciatas superauere Thebani. Thebanos Macedones uicerunt, qui ad imperium Græciæ breui tempore adiunxerunt Asiam bello subactam. Habet in se quendam leporẽ superioris cuiusque crebra repetitio uerbi, quæ propria est huius exornationis. DEFINITIO est, quæ rei alicuius proprius amplectitur potestates breuiter, & absolute, hoc modo. Maiestas reipub. est, in qua continetur dignitas, & amplitudo ciuitatis. Item, Iniuriæ sunt, quæ aut pulsatione corpus, aut conuitio aures, aut aliqua turpitudine uitam cuiuspiã uiolant. Itẽ, Nó est ista diligentia, sed auaritia, eo quod diligentia est accurata conseruatio suorum, auaritia, iniuriosa appetitio alienorum. Item, Non est ista fortitudo, sed temeritas, propterea quod fortitudo est contemptio laboris, & periculi cum ratione utilitatis, & compensatione commodorum, temeritas est, cum inconsyderata laborum perpessione gladiatoria periculorum susceptio. Hæc igitur commoda putatur exornatio, quod omnem rei cuiuspiam uim, & potestatem, ita dilucide proponit, & breuiter explicat, ut neque pluribus uerbis oportuisse dici uideatur, neque lucidius potuisse dici putetur. TRANSITIO uocatur, quæ, cum ostendit breuiter, quod dictum sit, proponit item breui qđ consequatur, hoc modo, In patriam cuiusmodi fuerit habetis, nunc in parentes qualis extiterit, consyderate. Item, Mea in istum beneficia cognoscitis, nunc quomodo iste mihi gratiam retulerit, accipite. Proficit hæc aliquantum exornatio ad duas res. nam & quid dixerit cõmonet, & ad reliquũ comparat auditorẽ. CORRectio est, qnæ tollit id, quod dictũ est, & pro eo id, qđ magis idoneũ uidetur, reponit, hoc pacto. Quod si iste suos hospites rogasset, immo inuisset modo, hoc facile perfici posset. Itẽ, Nam postquam isti uicerunt, atq;

adeo uicti ſunt, eam quomodo victoriam appellem, quæ victoribus plus calamitatis, quàm boni dederit? O' uirtutis comes inuidia, quæ bonos inſequeris plerunq;, immo adeo inſectaris. commouetur hoc genere animus auditoris. res enim communi uerbo elata tantummodo dicta uidetur, ea poſt ipſius oratoris correctionẽ magis idonea fit pronuntiatione. Nó igitur ſatius eſſet dicet aliqs, ab initio, præſertim cũ ſcribas, ad optimũ, & electiſſimum uerbum deuenire? Eſt cum non eſt ſatius, ſi commutatio uerbi id erit demonſtratura eiuſmodi rẽ eſſe, ut cum eam communi uerbo appellaris, leuius dixiſſe uidearis, cũ ad electius uerbum accedas, inſigniorem rem facias, quod ſi continuo ueniſſes ad id uerbum, nec rei, nec uerbi gratia animaduerſa eſſet.

OCCVPATIO eſt cum dicimus nos præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicamus, hoc modo. Nã de pueritia quidem tua, quam tu omni intemperantiæ addixiſti, dicerẽ, ſi hoc tempus idoneum putarẽ. nunc conſulto relinquo, & illud prætereo, quod rei militaris te infrequentem tradidiſti. Deinde, quod in iuriarum ſatis feciſti Labeoni, nihil ad rem ptinere puto. horum nihil dico, reuertor ad illud, de quo iudicium eſt. Item, non dico te ab ſocijs pecunias accepiſſe, non ſum in eo occupatus, quod ciuitates, regna, domos omnium depeculatus es, furta, rapinas omnes tuas omitto. Hæc utilis eſt exornatio, ſi aut rem, quam non pertineat alijs oſtendere, occulte ammonuiſſe prodeſt, aut ſi longum eſt, aut ignobile, aut planũ, aut non poteſt fieri, aut facile poteſt reprehendi, ut utilius ſit occulte feciſſe ſuſpicionem, quàm huiuſmodi intendiſſe orationem, quæ redarguatur. DISIVNctio eſt, cum eorũ, de qbus dicimus, aut utrũq;, aut unumquodq; certo concluditur uerbo, ſic. Populus R. Numantiã deleuit. Carthaginem ſuſtulit. Corinthum diſiecit. Fregellas euertit. Nihil Numantinis uires corporis auxiliatæ ſunt, nihil Carthaginienſibus ſcientia rei militaris adiumẽto fuit, nihil Corinthijs erudita calliditas præſidij tulit, nihil Fregellanis morum, & ſermonis ſocietas opitulata eſt. Itẽ, formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut uetuſtate extinguitur. Hic utrunq;, & in ſuperiore exemplo unanquanq; rem certo uerbo concludi uidemus. CONiunctio eſt, cũ iterpoſitione uerbi, & ſuperiores orationis partes comprehenduntur, & inferiores, hoc modo. formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut uetuſtate.

ADIVNctio eſt, cũ uerbũ, quo res comprehenditur, nó interponimus, ſed aut primũ, aut poſtremum collocamus. Primum hoc pacto. defloreſcit formæ dignitas, aut morbo, aut uetuſtate. Poſtremũ ſic. aut morbo, aut uetuſtate formæ dignitas defloreſcit. Ad feſtiuitatem

diſiunctio

diſiunctio eſt appoſita · quare rarius utemur ea, ne ſatietatem pariat. Ad *breuitatem* cõiunctio. *quare ſæpius adhibenda eſt. hæ tres exornationes de ſimplici genere manant.* CONDVplicatio *eſt, cum ratione amplificationis, aut commiſerationis, eiuſdẽ unius, aut plurium uerborum iteratio, hoc modo.* Tumultus C. Gracchi *tumultus domeſticos, & inteſtinos cõparat.* Item, Commotus non es, cũ tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus. Item. Nunc etiam audes in horũ cõſpectum uenire proditor patriæ, proditor inquã patriæ uenire audes in horum cõſpectum? Vehementer auditorẽ cõmouet eiuſdẽ redintegratio uerbi, & uulnus maius efficit in contrario cauſæ, quaſi aliquod telum ſæpius perueniat in eandem partem cõporis. INTERpretatio *eſt, quæ nõ iterans idem redintegrat uerbum, ſed id commutat, quod poſitum eſt, alio uerbo, quod idẽ naleat, hoc modo.* Rempub. radicitus euerti ſti, ciuitatem funditus deiecti. Item, patrẽ nefarie uerberaſti, parenti manus ſcelerate intuliſti. Neceſſe eſt eius, qui audit animum cõmoueri, cũ grauitas prioris dicti renouatur interpretatione uerborum. COMMVtatio *eſt, cũ duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ex tranſiectione, ita efferuntur, ut à priore poſterior contraria priori proficiſcatur, hoc modo.* Eſſe oportet, ut uiuas, nõ uiuere, ut edas. Item, ea re poemata nõ facio, qa cuiuſmodi uolo nõ poſſum, cuiuſmodi poſſum nolo. Itẽ, quæ de illo dicuntur, dici non poſſunt, quæ dici poſſunt, nõ dicuntur. Item, ſi poema, loquens pictura eſt, pictura, tacitum poema debet eſſe. Item, quia ſtultus es, ea re taces, non tamen, qa taces, ea re ſtultus es. Non poteſt dici, quin cõmode fiat, cum contrariæ ſententiæ translatione uerba quoq; conuertantur. Plura ſubiecimus exempla, ut quoniam difficile eſt hoc genus exornationis inuentu, dilucidum eſſet, ut cum bene eſſet intellectum, facilius in dicendo inueniretur. PERmiſſio *eſt, cum oſtendimus in dicendo nos aliquam rem totam tradere, & concedere alicuius uoluntati, ſic.* Quoniã omnibus ereptis, ſolum mihi ſupereſt animus, & corpus, hæc ipſa, quæ mihi de multis ſola relicta ſunt, uobis, & ueſtræ condono poteſtati. Vos me, quo pacto uobis uidetur, utamini, atq; abutamini licebit, impune, in me qcqd libet, ſtatuite, dicite, atq; obtemperabo. Hoc genus, tametſi aliâs quoq; nonnunquam tractandum eſt, tamen ad miſericordiam cõmouendã uehementiſſime eſt accommodatum. DVBItatio *eſt, cum quærere uidetur orator, utrum de duobus potius, aut quid de pluribus potiſſimum dicat, hoc modo.* Obfuit eo tempore plurimum reip. conſulum, ſiue ſtultitiam, ſiue malitiã dicere oportet, ſiue utrunq;. Itẽ, tu iſtud auſus es di-

cere homo omnium mortaliũ? quæro, quo nam te digno moribus tuis appellẽ nomine. EXPEditio est, cum rationibus cõpluribus enumẽratis, quibus aliqua res aut fieri, aut non fieri potuerit, cæteræ tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus, hoc modo. Necesse est, cum constet istum nostrum fundum fuisse, ostendas te aut uacuũ possedisse, aut usu tuum fecisse, aut emisse, aut hæreditate tibi uenisse. Vacuum, cum ego adessem, possidere non potuisti. Tuum usu fecisse etiam nunc non potes. Emptio nulla profertur. Hæreditate tibi me uiuo mea pecunia uenire nõ potuit. Relinqtur ergo, ut me ui de meo fundo deiceris. Hæc exornatio plurimũ iuuabit coniecturales argumentationes, sed nõ erit tanquam in pleriſq; ut cum uelimus, ea possimus utinam facere id non poterimus, nisi nobis ipsa negotij natura dabit facultatẽ. DISSolutio est, quæ coniunctionibus uerborũ è medio sublatis, separatis partibus effertur, hoc modo. Gere morẽ parenti. Pare cognatis. Obsequere amicis. Obtempera legibus. Item, descende in integram defensionem. Noli quicquã recusare. Da seruos in quæstionem. Stude uerum inuenire. Hoc genus & acrimoniã habet, & uehementissimũ est, & ad breuitatẽ accommodatũ. PRAEcisio est, cum dictis quibusdam reliquũ, quod cœptum est dici, relinquitur in audientium iudiciũ, sic. Mihi tecum præcertatio non est, ideo quod populus R. me, nolo dicere, ne cui forte arrogans uidear, te autem sæpe ignominia dignum putauit. Item, tu ista nunc audes dicere? qui nuper alienæ domui, non ausim dicere, ne, cum te digna dixero, me indignum quippiam dixisse uidear. Hic atrocior tacita suspicio, quàm diserta explanatio facta est. CONclusio est, quæ breui argumẽtatione ex ijs, quæ ante dicta sunt, aut facta, conficit id, qđ necessario cõsequatur, hoc modo. Quod si Danais datum erat oraculũ, non posse capi Troiam sine Philoctetæ sagittis, hæ autem nihil aliud fecerũt, nisi Alexandrum perculerunt, hunc extinguere, id nimirum capi fuit Troiã. Restant etiam decem exornationes uerborũ, quas ideirco nõ uage dispersimus, sed à superioribus separauimus, quod omnes in uno genere positæ sunt. Nam earum omnium hoc propriũ est, ut ab usitata uerborum potestate recedatur, atq; in aliam rationem cum quadã uenustate oratio conferatur. De qbus exornationibus Nominatio est prima, quæ nos admonet, ut cui rei nomen, aut nõ sit, aut satis idoneũ non sit, eam nosmet idoneo uerbo nominemus, aut imitatiõis, aut significationis causa. Imitationis, hoc modo. ut maiores rudere, et ragire, & mugire, & murmurare, & sibilare appellauerũt. Significandæ rei causa, sic. Postquam iste in remp. fecit impetum, fregit ciui-

tatis in primis est auditus. Hoc genere raro est utendũ, ne noui uerbi assiduitas odium pariat, sed si cómode quis eo utatur, & raro, nõ modo non offendet nouitate, sed etiã exornabit orationem. PRO nomnatio est, quæ, sicuti cognomne quodam extraneo demonstrat id, quod suo nomine appellari non potest. ut siquis, cum loquatur de Gracchis, at non Africani nepotes inquiet, ishuiusmodi fuerunt. Item, siquis de aduersario dicat. Videte nũc inquit, iudices, quemadmodũ me Plagiosippus iste tractarit. hoc pacto non inornate poterimus & in laudando, & in lædendo, aut in corpore, aut in animo, aut in extraneis rebus dicere, sicuti cognomẽ, qđ pro certo nomine collocamus.

DE NOmnatio est, quæ à propinquis, & finitimis rebus trahit orationem, qua possit intelligi res, quæ nõ suo uocabulo sit appellata. id aut ab inuentore conficitur, ut siquis, de Tarpeio loquens eũ capitolinum nomnet, aut ab inuẽto, ut siquis pro Libero uinum, pro Cerere frugem appellet. Aut ab instrumento domnum, ut siqs Macedonas appellarit, hoc modo. Nó tam cito Sariſſæ græcia potitæ sunt. Aut idẽ Gallos significans dicat, nec tam facile ex Italia armatura transalpina depulsa est. Aut id, quod fit ab eo, qui facit, ut siqs cum bello uelit ostendere aliquid quẽpiam fecisse, dicat. Mars istud necessario te facere coegit. Aut si quod facit ab eo, quod fit, ut cum desidiosam artẽ dicemus, quia desidiosos facit, et frigus pigrum, quia pigros facit. Ab eo, quod continet id, quod continetur, hoc modo denomnabitur. Armis Italia nõ potest uinca, nec Græcia disciplinis. nã hic pro Græcis, et Italis, quæ continent, notata sunt. Ab eo, quod continetur id, quod continet, ut siquis aurum, uel argentum, aut ebur nomnet, cum diuitias uelit nomnare. Harum omnium denomnationum magis in præcipiendo diuisio, quàm in quærendo difficilis inuentio est, ideo quod plena consuetudo est, non modo poëtarum, & oratorum, sed etiã quotidiani sermonis huiusmodi denominationum. CIRCVITIO est oratio rem simplicem assumptam circunscribens elocutione, hoc pacto. Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit. Nam hic, nisi ornandi ratio quædam esset habita, Scipio potuit, & Carthago simpliciter appellari. TRANsgressio est, quæ uerborum perturbat ordinem peruersione, aut transiectione. Peruersione, sic. Hoc uobis deos immortales arbitror dedisse uirtute pro uestra. Transiectione, hoc modo. Instabilis in istum plurimum fortuna ualuit, oẽs inuidiose eripuit tibi bene uiuẽdi casus facultates. Huiusmodi transiectio, quæ rẽ non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes, de quibus ante dictum est, in quibus oportet uerba

ſicut a' poëtis in quendá extruere numerum, ut perfecte, et ppolitiſſime poſſint eſſe abſolutæ. SVPERlatio eſt oratio ſuperans ueritatem, alicuius augendi, minuendi'ue cauſa. hæc ſumitur ſeparatim, aut cum cóparatione. Separatim ſic, qđ ſi concordiam retinebimus in ciuitate, imperij magnitudinẽ ſolis ortu, atq; occaſu metiemur. Cum cóparatione, aut a' ſimilitudine, aut a' præſtantia ſuperlatio ſumitur. A' ſimilitudine ſic. corpore niueũ candorẽ, aſpectu igneum ardorem aſſequebatur. A' præſtantia, hoc modo. cuius ore ſermo melle dulcior profluebat. Eodẽ genere hoc eſt. tantus erat in armis ſplẽdor, ut ſolis fulgor obſcurior uideretur. INTELLectio eſt, cũ res tota parua de parte cognoſcitur, aut de toto pars. De parte totum ſic intelligitur, Nõ illæ te nuptiales tibiæ eius matrimonij cómonebant? nam hic omnis ſanctimonia nuptiarũ uno ſigno tibiarũ intelligitur. De toto pars, ut ſiquis ei, q ueſtitum, aut ornatũ ſumptuoſum oſtentet, dicat. Oſtentas mihi diuitias, & locupletes copias iactas. Ab uno plura intelliguntur, hoc modo. Pœno fuit hiſpanus auxilio, Fuit immanis ille trãſalpinus, In Italia quoq; nõ nemo ſenſit idẽ togatus. A' pluribus unũ ſic intelligitur. atrox calamitas pectora mœrore pulſabat, itaq; anhelans ex imis pulmonibus præ cura ſpiritus ducebatur. Nã in ſuperioribus plures hiſpani, & galli, & togati, et hic unũ pectus, & unus pulmo intelligitur. & erit illic diminutus numerus feſtiuitatis, hic adauctus grauitatis gratia. ABVSIO eſt, quæ uerbo ſimli, et propinquo pro certo, & proprio abutitur, hoc modo. Vires hominis breues ſunt, aut parua ſtatura, aut longũ in homine conſiliũ, aut oratio magna, aut uti pauco ſermone. Nã hic facile eſt intellectu, finitima uerba rerum diſſimilium, ratione abuſionis eſſe traducta.

TRANSlatio eſt, cum uerbum in quandã rem transfertur ex alia re, quod propter ſimilitudinẽ recte uidetur poſſe trãsferri. ea utimur rei ante oculos ponendæ cauſa, ſic. Hic Italiam tumultus expergefecit terrore ſubito. Breuitatis cauſa, ſic. recens aduentus exercitus ſubito ciuitatẽ extinxit. Obſcœnitatis uitandæ cauſa, ſic. cuius mater quotidianis nuptijs delectatur. Augendi cauſa, ſic. nullius mœror, & calamitas iſtius explere inimicitias, & nefariã ſaturare crudelitatẽ potuit. Minuendi cauſa, ſic. magno ſe prædicat auxilio fuiſſe, qa paululum in rebus difficillimis aſpirauit. Ornandi cauſa, ſic. aliquando reip. rationes, quæ malitia nocentũ exaruerant, uirtute optimatum reuireſcunt. Trãslationẽ dicunt pudentẽ eſſe oportere, ut cũ ratione in conſimilẽ rẽ tranſeat, ne ſine delectu temere, et cupide uideatur in diſſimilem tranſcurriſſe. PERMVtatio eſt oratio aliud uerbis

aliud

aliud ſententia demonſtrans. Ea diuiditur in tres partes, ſimilitudinem argumentũ, contrariũ. Per ſimilitudinem ſumitur, cũ translationes una, aut plures frequenter ponuntur à ſimplici ratione ductæ, ſic. nam cum canes fungantur officijs luporũ, cuinam præſidio pecuaria credemus? Per argumentum tractatur, cum à perſona, aut à loco, aut à re aliqua ſimilitudo augendi, aut minuẽdi cauſa ducitur, ut ſiquis Druſum, Gracchum, Numitorem obſoletum dicat. Ex contrario ducitur ſic, ut ſiquis hominem prodigũ, et luxurioſum illudens, parcum, & diligentem appellet. Et in hoc poſtremo, quod ex contrario ſumitur, & illo primo, quod à ſimilitudine ducitur, p translationem argumento poterimus uti, per ſimilitudinem ſic. Quid ait hic rex, atq; Agamemnon noſter, ſiue, ut crudelitas eſt, potius Atreus? Ex contrario, ſiquem impium, qui patrem uerberauerit, Aeneam uocemus, intemperantem, & adulterum, Hippolytum nominemus. Hæc ſunt ferè quæ dicenda uidebãtur de uerborũ exornationibus. nũc res ipſa monet, ut deinceps ad ſententiarum exornationes tranſeamus.

d DISTRIBVTIO eſt, cum in plures res, aut pſonas certas negotia quædam diſpertiuntur, hoc modo. Qui ueſtrũ iudicẽs nomen ſenatus diligit, hũc oderit, neceſſe eſt. petulãtiſſime enim ſemper iſte oppugnauit ſenatum. qui equeſtrem locum ſplendidiſſimũ cupit eſſe in ciuitate, is oportet iſtum maximas pœnas dediſſe uelit, ne iſte ſua turpitudine ordini honeſtiſſimo maculæ, atq; dedecori ſit. qui parentes habetis, oſtendite iſtius ſupplicio, uobis homines impios non placere. quibus liberi ſunt, ſtatuite exemplum, quantæ pœnæ i ciuitate ſint hominibus huiuſmodi comparatæ. Itẽ, Senatus officium eſt, conſilio ciuitatem iuuare. Magiſtratus officiũ eſt, opera, & diligentia conſequi uoluntatẽ ſenatus. Populi officiũ eſt, res optimas, & homines idoneos maxime ſuis ſententijs eligere, & probare. Accuſatoris officiũ eſt, inferre crimina. Defenſoris, diluere, & propulſare. Teſtis eſt dicere, quæ ſcierit, aut audierit. Quæſitoris eſt, unũquenq; horum in officio ſuo continere. Quare L. Caſſi, ſi teſtem, præterquam qđ ſciat, aut audierit, argumentari, & coniectura proſequi patieris, ius accuſatoris cum iure teſtimonij commiſcebis, teſtis improbi cupiditatem confirmabis, reo duplicem defenſionem parabis. Eſt hæc exornatio copioſa. comprehendit enim breui multa, & ſuum cuiq; tribuens, officium ſeparat, & res diuidit plures.

LICENTIA eſt, cũ apud eos, quos aut uereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure noſtro dicamus, qđ eos minime offendat, aut quos hi diligunt, cũ in aliquo erratouere reprehendi poſſe uidean-

tur,hoc modo.Miramini Quirites,quod ab omnibus uestræ rationes deserantur,quod causam uestram nemo suscipiat,qđ se nemo uestri defensorẽ profiteatur,id tribuite uestræ culpæ, atq; desinite istud mirari.quid enim est, quare non omnes istam rem fugere,ac uitare debeant? Recordamini,quos habueritis defensores,studia eorum uobis ante oculos proponite.Deinde omnium exitus considerate,tum uobis ueniat in mentem, ut uere dicam, negligentia uestra, siue ignauia potius,illos omnes ante oculos uestros trucidatos esse, inimicos eorum uestris suffragijs in amplissimum locũ peruenisse. Itẽ,nam qd fuit iudices,quare in sententijs ferendis dubitaueritis?aut istũ hominem nefarium ampliaueritis?non apertissimæ res erant crimini datæ?nõ omnes hæ testibus comprobatæ?non contra tenuiter,& nugatorie responsum?hic uos ueriti estis,si primo cœtu condemnasse tis,ne crudeles existimaremini.Dum eam uitastis uituperationem, quæ longe a uobis erat abfutura,eã inuenistis,ut timidi,atq; ignaui putaremini. maximas,& priuatas,& publicas calamitates accepistis, cũ etiam maiores impendere uideantur,sedetis,& oscitamini.Lucæ noctẽ,noctẽ lucem expectatis.Aliquid quotidie acerbi, atq; incommodi nuntiatur,& eũ,cuius opera nobis hæc accidunt, remoramini diutius, & alitis,ac reip.perniciẽ retinetis,quoad potestis in ciuitate. Eiusmodi licentia si nimium uidebitur acrimoniæ habere,multis mitigationibus lenietur.nã continuo aliquid huiusmodi licebit inferre. Hic ego uirtutem uestram quæro,sapientiam desydero,ueterem consuetudinem requiro,ut,quod erat commotum licentia,id laude mitigetur, ut altera res abiracundia,& molestia remoueat,altera res ab errato deterreat.Hæc res,sicut in amicitia,ita in dicendo,si loco fit,maxime facit,ut & illi,qui audient,a culpa absint,& nos,q dicimus, amici eorum,& ueritatis esse uideamur. Est autem quoddam genus licentiæ in dicendo,quod astutiore ratione comparatur, cũ aut ita obiurgamus eos,qui audiunt,quomodo ipsi se cupiunt obiurgari, aut id,quod scimus facile omnes audituros,dicamus nos timere quomodo accipiant, sed tamen ueritate commoueri,ut nihilo secius dicamus. horum amborum generũ exempla subijcienus.Prioris huiusmodi. Nimum Quirites animis estis simplicibus,& mansuetis. Nimum creditis unicuiq;. existimatis unũquenq; enim,ut perficiat quæ uobis pollicitus sit.erratis,& frustra falsa spe iã diu detinemini. stultitia uestra est,qa qđ erat in uestra potestate,ab alijs petere, quàm ipsi sumere maluistis. posterioris licentiæ hoc erit exemplum. Mihi cũ isto iudices fuit amicitia,sed ista tamen amicitia, tametsi uereor, quomodo

do accepturi sitis, uos me priuastis, qd ita? quia, ut uobis essem probatus, eum, qui uos oppugnabat, inimicum, quàm amicum habere malui. Ergo hæc exornatio, cui licentiæ nomen est, sicuti demonstrauimus, duplici ratione tractabitur, acrimonia, quæ, si nimium fuerit aspera, mitigabitur laude, et assimulatione, de qua superius diximus, quæ non indiget mitigationis, propterea quod imitatur licentiam, & sua sponte ad animum auditoris se accommodat. DIMInutio est, cum aliquid esse in nobis, aut in ijs, quos defendimus, aut natura, aut fortuna, aut industria dicemus egregium, quod nequa significetur arrogans ostentatio, diminuitur, & attenuatur oratione, hoc modo. Nam hoc pro meo iure iudices dico, me labore, & industria curasse, ut disciplinam militarem nõ in postremis tenerem. Hic si quis dixisset, ut optime tenerem, tametsi uere dixisset, tamen arrogans uisus esset. nunc & ad inuidiam uitandam, & ad laudem cõparandam satis dictum est. Item, utrum igitur auaritiæ causa, aut egestatis accessit ad maleficium? Auaritiæ. at largissimus fuit in amicos, quod signum liberalitatis est, quæ contraria auaritiæ est. Egestatis. at huic quidem pater, nolo nimium dicere, non tenuissimum patrimonium reliquit. Hic quoq; uitatum est, ne magnum, aut maximum diceretur. hoc igitur in nostris, aut eorum, quos defendemus, egregijs commodis proferendis obseruabimus. Nam eiusmodi res & inuidiam contrahunt in uita, & odium in oratione, si inconsyderate tractes. Quare quemadmodum in uiuendi ratione fugitur inuidia, sic in dicendo consilio uitatur odium. DESCRIptio nominatur, quæ rerum consequentium continet perspicuam, & dilucidam cum grauitate expositionem, hoc modo. Quod si istum iudices uestris sententijs liberaueritis, statim sicut è cauea leo missus, aut aliqua teterrima bellua soluta ex cathenis uolitabit, et uagabitur in foro acuens dentes multos in cuiusq; fortunas, in omnes amicos, atq; inimicos, notos, atq; ignotos incursans, aliorum famam depeculans, aliorum caput oppugnans, aliorũ domum, ac omnem familiam perfringens, remp. funditus labefactans, quare iudices eijcite eum de ciuitate, liberate omnes formidine, uobisq; ipsis consulite. nam, si istum impunitum dimiseritis, in uosmetipsos, mihi credite, feram, & truculentam bestiam iudices immiseritis. Item, nam, si de hoc iudices grauem sententiam tuleritis, uno iudicio simul multos iugulaueritis. grandis natu parẽs, cuius spes senectutis omnis in huius adolescentia posita est, quare uelit in uita manere, non habebit. filij parui priuati patris auxilio ludibrio, & despectui paternis inimicis erunt oppositi. tota domus

huius indigna concidet calamitate, at inimici statim sanguinolenta palma, crudelissima victoria potiti insultabunt in horũ miserias, & superbia re simul, et uerbis inuehentur. Item, Nã nemunem uestrũ fugit Quirites capta urbe, quæ miseriæ consequi soleant, arma qui cõtra tulerint, statim crudelissime trucidãtur, cæteri, q̃ possunt p̃ ætatem, et uires laborem ferre, rapiũtur in seruitutem, q̃ non possunt, uita priuantur. uno deniq;, atq; eodem tempore domus hostili flagrat incendio, et quos natura, aut uolũtas necessitudine, aut beneuolentia coniunxerit, distrahuntur. liberi partim e' gremijs parentũ diripiũtur, partim in sinu iugulantur, partim ante pedes constuprãtur: nemo iudices est, qui possit satis rẽ consequi uerbis, nec referre oratione magnitudinem calamitatis. Hoc genere exornationis, uel indignatio, uel misericordia potest cõmoueri, cũ res consequẽtes cõprehensæ uniuersæ p̃spicua breuiter exprimuntur oratione. DIVIsio est, quæ rẽ semouẽs a' re, utranq; absoluit ratiõe subiecta, hoc modo. Cur ego nũc tibi quicq̃ obijciã? si probus es, non meruisti, sin improbus, nó cõmoueris. Item, Quid nũc ego de meis proprijs meritis prædicẽ, si me munisti, obtũdã, sin oblitus estis, cũ re nihil egerim, quid est, qd̃ uerbis proficere possim? Itemd uæres sunt, quæ possunt homines ad turpe cõpendiũ cõmouere, inopia, atq; auaritia. te auarum in fraterna diuisione cognouimus. inopẽ, atq; egentem nunc uidemus. qui potes igitur ostendere causam maleficij nõ fuisse? Inter hanc diuisionẽ, et illã, quæ de partibus orationis tertia est, de qua in lib. I. diximus, secũdũ narrationẽ, hoc interest. illa diuidit p̃ enumerationẽ, aut per expositionẽ, quibus de rebus in tota oratione disputatio futura sit, hæc se statim explicat, & breui duabus, aut pluribus partibus subijciẽs rationes, exornat orationem. FREQVENtatio est, cum res in tota causa dispersæ coguntur unum in locum, quo grauior, aut acrior, aut crimnosior oratio sit, hoc pacto. A' quo tandẽ abest iste uitio? quid est iudices, cur uelitis eum liberare? Suæ pudicitiæ proditor est, insidiator alienæ, cupidus, intemperans, petulans, superbus, impius in parẽtes, ingratus in amicos, infestus in cognatos, in superiores cõtumax, in æquos, et pares fastidiosus, in inferiores crudelis, deniq; in oẽs intolerabilis. Eiusdẽ generis est illa frequẽtatio, quæ plurimum coniecturalibus causis opitulatur, cũ suspiciões, quæ separatim dictæ minutæ, et infirmæ erãt, unum in locum coactæ rẽ uidentur p̃spicuam facere, non suspicionem, hoc pacto. Nolite igitur iudices, nolite ea, quæ dixi separatim, spectare, sed oía colligite, et conferte in unum. Si & commodum ad istum ex morte illius uenebat, & uita est turpissima

hominis,

hominis, animus auariſſimus, fortunæ famliaris rei attenuatiſſimæ, & res iſta bono nemini præter iſtum fuit, neq; alius quiſquam æque commode, neq; iſte alijs commodioribus rationibus facere potuit, neq; præteritum quicquã eſt ab iſto, quod opus fuerit ad maleficium, neq; factum, quod opus nõ fuerit, et cum locus idoneus maxime quæſitus, tum occaſio aggrediendi cõmoda, tempus adeundi opportuniſſimum, ſpatium conficiendi longiſſimum ſumptum eſt non ſine maxima occultandi, & ꝓficiendi maleficij ſpe. & præterea ante, quàm occiſus homo is eſt, iſte uiſus eſt in eo loco, in quo eſt occiſio facta, ſolus. Paulo poſt in ipſo loco maleficij, uox illius, qui occidebatur, audita eſt, deinde poſt occiſionẽ, iſtum multa nocte domum rediſſe conſtat, poſtera die titubanter, & inconſtanter de occiſione illius locutum. hæc partim teſtimonijs, partim quæſtionibus, & argumentis omnia cõprobantur, & rumore populi, quem ex argumentis natum neceſſe eſt eſſe uerum. noſtrum iudicẽs eſt his unum in locum collatis, certã ſumere ſcientiã, non ſuſpicionẽ maleficij. Nam unum aliquid, aut alterum potuit in iſtum caſu cecidiſſe ſuſpicioſe, ut oĩa inter ſe à primo ad poſtremum conueniant maleficia, neceſſe eſt caſu non poſſe fieri. Vehemens eſt hæc exornatio, et in coniecturali conſtitutione cauſæ fermè ſemper neceſſaria, & in cæteris generibus cauſarum, et in omni oratione adhibẽda nonnunquã. EXPOlitio *eſt, cum in eodem loco manemus, & aliud, atq; aliud dicere uidemur. Ea dupliciter fit, ſi aut eandẽ planè dicamus rẽ, aut de eadẽ re. Eandem rem dicamus non eodẽ modo, nam id quidẽ obtundere auditorem eſt, non rem expolire, ſed cõmutate. cõmutabimus tripliciter, uerbis, pronuntiando, tractando. Verbis cõmutabimus, cum re ſemel dicta, iterum, aut ſæpius alijs uerbis, quæ idẽ ualeant, eadẽ res proferetur, hoc modo. Nullum tantum eſt periculum, quod ſapiens pro ſalute patriæ uitandũ arbitretur. Cum augetur incolumitas ꝓpetua ciuitatis, qui bonus erit rationibus præditus, profecto nullum uitæ diſcrimen ſibi pro fortunis reip. fugiendum putabit, & erit in ea ſententia ſemper, ut pro patria ſtudioſe, quãuis in magnã deſcendat uitæ dimicationẽ.* Pronuntiando *cõmutabimus, ſi tum in ſermone, tum in acrimonia, tum in alio, atq; alio genere uocis, atq; geſtus, eadẽ uerbis cõmutando, pronuntiatione quoq; uehementius immutabimus. hoc neq; cõmodiſſime ſcribi poteſt, neq; parum eſt apertum, quare non eget exempli.* Tertium genus *eſt cõmutationis, quod tractando conficitur, ſi ſententiam traijciemus, aut ad ſermocinationẽ, aut ad exſuſcitationẽ.* Sermocinatio *eſt, de qua planius paulo poſt ſuo loco diſcemus. nũc breuiter ad hãc*

rem,quod satis sit attingemus,in qua constituetur alicuius psonæ oratio accommodata ad dignitatem,hoc modo,ut quo facilius res cognosci possit,ne ab eadē sententia recedamus. Sapiens,qui omnia reip. causa suscipienda pericula putabit,sæpe ipse secum loquitur. Nó mihi soli,sed etiam,atq; adeo multo potius natus sum patriæ,uita,quæ fato debetur,saluti patriæ potissimū soluatur. Aluit hæc me,tute,atq; honeste produxit usq; ad hanc ætatem, munijt meas rationes bonis legibus,optimis moribus,honestissimis disciplinis . Quid est,quod à me satis ei psolui possit,unde hæc accepta sunt? qa hæc loquitur secum sapiens,sæpe ego in periculis reip.nullum ipse periculum fugi. Item mutatur res tractando,si traducitur ad exsuscitationem,cū & nos commoti dicere uideamur, et auditoris animū commouemus,sic. Quis est tā tenui cogitatione præditus,cuius animus tantis angustijs inuidiæ continetur,qui non hunc hominem studiosissime laudet,& sapientissimum iudicet? qui pro salute patriæ,pro incolumitate ciuitatis,pro reipub.fortunis,quamuis magnum, atq; atrox periculū studiose suscipiat,& libenter subeat.equidē hunc hominem magis cupio satis laudare,quàm possim,idēq; hoc certo scio uobis omnibus usu uenire. Eadem res igitur his tribus in dicendo commutabitur rebus,uerbis,pronuntiando,tractando, sed tractando dupliciter sermocinatione,& exsuscitatione. Sed de eadem re cum dicemus,pluribus utemur cōmutationibus.Nā,cum rem simpliciter pronuntiauerimus, rationem poterimus subijcere. Deinde dupliciem , uel sine rationibus,uel cum rationibus pronuntiare sententiam.Deinde afferre contrarium.de quibus omnibus diximus in uerborum exornationibus. Deinde simile & exemplum,de quo suo loco plura dicemus. Deinde conclusionem,de qua in secundo libro,quæ opus fuerunt,diximus, demonstrātes argumentationem quemadmodū concludere oporteat. in hoc libro docuimus,cuiusmodi esset exornatio uerbi,cui conclusioni nomen est.Ergo huiusmodi uchementer ornata poterit esse expolitio,quæ constabit ex frequentibus uerborū exornationibus , & sententiarū.Hoc modo igitur septē partibus tractabitur,sed ab eiusdem sententiæ non recedamus exemplo,ut scire possis , quàm facile præceptione rhetorica res simplex multiplici ratione tractetur. Sapiens nullū pro repub.periculum uitabit,ideo quod sæpe fit,ut cū pro rep.perire noluerit,necessario cum rep.pereat,& quoniā sunt omnia cómoda à patria accepta,nullū incōmodū pro patria graue putandum est.ergo qui fugiunt id periculum,quod pro rep.subeundum est,stulte faciunt.nam neq; effugere incommoda possunt,& in-

grati in ciuitatem reperiuntur. At qui patriæ pericula ſuo periculo expetunt, hi ſapientes putandi ſunt, cũ & eum, quem debent honorem reip. reddunt, et pro multis perire malunt, quàm cum multis. Et enim uehementer eſt iniquum uitam, quã à natura acceptam propter patriam conſeruauerit, naturæ cum cogat reddere, patriæ cum roget non dare. Et cum poſſis cum ſumma uirtute, & honore pro patria interire, malle p dedecus, & ignauiã uiuere. & cũ pro amicis, & parentibus, & cæteris neceſſarijs adire periculum uelis, pro repub. in qua & hoc, & illud ſanctiſſimum nomen patriæ continetur, nolle in diſcrimen uenire. Itaq; uti contemnendus eſt, qui in natiuigando ſe, quàm nauim maluit incolumem, ita uituperandus, qui in reipub. diſcrimine, ſuæ, plus quam communi ſaluti conſulit. Naue enim fracta, multi incolumes fuerunt, ex naufragio patriæ ſaluus nemo poteſt enatare. Quod mihi bene uidetur Decius itellexiſſe, q ſe deuouiſſe dicatur, & pro legionibus i hoſtes miſiſſe medios, amiſit uitam, at non perdidit. Re enim uiliſſima, et parua maximam redemit, uitam dedit, accepit patriam, amiſit animam, potitus eſt gloria, quæ cum ſumma laude prodita uetuſtate quotidie magis enitescit. Quod ſi pro repub. debere accedere ad periculum & ratione demonſtratum eſt, & exemplo comprobatum, ij ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute patriæ periculum uitant. In his igitur generibus expolitio uerſatur, de qua producti ſumus, ut plura diceremus, quod non modo, cum cauſam dicimus, adiuuat, & exornat orationem, ſed multo maxime per eã exercemur ad elocutionis facultatem. Quare conueniet extra cauſam in exercendo rationes adhibere expolitionis, in dicendo uti cum exornabimus argumẽtationem, de qua diximus in libro ſecundo. COMMORATIO *eſt, cum in loco firmiſſimo, quo tota cauſa continetur, manetur diutius, & eodẽ ſæpius reditur. hac uti maxime conuenit, & id eſt oratoris boni maxime propriũ. Non enim datur auditori poteſtas animũ de re firmiſſima dimouendi. huic exemplũ ſatis idoneum ſubijci nõ potuit, propterea quod hic locus non eſt à tota cauſa ſeparatus, ſicut membrum aliquod, ſed tanquam ſanguis profuſus eſt per totum corpus orationis.* CONTENTIO *eſt, per quam contraria referuntur. Ea eſt in uerborum exornationibus, ut ante docuimus, eiuſmodi.* Inimicis *te placabilem, amicis inexorabilem præbes.*

In *ſententiarum huiuſmodi. uos huius incommdis lugetis, iſte reipub. calamitate lætatur. Vos ueſtris fortunis diffiditis, iſte ſolus ſuis eo magis confidit. Inter hæc duo contentionum genera*

hoc interest. illud ex uerbis celeriter relatis constat, hic sententiæ cõ trariæ ex comparatione referantur oportet. SIMILitudo est oratio traducens adrẽ quampiã aliqd ex re dispari simle. Ea sumitur, aut ornandi causa, aut probandi, aut apertius dicendi, aut ante oculos ponẽdi. Quo modo igitur quatuor de causis sumitur, ita quatuor modis dicitur, per contrarium, per negationem, per collationem, per breuitatẽ. ad unanquanq; sumendæ causam similitudinis, accommodabimus singulos modos pronuntiandi. Ornandi causa sumitur p contrariũ, sic. Non enim quemadmodũ in palæstra, qui tedas candentes accipit, celerior est in cursu continuo, q̃ ille, qui tradit, ita melior imperator nouus, q̃ accipit exercitũ, quàm ille, q̃ decedit, propterea qđ defatigatus cursor integro facem, hic peritus imperator imperito exercitum tradit. Hoc sine simili satis planè, & ꝑspicue, & probabiliter dici potuit, hoc modo. Dicitur munus bonos imperatores à melioribus exercitum accipere solere, sed ornandi causa simile sumptum est, ut orationi dignitas quædã comparetur. dictum est autem per cõtrarium. Nam tunc similitudo sumitur p contrariũ, cum ei rei quã nos probamus, aliquam rem negamus esse simulem, ut paulo ante, cũ de cursoribus asserebamus. Per negationem dicetur probandi causa, hoc modo. neq; equus indomitus, quãuis naturã bene cõpositus sit, idoneus potest esse ad eas utilitates, & aptus, quæ desyderantur ab equo, neq; homo indoctus, quãuis sit ingenioſus ad uirtutẽ potest puenire. hoc probabilius factũ est, qđ magis est ueriſimle, non posse uirtutem sine doctrina comparari, quoniam nec equus quidem indomitus idoneus possit esse. ergo sumptum est probandi causa. dictum est autem per negationem. id enim perspicuũ est de primo similitudinis uerbo. Apertius dicendi causa similitudo dicitur p breuitatem, hoc modo. in amicitia gerenda, sicut in certamine currendi nõ ita conuenit exerceri, ut quoad necesse sit, puenire possis, sed, ut productus studio, & uiribus ultra facile procurras. Nã hoc simile est, ut aptius ĩtelligatur, mala ratione facere, q̃ reprehendãt eos, q̃ uerbi causa post mortem amici liberos eius custodiant, propterea qđ in cursore tantũ uelocitatis eẽ oporteat, ut efferatur usq; ad finẽ. In amico tantũ beneuolẽtiæ studiũ, ut ultra, quã amicus sentire possit, procurrat amicitiæ studio. dictũ autẽ simile est p breuitatem. nõ enim ita, ut in cæteris rebus res abre separata est, sed utræq; res coniũcte, & cõfuse pronũtiatæ. Ante oculos ponendi negotij causa, sumetur similitudo p collationẽ, sic. Vti citharœdus, cũ prodierit optime uestitus, palla inaurata ĩdutus, cũ elamyde purpurea coloribus uarijs intexta, & cũ corona aurea ma

gnis fulgentibus gẽmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam auro, et ebore diſtinctã, ipſe præterea forma, & ſpecie ſit, et ſtatura appoſita ad dignitatẽ, ſi cum magnam populo cõmouerit his rebus expectationem, repente ſilentio facto, uocẽ emittat acerbiſſimã cũ turpiſſimo corporis motu, quo melius ornatus, et magis fuerit expectatus, eo magis deriſus, & contẽptus eijcitur, ita ſiquis in excelſo loco, et in magnis, ac locupletibus copijs collocatus fortunæ muneribus, et naturæ cõmodis omnibus abundabit, ſi uirtutis, et artiũ, quæ uirtutis magiſtræ ſunt, egebit, quo magis cæteris rebus erit cõpioſus, et illuſtris & expectatus, eo uehementius deriſus, et contemptus ex omni cõuentu bonorũ eijcietur. Hoc ſimile exornatione utriuſq; rei, & alterius inſcitia artificij, alterius ſtultitia ſimili ratione collata ſub aſpectu omniũ rem ſubiecit. Dictũ autẽ eſt p collationem, propterea qđ propoſita ſimilitudine, paria ſunt relata omnia. In ſimilibus obſeruare oportet diligenter, ut cum rem afferamus ſimilem, cuius rei cauſa ſimilitudinem attulerimus, uerba quoq; ad ſimilitudinem habeamus accõmodata. id eſt huiuſmodi. Ita ut hirundines æſtiuo tempore præſtò ſunt, frigore pulſæ recedunt, ex eadem ſimilitudine nunc p trãslationem uerba ſumimus, ita falſi amici ſereno uitæ tempore præſtò ſunt, ſimulatq; hyemem fortunæ uiderint, deuolant omnes. Sed inuentio ſimiliũ facilis erit, ſiquis ſibi omnes res animatas, et inanimatas, mutas, & loquentes, feras, & manſuetas, terreſtres, et cœleſtes, et maritimas, artificio, caſu, natura comparatas, uſitatas, atq; inuſitatas, frequenter ante oculos poterit ponere, & ex his aliquam uenari ſimilitudinem, quæ aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ponere ante oculos poſſit. Non enim res tota toti rei neceſſe eſt ſimilis ſit, ſed ad ipſum, ad quod cõferetur ſimilitudinem habeat oportet.

EXEMplũ eſt alicuius facti, aut dicti præteriti cũ certi authoris nomine propoſitio. Id ſumitur ijſdem de cauſis, quibus ſimilitudo. Rem ornatiorem facit, cum nullius rei, niſi dignitatis cauſa ſumitur. Apertiorem, cum id, quod ſit obſcurius, magis diluciđ reddit. Probabiliorem, cum magis ueriſimilem facit. Ante oculos ponit, cum exprimit omnia ꝓſpicue, ut res dicta propè manu tentari poſſit. Vniuſcuiuſq; generis ſingula ſubieciſſemus exempla, niſi exemplũ, quod genus eſſet in expolitione demonſtraſſemus, & cauſas ſumendi in ſimlitudine aperuiſſemus. quare noluimus, neq; pauca, quo minus intelligeretur, neq; reintellecta, plura cõſcribere. IMAgo eſt formæ cũ forma cum quadam ſimilitudine collatio. Hæc ſumitur, aut laudis, aut uituperationis cauſa. Laudis cauſa, ſic. Ibant in prælium corpore

tauri ualidissimi, impetu leonis acerrimi simules. Vituperationis, ut in odium, aut in inuidiam, aut in cõtemptionem adducat. ut in odium, hoc modo. Iste quotidie per forum medium tanquã iubatus draco serpit, aspectu rabido circunspectans huc, & illuc, siquem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus insecare, lingua aspergere possit. Vt in inuidiam adducat, hoc modo. Iste, qui diuitias suas iactat, sicut gallus è Phrygia, aut ariolus quispiam depressus, & oneratus auro clamat, & deierat. Vt in contemptionem adducat, sic. Iste, tanquam cochlea abscondens, & retentans sese tacitus, quo sit tutus, comeditur cum domo sua, & aufertur.

EFFICTIO est, cum exprimitur, & effingitur uerbis corporis cuiuspiam forma, quoad satis sit ad intelligendum, hoc modo. Hunc dico iudices rubrum, breuem, incuruum, canum, subcrispum, cæsiũ, cui sanè magna est in mento cicatrix, siquo modo potest uobis in memoriam redire. Habet hæc exornatio cum utilitatem, siquem uelis ostendere, tum uenustatem, si breuiter, & dilucide facta est.

NOTATIO est, cum alicuius natura certis describitur signis, quæ sicuti notæ quædam naturæ sunt attributa. Vt si uelis non diuitem, sed ostentatorem pecuniosum describere. Iste inquies, iudices, qui se dici diuitem putat esse præclarum, primum, nunc uidete, quo uultu nos intueatur, non'ne uobis uidetur dicere, darẽ, si mihi molesti non essetis. cum uero sinistra mentum subleuat, existimat se gemmæ nitore, et auri splẽdore aspectus omnium pstringere. Cum puerum respicit hunc unum, quẽ ego noui, uos nõ arbitror nouisse, alio nomine appellat, deinde alio, atq; alio. heus tu inquit, ueni Sannio, nequid isti barbari pturbent, ut ignoti, q audiunt unum putent eligi de multis, ei dicat in aurẽ, aut ut domi lectuli sternãtur, aut ab auunculo rogetur æthiops, qui ad balneas ueniat, aut asturconi locus ante ostium suum detur, aut aliquid fragile falsæ coragium gloriæ cõparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant, uideto, ut diligenter enumeretur, si potest ante noctem. puer, qui iã bene hominis naturã nouit, tu illo' plures multas oportet inquit, si hodie uis trãsnumerari. age inquit, duc tecum Libanum, et Sosiã. Sane'. Deinde casu ueniunt hospites homini, qui istum splẽdide, dum peregrinaretur, receperunt, ex ea re homo hercle sane' conturbatur, sed tamen a' uitio naturæ nõ recedit. bene inquit, facitis, cũ uenitis, sed rectius feciss etis, si ad me domũ recta abiissetis. id fecissemus inquiunt illi, si domũ nouissemus. At istud quidẽ facile fuit undelibet inuenire. Verum ite mecũ. sequuntur illi. sermo interea huius cõsumitur omnis in osten-

LIB. IIII.

tatione. Quæritin agris cuiusmodi frumenta sint. negat se, quia nihil
læ intensæ sint, accedere posse, nec ædificare etiam nunc audere, tam
esse in Thessalano quidem copi insanire, & in iisdē fundamentis
ædificare. Dum hæc loquitur, venit in ædes quasdam, in quibus so=
dalitium erat eodem die futurum, quo iste pro notitia domi ædiū
ingreditur cum hospitibus. hic inquit, habito perspicit argentum, qđ
erat expositum. visit triclinium stratum. probant. accedit servulus.
dicit homini clare dominum iam ventarum, si nolit exire. ita'ne in
quit? Eamus hospites, frater venit ex Falerno, ego illi obviam per
gam. nos huc decima venitote. hospites discedunt. Iste se raptim domū
suam conjicit. illi diama, quo' ivsserat, veniunt. quærunt hunc. re=
periunt domus cuia sit. in diversorium deriſi conferunt se. vident
hominem postera die narrant. expostulant. accusant. ait iste eos si=
mulitudine loci deceptos, angiporto toto derrasse, contra valetudi=
nem suam se ad multam noctem expectasse. Sanniom puero ne=
gotium dederat, ut nasa. uestimenta. pueros arrogaret. servulus
non inurbanus satis strenue, & concinne comparat. iste hospites do=
num deducit. Ait se ædes maximas cuidam amico ad nuptias ac=
commodasse. nuntiat interea puer argentum repeti (pertimuerat
enim, qui commodarat) apagite inquit ædes commodauit. simili=
am dedi argentum quoque mult? tamen hospites habeo, tamen ute=
tur licet, nos samijs delectabimur. Quid ego, quæ deinde efficiat,
narrem? eiusmodi est hominis natura, ut quæ singulis diebus ef=
ciat gloria, atque ostentatione, ea uix anno sermone emarrare pos=
sim. Huiusmodi notationes, quæ describunt, quod consentaneu sit,
uniuscuiusque naturæ uehementer habent magnam delectationem.
totam enim naturam cuiusquam ponunt ante oculos, aut gloriosi, ut
nos exempli causa cœperamus, aut inuidi, aut timidi, aut
ambitiosi, amatoris, luxurioſi, furis, quadruplatoris. de
iusmodi studium protrahi potest in medium tali notatione.

SERMOCINATIO est, cum alicui personæ sermo attri=
buitur, & is exponitur cum ratione dignitatis, hoc pacto. Cum=
litibus urbs redundaret, & omnes timore oppressi domos
tur, uenit iste cum sago, gladio succinctus, tenens iaculum
adolescentes hominem simuli ornatu subsequuntur. irruunt
subito, deinde magna uoce, Vbi est iste beatus, inquit, ædiū do=
mihi præsto' fuit? ad tacentis hic alij omnes stupidi timore
runt. Vxor illius infelicissima cum maximo fletu ad
abiecit sese parce inquit, & p ea, quæ tibi dulcissima

miſerere noſtri,noli extinguere extinctos.Fer manſuete fortunã.nos quoq; fuimus beati.noſce te eſſe hominem.At ille quum illũ mihi datis? at uos auribus meis opplorare deſinitis.nó abibit.illi nuntiatur interea ueniſſe iſtũ,& clamore maximo mortem minari.quod ſimul,ut audiuit,heus inqt Gorgia pediſſequa puerorũ , abſconde pueros.defende.fac,ut incolumes ad adoleſcentiá ꝓducas.Vix hæc dixerat,cũ ecce iſte præſto ſedes inqt audax.nó uox mea tibi uitam ademit.exple meas inimicitias,& iracundiam ſatura tuo ſanguine.Ille cũ magno ſpiritu,metuebã inquit,ne plane uictus eſſem,nũc uideo in iudicio mecũ contendere non uis,ubi ſuperari turpiſſimũ eſt,ſupare pulcherrimũ.interficere me uis.occidar eqdẽ, ſed uictus nó peribo.At ille in extremo uitæ tempore etiam ſententioſe loqueris,neq; ei,quẽ uides dominari,uis ſupplicare.Tũ mulier.immo qdẽ iſte rogat, & ſupplicat,ſed tu quæſo commouere.& tu ꝓ deos inquit,hũc amplexare.dominus eſt.uicit hic te.uince tu nũc animũ.Cur nó deſinis inquit uxor loqui,quæ me digna nõ ſunt.tace, & quæ curanda ſunt, cura.tu ceſſas mihi uitam,tibi omnẽ bene uiuendi ſpẽ mea morte eripere.Iſte muliẽrẽ reppulit ab ſe lamentantẽ.illi neſcio quid imapienti dicere qđ dignũ uidelicet illius uirtute eſſet,gladiũ in latere defixit. Puto in hoc exẽplo datos eſſe unicuiq; ſermones ad dignitatẽ accommodatos,qđ oportet in hoc genere obſeruare. Sũt itẽ ſermocinationes conſequentes hoc genus.nã qd putamus illos dicturos, ſic hoc iudicaueritis?non'ne hac oẽs utentur oratiõe? deinde ſubijcere ſermonẽ.

CONformatio eſt,cũ aliqua,quæ nó adeſt perſona confingitur, quaſi adſit,aut cũ res muta,aut informis ſit eloquens,& formata,et ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata,aut actio quædam hoc pacto.ꝙ ſi nunc hæc urbs inuictiſſima uocẽ emittat,non hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis trophæis ornata,triumphis ditata, certiſſimis,clariſſimis locupletata uictorijs,nũc ueſtris ſeditionibus,o ciues uexor.quàm dolis malitioſa Chartago,uiribus probata Numantia,diſciplinis erudita Corinthus labefactare nó potuit,eam patiemini nũc ab homunculis deterrimis proteri,atq; conculcari.Item,quod ſi nunc Lucius ille Brutus reuiuiſcat,& hic ante pedes ueſtros adſit, non hac utetur oratione?ego reges eieci,uos tyrrannos introducatis. ego libertatem,quæ non erat,peperi,uos partã ſeruare nõ uultis.ego capitis mei piculo patriã liberaui,uos liberi ſine periculo eſſe nõ curatis.Hæc conformatio,licet í plures res mutas,atq; inanimatas trãſferatur,proficit plurimũ in amplificationis partibus,& commiſeratione. SIGnificatio eſt,quæ plus in ſuſpicione relinqt,quã poſitũ eſt in oratione,

eſt in oratione, ea fit per exuperationem, ambiguum, conſequentiã, abſciſionem, ſimilitudinem. Per exuperationem, *cum plus dictum eſt, quàm patitur ueritas augendæ ſuſpicionis cauſa, ſic.* Hic de tanto patrimonio tam cito teſtam, *qua ſibi petat ignem, non reliquit.* Per ambiguum, *cum uerbum poteſt in duas, plures'ue ſententias accipi, ſed accipitur in eam partem, quam uult is, qui dixit. ut de eo ſi dicas, qui multas hæreditates adierit.* Proſpice tu, *qui plurimum cernis.* Ambigua *quemadmodum uitanda ſunt, quæ obſcuram reddunt orationẽ, ita hæc conſequenda, quæ conficiunt huiuſmodi ſignificationem.* Ea reperientur facile, *ſi nouerimus, & animaduerterimus uerborum ancipites, aut multiplices poteſtates.* Per conſequentiam ſignificatio fit, *cũ res, quæ ſequuntur aliquam rẽ, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in ſuſpicione. ut ſi ſalſamẽtarij filio dicas, quieſce tu, cuius pater cubito ſe emungere ſolebat.* Per abſciſionem, *ſi, cum incipimus aliquid dicere, præcidimus, & ex eo, quod iam diximus, ſatis relinquitur ſuſpicionis, ſic qui iſta forma, & ætate nuper alienæ domui, nolo plura dicere.* Per ſimilitudinem, *cũ aliqua re ſimili allata, nihil amplius dicimus, ſed ex ea ſignificamus, quid ſentiamus, hoc modo.* Noli Saturnine *nimũ populi frequentia fretus eſſe, inulti iacent* Gracchi. Hæc *exornatio plurimum feſtiuitatis habet interdum, & dignitatis.* Sinit *enim quiddam tacito oratore ipſum auditorem ſuſpicari.* BREVITAS *eſt res ipſis tantummodo uerbis neceſſarijs expedita, hoc modo.* Lennũ *præteriens cepit, inde* Tharſi *præſidiũ reliquit, poſt urbem in* Bithynia *ſuſtulit. inde pulſus in* Helleſpontum, *ſtatim potitur* Abido. Item, *modo conſul, quondam tribunus, deinde primus erat ciuitatis, tum proficiſcitur in* Aſiam, *deinde exul, & hoſtis eſt dictus. poſt imperator, poſtremo conſul factus eſt.* Habet *paucis comprehenſa breuitas multarum rerum expeditionẽ. Quare adhibenda ſæpe eſt, cũ aut res non egent longæ orationis, aut tempus nõ ſinit commorari.*

DEMONſtratio *eſt, cum ita res uerbis exprimitur, ut geri negotiũ, & res ante oculos eſſe uideatur.* Id fieri poterit, *ſi quæ ante, & poſt, & in ipſa facta erunt, comprehendemus, aut à rebus conſequẽtibus, aut à circunſtantibus non recedemus, hoc modo. Quod ſimulatq; Gracchus proſpexit fluctuare populũ, uerentẽ, ne ipſe authoritate ſenatus commotus à ſententia deſiſteret, iubet aduocari cõcionẽ. Iſte interea ſcelere, & malis cogitationibus redundans euolat ex templo Iouis, & ſudans, oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga, cum pluribus alijs ire celerius cœpit. Illi præco faciebat audiẽtiã, hic ſubſellium quoddã calce premens dextra pedem defringit,*

et alios hoc idē iubet facere. Cū Gracchus deos inciperet precari, ursim isti impetū faciunt, ex alijs, alijsq; partibus cōuolant, atq; è populo unus fuge inquit Tiberi fuge. Non uides? respice inquam. Deinde uaga multitudo subito timore pterrita fugere cœpit. at iste spumās ex ore sœlus, anhelās ex infimo pectore crudelitatē, contorquet brachium, & dubitanti Graccho, qd esset, neq; tamen locum, in quo constiterat relinquenti, percutit tempus. Ille nulla uoce delibans insitam uirtutem concidit tacitus. iste uiri fortissimi miserando sanguine aspersus, quasi facinus præclarissimum fecisset, circunspectans, & hilaris sceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Iouis contulit sese. Hæc exornatio in amplificanda, & commiseranda, re plurimū prodest, & in huiusmodi narrationibus. statuit enim totam rē, & propè ponit ante oculos. Omnes rationes honestandæ elocutionis studiose collegimus, in qbus Herenni site diligenter exerceueris, & grauitatem, & dignitatem, & suauitatem habere in dicendo poteris, ut oratorie plane loquaris, ne nuda, atq; inornata inuentio uulgari sermone efferatur. Nunc identidem nosmetipsi nobis instemus. res enim communis agitur, ut frequenter, & assidue consequamur artis rationem studio, & exercitatione, quod alij cū molestia tribus de causis maxime faciunt, aut si cum quibus libenter exercœantur, nō habent, aut si sibi diffidunt, aut si nesciunt, quam uiam sequi debeant, quæ à nobis absunt omnes difficultates. Nā & simul libenter exercemur propter amicitiā, cuius initium cognatio fecit, cætera philosophiæ ratio confirmauit. Et nobis non diffidimus, propterea qđ et aliquātulū processimus, & alia meliora sunt, quæ multo intentius petimus in uita, ut etiam si non peruenerimus in dicendo, quò uolumus, para pars uitæ perfectissimæ desyderetur. Et uiam, quam sequamur, habemus, propterea quod in his libris nihil præteritū est rethoricæ præceptionis. Demonstratum est enim quo modo res in omnibus generibus causarum inueniri oporteat. Dictum est, quo pacto eas disponere conueniat. Traditum est, qua ratione esset pronuntiandum. præceptum est, qua uia memminisse possemus. Demonstratum est, quibus modis perfecta elocutio cōpararetur. Quæ si sequamur, acute, & cito reperiemus, distincte, et ordinate disponemus, grauiter, & uenuste pronuntiabimus, firme, & perpetuo meminerimus, ornate, & suauiter eloquemur. Ergo i arte rhetorica nihil est amplius. Hæc oia adipiscemur, si ratiões præceptiõis diligentia cõsequemur, & exercitatione.

Rhetoricorum ad C. Herennium Finis.

M. T. CICERONIS DE ARTE RHETORICA LIBER PRIMVS.

SAEPE, & multum hoc mecũ cogitaui, boni'ne an mali plus attulerit hominibus, et ciuitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiæ studiũ. Nã & cum nostræ reip. detrimenta cõsydero, et maximarum ciuitatum ueteres animo colligo calamitates, non minimam uideo per diserti ssimos homines inuectam partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria propter uetustatem remotas ex literarũ monimentis repetere instituo, multas urbes cõstitutas, plurima bella resuncta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo, tũ animi ratione, tũ facilius eloquentia cõparatas. Ac me qdẽ diu cogitantem ratio ipsa in hãc potissimũ sententiã duxit, ut existimem sapientiã sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus, eloquentiã uero sine sapientia nimiũ obesse plerũq; prodesse nunquã. Quare siquis omissis rectissimus, atq; honestissimus studijs rationis, et officij, cõsumut oẽm operã in exercitatiõe dicẽdi, is inutilis sibi, pniciosus patriæ ciuis alitur, quero ita se armat eloquẽtia, ut nõ oppugnare cõmoda patriæ, sed pro his pugnare possit, is mihi uir et suis, et publicis rationibus utilissimus, atq; amicissimus cuiꝰ fore uidetur. Ac si uolumus huius rei, quæ uocatur eloquẽtia, siue artis, siue studij, siue exercitatiõis cuiusdam, siue facultatis a natura profectæ cõsyderare principiũ, reperiemus id ex honestissimis causis natũ, atq; optimis ratiõibus profectũ. Nã fuit quoddãtẽpus, cũ in agris hoies passim bestiarũ more uagabãtur, et sibi uictu ferino uitã propagabãt, nec ratiõe animi qcq̃, sed pleraq; uiribus corporis administrabãt. Nõ dũ diuinæ religiõis, nõ humani officij ratio colebatur. nemo legitimas uiderat nuptias, nõ certos qsq̃ inspexerat liberos. nõ ius æquabile qd utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorẽ, atq; insciti ã cæca, ac temeraria domnatrix animi cupiditas ad se explẽdã uiribus corporis abutebatur pniciosissimis satellitibus. Quo tẽpore qdã magnus uidelicet uir, et sapiẽs cognouit, quæ materia esset, et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominũ, siqs eã posset elicere, et præcipiẽdo meliorẽ reddere. Qui dispersos hoies in agris, et in tectis syluestribus abditos ratione quadã cõpulit in unũ locum, & congregauit, & eos in unãquãq; rẽ inducens utilem, atq; honestam, primo propter insolentiam reclamantes,

deinde propter rationem, atq; orationem studiosius audiẽtes, ex feris, & immanibus mites reddidit, & mansuetos. Ac mihi quidẽ uidetur hoc, nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a' consuetudine subito conuerteret, et ad diuersas uitæ rationes traducëret. Age uero, urbibus constitutis, ut fidem colere, & iustitiã retinere discerent, & alijs parere sua uolũtate consuescerent, ac non modo labores excipiendos communis causa commodi, sed etiã uitam amittendam existimarent. qui tandem fieri potuit? nisi homines ea, quæ ratione inuenissent, eloquentia persuadere potuissent. Profecto nemo nisi graui, ac suaui commotus oratione, cum uiribus plurimũ posset, adius uoluisset sine ui descendere, ut inter quos posset excellere, cum ijs se pateretur æquari, & sua uoluntate a' iucundissima cõsuetudine recederet, quæ præsertim iam naturæ uim obtineret propter uetustatem. Ac primo sic, & nata, & progressa longius eloquẽtia uidetur, & item postea maximis in rebus pacis, & belli cũ summis homnũ utilitatibus esse uersata. Postquã uero cõmoditas quædã praua uirtutis imitatrix sine ratione officij dicendi copiã consecuta est, tum ingenio freta malitia peruertere urbes, & uitas homnũ labefactare assueuit. Atq; huius quoq; exordiũ mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. Verisimillimũ mihi uidetur quodã tempore, neq; in publicis rebus infantes, & insipientes homines solitos esse uersari, nec uero ad priuatas causas magnos, ac disertos homines accedere, sed cum a' summis uiris maximæ res adminiſtrarentur, arbitror alios fuisse non incallidos homines, qui ad paruas controuersias priuatorũ accederent. Quibus in controuersijs cum sæpe a' mendacio contra uerũ homines stare consuescerent, dicendi assiduitas aluit audaciã, ut necessario superiores illi propter iniurias ciuium resistere audacibus, & opitulari suis quisq; necessarijs cogerentur. Itaq;, cũ in dicendo sæpe par, nonnunquam etiã superior uisus esset is, q omisso studio sapientiæ, nihil sibi præter eloquentiã cõparasset, fiebat, ut & multitudinis, & suo iudicio dignus, qui remp. gereret, uideretur. Hinc nimirũ non iniuria, cum ad gubernacula reip. temerarij, atq; audaces homines accesserant, maxima, ac miserrima naufragia ficbãt. Quibus rebus tantum odij, atq; inuidiæ suscepit eloquẽtia, ut homines ingenuosissimi, quasi ex turbida tempestate in portũ, sic ex seditiosa, et tumultuosa uita se in studiũ aliquod traderent quietũ. Quare mihi uidẽtur postea cætera studia recta, atq; honesta p otiũ concelebrata ab optimis enituisse, hoc uero a' plerisq; eorũ desertum obsoleuisse eo tẽpore, quo multo uehementius erat retinendum, &

dum,& ſtudioſius ad augendum. Nam quo indignius rem honeſtiſſimam,& rectiſſimam uiolabat ſtultorum,& improborum temeritas,& audacia ſummo cum reip. detrimento, eo ſtudioſius,& illis reſiſtendum fuit,& reipub. conſulendum. Quod noſtrũ illum non fugit Catonem, neq; Lælium, neq; horum (ut uere dicam) diſcipulum Africanum, neq; Gracchos Africani nepotes, quibus in hominibus erat ſumma uirtus,& ſumma uirtute amplificata authoritas, & quæ his rebus ornamento, et reipub. præſidio eſſet eloquentia. Quare meo quidẽ animo nihilo minus eloquentiæ ſtudendum eſt,& ſi ea quidam& priuatim,& publicæ peruerſe abutuntur, ſed eo uehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimum poſſint, cum præſertim hoc unum ſit, quod ad omnes res,& priuatas,& publicas maxime ptineat. hoc tuta, hoc honeſta, hoc illuſtris, hoc eodem uita iucunda fiat. Nam hinc ad remp. plurima commoda ueniunt, ſi moderatrix omnium rerũ præſtò eſt ſapientia. Hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas cõfluit. Hinc amicis quoque eorum certiſſimum, ac tutiſſimum præſidium comparatur. Ac mihi quidem uidentur homines, cum multis rebus humiliores,& infirmiores ſint, hac re maxime beſtijs præſtare, quod loq poſſunt. Quare præclarum mihi quiddã uidetur adeptus is, qui qua re homines beſtijs præſtent, ea in re hominibus ipſis antecellat. Hoc ſi forte non natura modo, neq; exercitatione confiatur, uerum etiã artificio quodam comparatur, nó alienum eſt uidere, quæ dicant ij, qui quædam eius rei præcepta nobis reliquerunt. Sed ante quàm de præceptis oratorijs dicamus, uidetur dicendum de genere ipſius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. Nam his rebus cognitis, facilius, et expeditius uniuscuiusq; animus ipſam rationem, ac uiam artis conſyderare poterit.

IVILIS quædã ratio eſt, quæ multis, & magnis ex rebus conſtat. Eius quædam magna,& ampla pars eſt artificioſa eloquentia, quam rhetoricam uocant. Nam neq; cum ijs ſentimus, qui ciuilem ſcientiam eloquentia nõ putant indigere,& ab ijs, qui eam putant omnem rhetoris ui,& artificio contineri, magnopere diſſentimus. Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam ciuilis ſcientiæ partem eſſe dicamus. Officiũ autem eius facultatis uidetur eſſe, dicere apposite ad perſuaſionem. Finis perſuadere dictione. Inter officium autem,& finem hoc intereſt, quod in officio quid fieri, in fine, qd officio conueniat, conſyderatur, ut medici officiũ dicamus eſſe curare apposite ad ſanandũ, finem cu-

ratione sanare, Item oratoris, quid officium, & quid finem esse dicemus, intelligemus. cũ id, quod facere debet, officium esse dicemus, illud, cuius causa facere debet, finem appellabimus. Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, & ea facultas, quæ conficitur ex arte, uersatur, ut si medicinæ materiam dicamus morbos, ac uulnera, quod in his omnis medicina uersetur, itẽ qbus in rebus uersatur ars, & facultas oratoria, eas res materiã artis rhetoricæ nominamus. Has autem res alij plures, alij pauciores existimauerũt. Nã Gorgias Leontinus antiquissimus fere rhetor, oĩbus de rebus oratorẽ optime posse dicere existimauit. Hic infinitam, & immensam huic artificio materiam subijcere uidetur. Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta, atq; ornamenta submnistrauit, tribus in generibus rerũ uersari rhetoris officium putauit, demonstratiuo, deliberatiuo, iudiciali. Demonstratiuum est, quod tribuitur in alicuius certæ personæ laudẽ, aut uituperationem. Deliberatiuum est, quod positum in disceptatione, & consultatione ciuili habet in se sententiæ dictionem. Iudiciale est, quod positum in iudicio, habet in se accusationem, & defensionem, aut petitionẽ, & recusationem. Et quẽadmodũ nostra qdẽ fert opinio, Oratoris ars, & facultas in hac materia tripartita uersari existimanda est. Nam Hermagoras quidem nec qd dicat attendere, nec quid polliceatur intelligere uidetur, q oratoris materiã in causam, & quæstionẽ diuidat. Causam esse dicat, rẽ, quæ habeat in se cõtrouersiã in dicendo positam cum psonarum certarũ interpositione, quã nos quoq; oratori dicamus esse attributã. nã ei tres partes, quas ante diximus, supponimus, iudicialẽ, deliberatiuã, demonstratiuam. Quæstionẽ autẽ eã appellat, quæ habeat ĩ se cõtrouersiã ĩ dicẽdo positã sine certarũ psonarũ interpositione, ad hunc modũ. Vt qd sit bonum præter honestatem. ueri ne sint sensus. Quæ sit mundi forma. Quæ sit solis magnitudo. quas quæstiones procul ab oratoris officio remotas, facile omnes intelligere existimamus. Nam quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumpta intelligimus, eas sicut aliquas paruas res oratori attribuere magna amentia uidetur. Quod si magnã in his Hermagoras habuisset facultatẽ, studio, & disciplina comparatã, uideretur, fretus sua scientia, falsum quiddam constituisse de oratoris officio, & nõ quid ars, sed quid ipse posset, exposuisse. Nũc uero ea uis est in homine, ut ei multo rhetoricã citius quis ademerit, quàm philosophiam concesserit. Neq; cõ dico, quod eius ars, quam edidit, mihi mendosissime scripta uideatur. (Nã satis in ea uidetur ex antiquis artibus ingeniose, & diligẽter electas

ter electas res collocasse, & non nihil ipse quoque noui protulisse). Verum oratori minimum est, de arte loqui, quod hic fecit, multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuisse omnes uidemus. Quare materia quidem nobis rhetoricæ uidetur artis ea, quam Aristoteli uisam esse diximus. Partes autẽ hæ sunt, quas pleriq; dixerunt, Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronuntiatio. Inuentio est excogitatio rerum uerarum, aut ueriſimilium, quæ causam probabilem reddant. Dispositio est rerũ inuentarum in ordinem distributio. Elocutio est idoneorum uerborum, & sententiarum ad inuentionem accommodatio. Memoria est firma animi rerum, ac uerborũ ad inuentionem perceptio. Pronuntiatio est ex rerũ, & uerborum dignitate, uocis, & corporis moderatio. Nunc his rebus breuiter constitutis, eas rationes, quibus ostendere possimus genus, & officium, & finem huius artis, aliud in tempus differemus. Nam et multorum uerborum indigent, & non tantopere ad artis descriptionem, & præcepta tradenda pertinent. Eum autem, qui artem rhetoricam scribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis, ac partibus scribere oportere existimamus. Ac mihi qdem uidetur coniunctim agendum de materia, ac partibus. Quare inuentio, quæ princeps est omnium partium potissimum in omni causarum genere, qualis debeat esse, consyderetur.

OMNIS res, quæ habet in se positam in dictione, aut disceptatione aliquam controuersiam aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis continet quæstionem. Eam igitur quæstionem, ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus. Constitutio est prima conflictio causarũ ex depulsione intentionis profecta, hoc modo. Feci. non feci. aut iure feci. Cum facti controuersia est, quoniam coniecturis causa firmatur, constitutio coniecturalis appellatur. Cum autem nominis, quia uis uocabuli definienda uerbis est, constitutio definitiua nominatur. Cum uero qualis sit res quæritur, quia & de ui, & de genere negotij controuersia est, constitutio generalis uocatur. At cũ causa ex eo pendet, quod nõ aut is agere uitur, quem oportet, aut non cum eo, q cũ oportet, aut non apud quos, quo tẽpore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, translatiua dicitur constitutio, qa actio translationis, & cõmutationis indigere uidetur, Atq; harum aliquam in omne causæ genus incidere necesse est. Nam in quam non inciderit, in ea nihil esse poterit controuersiæ. Quare eã nec causam qdem conuenit putari. Ac facti quidem controuersia in omnia tempora potest distribui. Nam qd factum

sit, potest quæri hoc modo. occiderit ne Aiacem Vlysses. & quid fiat, hoc modo. Bono ne animo sint erga populũ R. fregellani. & quid futurum sit, hoc modo. Si Carthaginẽ reliquerimus incolumem, nũ qd sit incommodi ad remp. peruenturũ. Nominis controuersia est, cũ de facto conuenit, et quæritur id, quod factum est, quo nomine appelletur. Quo in genere necesse est ideo nominis esse controuersiam, non quod de re ipsa non conueniat. non quod de facto non constet, sed qđ id, quod factum sit, aliud alij uideatur esse, et ideo alius alio nomine id appellet. Quare i huiusmodi generibus definiẽda res erit uerbis, & breuiter describenda, ut si quis sacrum ex priuato surripuerit, utrum fur, an sacrilegus sit iudicandus. Nam id cum quæritur, necesse erit definire utrunq; quid sit fur, quid sacrilegus, et sua descriptione ostendere, alio nomine illã rem, de qua agitur, appellari oportere, atq; aduersarij dicunt. Generis est controuersia, cum & quid factum sit, conuenit, & quo id factum nomine appellari oporteat, constat, & tamen quãtum, & cuiusmodi, & omnino quale sit, quæritur, hoc modo. Iustum, an iniustum. utile, an inutile. & omnia, in qbus quale sit id, quod factum est, quæritur sine ulla nominis controuersia. Huic generi Hermagoras partes quatuor supposuit. deliberatiuã, demonstratiuam, iuridicialẽ, negotialem. Quod eius, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendũ uidetur, uerũ breui, ne si aut taciti præterierimus, sine causa non secuti eum putemur, aut si diutius in hoc constiterimus, moram, atq; impedimentum reliquis præceptis intulisse uideamur. Si deliberatio, & demonstratio genera sunt causarũ, non possunt recte partes alicuius generis causæ putari. Eadẽ enim res alij genus esse, alij pars potest. eidẽ genus esse, & pars non potest. Deliberatio autẽ, & demonstratio genera sunt causarũ. Nam aut nullũ causæ genus est, aut iudiciale solum, aut & iudiciale, & demonstratiuũ, et deliberatiuum. Nullum dicere causæ esse genus, cũ causas esse multas dicat, & in eas præcepta det, amentia est. Vnum autẽ iudiciale solũ esse qui potest? cum deliberatio, & demonstratio neq; ipsæ simules inter se sint, et ab iudiciali genere plurimũ dissideant, & suũ quæq; finem habeat, quo referri debeat. Relinquitur ergo, ut omnia tria genera sint causarũ.

Deliberatio igitur, & demonstratio nõ possunt recte partes alicuius generis causæ putari. Male igitur eas generalis cõstitutionis partes esse dixit. Quod si generis causæ partes nõ possunt recte putari, multo minus recte partis causæ partes putabũtur. Pars autẽ causæ cõstitutio est oĩs. Nõ enim causa ad cõstitutionẽ, sed cõstitutio ad causam accommodatur.

accommodatur. sed demonstratio, & deliberatio generis causæ partes nõ possunt recte putari, qđ ipsa sunt genera. Multo igitur minus recte partis eius, qđ hic dicit, partes putabũtur. Deinde, si constitutio & ipsa, & pars eius quælibet, intentionis depulsio est, quæ intentionus depulsio nõ est, ea nec cõstitutio, nec pars cõstitutionis est. At si quæ intentionis depulsio nõ est, ea nec cõstitutio, nec pars constitutionis est, demonstratio, et deliberatio, neq; cõstitutio, nec pars cõstitutionis est. Si igitur cõstitutio, et ipsa, et pars eius quælibet intentionus depulsio est, deliberatio, et demonstratio, neq; cõstitutio, neq; pars cõstitutionis est. placet autẽ ipsi constitutionẽ intentionis esse depulsionẽ. placeat igitur oportet demonstrationẽ, & deliberationem, nec esse constitutionẽ, nec partem constitutionis. Atq; hoc eodẽ incommodo urgebitur, siue constitutionẽ primã causæ accusatoris confirmationem dixerit, siue defensoris primã deprecationẽ. Nã eũ cadẽ omnia incommoda sequentur. Deinde coniecturalis causa non potest simul ex eadẽ parte eodẽ in genere & coniecturalis esse, & definitiua. Rursus nec definitiua causa potest simul ex eadem parte eodem in genere & definitiua esse, & translatiua. Et omnino nulla constitutio, nec pars constitutionis potest simul, & suã habere, et alterius in se uim continere. Ideo quod unaquæq; ex se, & ex sua natura simpliciter consydera tur. Altera autẽ assumpta, numerus constitutionũ duplicatur, non uis constitutionis augetur. At deliberatiua causa simul ex eadẽ parte eodẽ in genere & coniecturalẽ, & generalẽ, & definitiuã, et translatiuam solet habere constitutionem, & unam aliquando, & plures nonnunquam. ergo ipsa nec constitutio est, nec pars constitutionis. Idẽ in demonstratione solet usu euenire. Genera ergo, ut ante diximus, hæc causarũ putanda sunt, non partes alicuius constitutionis. Hæc ergo constitutio, quam generalem nomnamus, partes nobis uidetur duas habere, iuridicialem, & negotialẽ. Iuridicialis est, in qua æqui, & recti natura, aut præmij, aut pœnæ ratio quæritur. Negotialis est, in qua qd iuris ex ciuili more, et æquitate sit, consyderatur, cui diligentiæ præesse apud nos iurisconsulti existimantur. Ac iuridicialis qdẽ ipsa in duas distribuitur partes, absolutam, et assumptiuã. Absoluta est, quæ ipsa in se cõtinet iuris, et iniuriæ quæstionẽ. Assumptiua est, quæ ipsa ex se nihil firmi dat ad recusationẽ, foris autem aliquid defensionis assumit. Eius partes sunt quatuor, concessio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Concessio est, cum reus non id, quod factum est, defendit, sed ut ignoscatur postulat. Hæc in duas partes diuiditur, purgationẽ, et deprecationẽ. pur=

gatio est, cũ factum cõceditur, culpa remouetur. Hæc pariẽs habet tres, imprudentiã, casum, necessitatem. Deprecatio est, cũ et peccasse, et consulto peccasse reus se confitetur, et tamen, ut ignoscatur, postulat, qđ genus perraro potest accidere. Remotio criminis est, cum id crimen, quod infertur, ab se, et a' sua culpa ui, et potestate in aliũ reus remouere conatur. Id dupliciter fieri poterit, si aut causa, aut factũ in aliũ transferetur. Causa transfertur, cũ aliena dicitur ui, et potestate. Factũ autem, cũ alius aut debuisse, aut potuisse facere dicitur. Relatio criminis est, cũ ideo iure factũ dicitur, quod alius ante iniuria lacessierit. Cõparatio est, cũ aliud aliquod factũ rectũ, aut utile cõtenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse cõmissum.

In quarta constitutione, quã translatiuam nominamus, eius constitutionis est controuersia, cũ aut quem, aut qui cum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo iure, aut quo tempore agere oporteat, quæritur, aut omnino aliqd de cõmutatione, aut infirmatione actionis agitur. Huius cõstitutionis Hermagoras inuentor esse existimatur, nõ quo nõ usi sint ea ueteres oratores sæpe multi, sed qa non animaduerterint artis scriptores eã superiores, nec retulerint in numerũ cõstitutionũ. Post autẽ ab hoc inuentã multi reprehenderũt, quos nõ tam imprudentia falli putamus (res enim pspicua est) quàm inuidia, atq; obtrectatione quadã impediri. Et cõstitutiones qdẽ, et earũ partes exposuimus, exempla autem cuiusq; generis tũc cõmodius exposituri uidemur, cũ in unũquodq; eorũ argumentorũ cõpiã dabimus. Nã armentandi ratio dilucidior erit, cũ et ad genus, et ad exemplũ causæ statim poterit accõmodari. Cõstitutione causæ reperta statim placet cõsyderare, utrũ causa sit simplex, an coniuncta, et si coniuncta erit, utrũ sit ex pluribus quæstionibus iuncta, an ex aliqua cõparatione. Simplex est, quæ absolutã in se continet unã quæstionem, hoc modo. Corinthys bellũ indicamus, an non? Coniuncta ex pluribus quæstiõibus, in qua plura quærũtur, hoc modo. utrũ Carthago dirua tur, an Carthaginiẽsibus reddatur. an eo' colonia deducatur. Ex cõparatione, in qua p contentionẽ, utrũ potius, aut qd potissimũ sit quæritur, ad hũc modũ. Vtrũ exercitus in Macedoniã cõtra Philippum mittatur, q socijs sit auxilio, an teneatur in Italia, ut quammaximæ cõtra Annibalẽ cõpiæ sint. Deinde cõsyderandũ est, an in ratiõe, an in scripto sit controuersia. Nam scripti cõtrouersia est ea, quæ ex scriptionis genere nascitur. Eius autẽ genera, quæ sunt separata à constitutionibus, qnq; sunt. Nam tũ uerba ipsa uidentur cũ sententia scriptoris dissidere, tum inter se duæ leges, aut plures discrepare, tum

id,quod ſcriptum eſt,duas,aut plures res ſignificare uidetur,tum ex eo,quod ſcriptū eſt,aliud quoq;,qđ non ſcriptum eſt,inueniri, tū uis uerbi,quaſi in definitiua cōſtitutióe,in quo poſita ſit,quæri. Quare primū genus de ſcripto,& ſententia.ſecundū ex contrarijs legibus. tertiū ambiguum.quartū ratiocinatiuū.quintum definituū nomina mus.Ratio eſt autē,cum omnis quæſtio nō in ſcriptióe, ſed in aliqua argumentatióe conſiſtit.Actum conſyderato genere cauſæ, & cognita conſtitutione,cū ſimplex ne, an coniuncta ſit,intellexeris,& ſcripti,an rationis habeat controuerſiā uideris. Deinceps erit uidendū, quæ quæſtio, quæ ratio,quæ iudicatio,quod firmamentum cauſæ ſit, quæ omina à conſtitutione proficiſcantur,oportet.Quæſtio eſt ea,quæ ex conflictione cauſarū gignitur controuerſia,hoc modo.non iure feci ſti,iure feci.Cauſarum autē hæc eſt conflictio, in qua conſtitutio conſtat.Ex ea igitur naſcitur controuerſia,quā quæſtionem dicimus, hoc modo.iure'ne fecerit.Ratio eſt ea,quæ continet cauſam,quæ ſi ſublata ſit,nihil i cauſa cōtrouerſiæ relinquetur,hoc modo,ut docendi cauſa in facili, & ꝓuulgato exemplo conſiſtamus.Oreſtes ſi accuſetur matricidij,niſi hoc dicat,iure feci.illa enim patrē meū occiderat,nō habet defenſionē,qua ſublata,omnis quoq; controuerſia ſublata ſit.Ergo eius cauſæ ratio eſt,qđ illa Agamemnonē occiderit.Iudicatio eſt,quæ ex infirmatióe,& confirmatione rationis naſcitur controuerſia.Nā ſit ea nobis expoſita ratio,quā paulo ante expoſuimus.Illa enim inquit patrē occiderat.At nō inqt aduerſarius,aós te filio matrē necari oportuit.Potuit enim ſine tuo ſcelere illius factū puniri.Ex hac deductione rationis ſumma naſcitur controuerſia, quā iudicationē appellamus.Ea eſt huiuſmodi. Rectum'ne fuerit ab Oreſte matrem occidi,cum illa Oreſtis patrem occidiſſet. Firmamentum eſt firmiſſima argumentatio defenſoris,& aptiſſima ad iudicationē.Vt ſi uelit Oreſtes dicere.Eiuſmodi animum matris ſuæ fuiſſe in patrē ſuū, in ſe ipſum,ac ſorores,in regnum,in famam generis,& familiæ, ut ab ea pœnas liberi ſui potiſſimum petere debuerint. Et in cæteris qdē conſtitutionibus ad hunc modū iudicationes reperiuntur,in coniectura li autem conſtitutione,qa ratio non eſt(factum enim nō conceditur)nō poteſt ex deductione rationis naſci iudicatio.Quare neceſſe eſt eandē eſſe quæſtionem,& iudicationem,ut factum eſt,factum nō eſt.factū ne ſit.Quot autē i cauſa conſtitutiōes,aut earū partes erūt,totidē neceſſe erit quæſtiones,ratiōes,iudicationes, firmamenta reperiri. His oībus in cauſa repertis,tū deniq; ſingulæ partes totiuscauſæ cōſyderādæ ſunt. Nā nō ut quodq; dicendū primū,ita primū animaducer-

tendum uidetur, ideo quod illa, quæ prima dicuntur, si uehementer uelis congruere, & cohærere cum causa, ex eis ducas oportet, quæ post dicenda sunt. Quare cum iudicatio, & ea, quæ ad iudicationem oportet inueniri argumenta, diligenter erunt artificio reperta, cura, & cogitatione pertractata, tunc deniq; ordinandæ sunt cæteræ partes orationis. Hæ partes sex esse omnino nobis uidẽtur. Exordiũ. Narratio. Partitio. Cõfirmatio. Reprehensio. Conclusio. Nunc, quoniã exordium princeps omnium esse debet, nos quoq; primum in ratione exordiendi præcepta dabimus.

EXORDIVM est oratio animũ auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem, quod eueniet, si eum beneuolũ, attentum, docilẽ fecerit. Quare, q̃ bene exordiri causam uolet, eũ necesse est genus suæ causæ diligenter ante cognoscere. Genera causarũ sunt q̃nq; Honestũ. Admirabile. Humile. Anceps. Obscurum. Honestum genus est, cui statim sine oratione nostra auditoris fauet animus. Admirabile, à quo alienatus est animus eorũ, q̃ audituri sunt. Humile, quod negligitur ab auditore, & non magnopere attendendum uidetur. Anceps, in quo aut iudicatio dubia est, aut causa & honestatis, & turpitudinis particeps, ut beneuolentiã pariat, & offensionem. Obscurum, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilioribus ad cognoscendũ negotijs causa implicita est. Quare, cum tam diuersa sint genera causarum, exordiri quoq; dispari ratione in uno quoq; genere necesse est. Igitur exordium in duas partes diuiditur, in principium, & insinuationem. Principiũ est oratio perspicue, & protinus perficiens auditorem beneuolum, aut docilem, aut attentum. Insinuatio est oratio quadam dissimulatione, & circuitione obscure subiens auditoris animum. In admirabili genere causæ, si non omnino infesti auditores erunt, principio beneuolentiam comparare licebit. Sin erunt uehementer abalienati, confugere necesse erit ad insinuationem. Nã ab iratis, si perspicue pax, & beneuolentia petitur, non modo ea non inuenitur, sed augetur, atq; inflammatur odiũ. In humili autem genere causæ, contemptionis tollendæ causa necesse erit attentum efficere auditorem. Anceps genus causæ, si dubiã iudicationem habebit, ab ipsa iudicatione exordiendũ est. Sin autem partem turpitudinis, & partem honestatis habebit, beneuolentiam captare oportebit, ut in genus honestum causa translata uideatur. Cum autẽ erit honestum causæ genus, uel præteriri principium poterit, & si cõmodum fuerit, aut à narratione incipiemus, aut à lege, aut ab aliqua firmissima ratione nostræ dictionis. Vel si uti principio placebit,

beneuolentiæ partibus utendum eſt, ut id, quod eſt augeatur. In ob-
ſcuro autẽ genere cauſæ ꝑ principiũ dociles auditores efficere opor-
tebit. Nunc, *quoniá, quas res exordio cõficere oporteat, dictum*
eſt, reliquũ eſt, ut oſtendatur ꝗbus quæq; res rationibus cõfici poſſit.
Beneuolẽtia *quatuor ex locis cõparatur.* Ab *noſtra, ab aduerſario-*
rum, ab iudicum ꝑſona, ab ipſa cauſa. Ab *noſtra, ſi de noſtris factis,*
& officijs ſine arrogantia dicemus. ſi crimina illata, & aliquas mi-
nus honeſtas ſuſpiciones iniectas diluemus. ſi quæ incommoda acci-
derint, aut quæ inſtent difficultates, proferemus. ſi preces, et obſecratio-
ne humili, ac ſupplici utemur. Ab *aduerſariorũ autem, ſi eos aut in*
odiũ, aut in inuidiã, aut in contemptionem adducemus. In *odiũ addu-*
cẽtur, ſiqd eorũ ſpurce, ſuperbe, crudeliter, malitioſe factũ proferetur.
In *inuidiam, ſi uis eorũ, potentia, diuitiæ, cognatio, pecuniæ proferen-*
tur, atq; eorũ uſus arrogans, & intolerabilis, ut his rebus magis ui-
deantur, quàm cauſæ ſuæ confidere. In *contemptionẽ adducentur, ſi*
eorũ inertia, negligentia, ignauia, deſidioſum ſtudiũ, & luxurioſum
otiũ proferetur. Ab *auditorũ perſona beneuolentia captabitur, ſi res*
ab his fortiter, ſapienter, manſuete geſtæ proferentur, ut nequa aſſen-
tatio numia ſignificetur, & ſi de his, quàm honeſta exiſtimatio, quan-
taq; eorũ iudicij, & authoritatis expectatio ſit, oſtendetur. Ab *ipſis*
rebus, ſi noſtram cauſam laudando extollemus, aduerſariorũ cauſam
per contemptionẽ deprimemus. Attentos *autem faciemus, ſi demonſtra-*
bimus ea, quæ dicturi erimus, magna. noua. incredibilia eſſe, aut ad
omnes, aut ad eos, qui audiunt, aut ad aliquos illuſtres homines, aut
ad deos immortales, aut ad ſummam reip. pertinere. & ſi pollicebi-
mur nos breui noſtram cauſam demonſtraturos, atq; exponemus iu-
dicationem, aut iudicationes, ſi plures erunt. Dociles *auditores facie-*
mus, ſi aperte, & breuiter ſummam cauſæ exponemus. hoc eſt, in quo
conſiſtat controuerſia. Nam *& cũ docilem uelis facere, ſimul atten-*
tum facias oportet. Nam *is maxime docilis eſt, q attenttiſſime eſt para-*
tus audire. Nũc *inſinuationes quẽadmodum tractari conueniat, de-*
inceps dicendũ uidetur. In *inſinuatione igitur utendũ eſt, cum admi-*
rabile genus cauſæ eſt, hoc eſt, ut ante diximus, cũ animus auditoris
infeſtus eſt. Id *autẽ tribus ex cauſis fit maxime, ſi aut ineſt in ipſa*
cauſa quædã turpitudo, aut ſi ab ijs, qui ante dixerunt, iam quiddã
auditori perſuaſum uidetur. Aut *ſi eo tempore locus dicendi datur,*
cum iam illi, quos audire oportet, defeſſi ſunt audiendo. Nam *ex hac*
quoq; re non minus, quàm ex primis duabus in oratorẽ nonunquã
animus auditoris offenditur. Si cauſæ turpitudo contrahet offenſionẽ,

aut pro eo homine, in quo offenditur, aliũ hominem, q̃ diligitur, interponi oportet, aut pro re, in qua offenditur, aliã rẽ, quæ probatur, aut pro re hominem, aut pro homine rẽ, ut ab eo, quod odit, ad id, q̃ diligit auditoris animus traducatur, & dissimulare id te defensurũ, quod existimeris defensurus. Deinde, cũ iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defensionem, et dicere ea, quæ indignantur aduersarij, tibi quoq; indigna uideri. Deinde, cũ lenieris eum, q̃ audiet, demonstrare nihil eorũ ad te ptinere, & negare te quicquã de aduersarijs esse dicturũ, neq; hoc, neq; illud, ut neq; aperte lædas eos, qui diliguntur, & tamen id obscure faciens, quo ad possis alienes ab eis auditorũ uoluntatem, & aliquorũ iudicium simuli de re, aut authoritatem proferre imitatione dignam. Deinde, aut eandem, aut cõsimlem, aut maiorem, aut minorem agi rem in præsentia demonstrare. Sin oratio aduersariorũ fidem uidebitur auditoribus fecisse, quod ei, q̃ intelligit, qbus rebus fides fiat, facile erit cognitu, oportet aut de eo, quod aduersarij sibi firmissimũ putarint, & maxime ij, qui audierint, probarint, primũ te dicturũ pollicẽri, aut ab aduersarij dicto exordiri, et ab eo potissimũ, quod ille nuperrime dixerit, aut dubitatione uti q̃d primũ dicas, aut cui potissimũ loco respondeas cũ admiratione. Nã auditor, cum eum, quem aduersarij ptурbatum putant, oratione uidet animo firmissimo contradicere paratum, plerunq; se potius temere assensisse, quàm illũ sine causa confidere arbitratur. Sin auditoris studiũ defatigatio abalienauit a' causa, te breuius, quàm paratus fueris esse dicturũ, commodũ est pollicẽri, nõ imutaturum aduersariũ. Sin res dabit, non inutile est, ab aliqua re noua, & ridicula incipere, aut ex tempore, quæ nata sit, quod genus strepitũ, acclamationem, aut iam parata, quæ uel apologũ, uel fabulam, uel aliquã contineat irrisionem, aut si rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliq̃d triste, nouum, horribile statim nõ incommodũ est inijcere. nam ut cibi satietas, et fastidiũ, aut subamara aliqua re releuatur, aut dulci mutigatur, sic animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu renouatur. Ac separatim q̃dem, quæ de principio, et insinuatione dicẽda uidebantur, hæc ferè sunt. Nũc q̃dã breue cõmuniter de utroq; præcipiẽdũ uidetur. Exordiũ sentẽtiarũ, et grauitatis plurimũ debet habere, et omnino omnia, quæ ptinẽt ad dignitatẽ cõtinere in se, propterea q̃ id optime faciẽdũ est, q̃ orátorẽ auditori maxime cõmendat. Splẽdoris, et festiuitatis, & concinnitudinis minimum, propterea quod ex his suspicio quædã apparationis, atq; artificiosæ diligentiæ nascitur, quæ maxime oratio-

ni fidē, oratori adimit authoritatem. Vitia uero hæc sunt certissima exordiorum, quæ summopere uitare oportebit, uulgare, commune, cō mutabile, longum, separatum, translatum, contra præcepta. Vulgare est, quod in plures causas potest accommodari, ut conuenire uideatur. Commune est, quod nihilo minus in hanc, quàm in contrariam partem causæ potest conuenire. Commutabile est, quod ab aduersario potest leuiter mutatum ex contraria parte dici. Longū est, quod pluribus uerbis, aut sententijs ultra, quàm satis est, producitur. Separatum est, quod non ex ipsa causa ductum est, nec sicut aliquod membrum annexū orationi. Translatum est, quod aliud conficit, quàm causæ genus postulat, ut siquis docilem faciat auditorem, cum beneuolentiam causa desyderet, aut si principio utatur, cum insinuationem res postulat. Contra præcepta est, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordijs præcepta traduntur, hoc est, quod eum, qui audit neq; beneuolum, neq; attentum, neq; docilem reddit, aut, quo profecto nihil peius est, ut contra sit, facit. Ac de exordio qdē satis dictum est.

n ARRATIO est rerum gestarum, aut ut gestarum expositio. Narrationum tria sunt genera. Vnum genus est, in quo ipsa causa, & omnis ratio controuersiæ continetur. Alterum, in quo digressio aliqua extra causam, aut crimnationis, aut simlitudinis, aut delectationis non alienæ ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis causa interponitur. Tertium genus est remotum à ciuilibus causis, quod delectationis causa non inutili cum exercitatione dicitur, & scribitur. Eius partes sunt duæ, quarum altera in negotijs, altera in personis maxime uersatur. Ea, quæ in negotiorum expositione posita est, tres habet partes, fabulam, historiam, argumentum. Fabula est, in qua nec ueræ, nec ueriſimles res continentur, cuiusmodi est.

Angues ingentes alites iuncti iugo.

Historia est gesta res ab ætatis nostræ memoria remota, qđ genus, Appius indixit Carthaginiensibus bellum. Argumentum est ficta res, quæ tamen fieri potuit huiusmodi apud Terentium.

Nam is, postquam excessit ex ephebis Sosia.

Illa autē narratio, quæ uersatur in personis, eiusmodi est, ut in ea simul cum rebus ipsis personarū sermones, & animi ꝑspici possint,

Venit ad me sæpe clamtans, quid agis Mitio? (hoc modo.
Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptus suggeris.
Vestitu nimio ĩdulges, nimū ĩeptus es. Nimū ipse durus est, præter

æquum,& bonum. Hoc in genere narrationis multa ineſſe debet feſtiuitas confecta ex rerum uarietate, animorum diſſimilitudine, grauitate, lenitate, ſpe, metu, ſuſpicione, deſyderio, diſſimulatione, errore, miſericordia, fortunæ commutatione, inſperato incommodo, ſubita lætitia, iucundo exitu rerũ. Verũ hæc ex ijs, quæ poſtea de elocutione præcipientur, ornamenta ſumuntur. Nunc de narratione ea, quæ cauſæ continet expoſitionem, dicendum uidetur. Oportet igitur eã tres habere res, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit. Breuis erit, ſi unde neceſſe eſt, inde initiũ ſumetur, & non ab ultimo repetetur, & ſi cuius rei ſatis erit ſummam dixiſſe, eius partes nõ dicentur. nam ſæpe ſatis eſt, quid factum ſit dicere, non ut enarres, quemadmodum ſit factum, & ſi non longius, quàm quod ſcitu opus eſt, in narrando procedetur, & ſi nullã in rem aliam tranſibitur, & ita ſi dicetur, ut nõnunquã ex eo, quod dictum ſit, id, qđ dictum nõ ſit intelligatur, & ſi non modo id, quod obeſt, uerum etiam id, quod nec obeſt, nec adiuuat præteribitur. et ſi ſemel unumquodq; dicetur, et ſi non ab eo in quo proxime deſitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio decipit breuitatis, ut cũ ſe breues putent eſſe, longiſſimi ſint, cum dent operam, ut res multas breuiter dicant, non ut omnino paucas res dicant, & non plures, quàm neceſſe ſit. nã pleriſq; breuiter dicere uidetur, qui ita dicit. accẽſſi ad ædes. puerum euocaui. reſpondit. quæſiui dominum, domi nagauit eſſe. tametſi tot res breuius nõ potuit dicere, tamen, quia ſatis fuerat dixiſſe, domi negauit eſſe, ſit rerum multitudine longus. quare hoc quoq; in genere uitanda eſt breuitatis imitatio, & non munus rerum nõ neceſſariarũ, quàm uerborum multitudine ſuperſedendum eſt. Aperta autem narratio poterit eſſe, ſi ut quodq; primum geſtum erit, ita primum exponetur, et rerum, ac temporũ ordo ſeruabitur, ut ita narrentur, ut geſtæ res erunt, aut ut potuiſſe geri uidebuntur, hic conſyderandũ erit, nequid perturbate, nequid contorte dicatur, nequam in aliam rem tranſeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, nequid, quod ad rem pertineat, prætereatur, & omnino, quæ præcepta de breuitate ſunt, hoc quoq; in genere ſunt conſeruanda. nam ſæpe res parũ eſt intellecta longitudine magis, quàm obſcuritate narrationis. Ac uerbis quoq; dilucidis utendum eſt, quo de genere dicendũ eſt in præceptis elocutionis. Probabilis erit narratio, ſi i ea uidebuntur ineſſe ea, quæ ſolẽt apparere in ueritate, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur, ſi cauſæ factorum extabunt, ſi fuiſſe facultates faciundi uidebuntur, ſi tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis, ſi locus opportunus ad eandem rem, qua de re

narrabitur

narrabitur fuisse ostendetur, si res & ad eorum qui agunt, naturam, & ad uulgi rumorem, & ad eorum q audiunt, opinionem accommodabitur, ac ueri quidē simlis ex his rationibus esse poterit. Illud autem præterea consyderare oportebit, ne aut cū obsit narratio, aut cum nihil prosit, tunc interponatur, aut non loco, aut non quemadmodum causa postulat, narretur. Obest tum, cum ipsius rei gestæ expositio magnam excipit offensionem, quā argumentando, & causam agendo leniri oportebit. Quod cum acciderit, membratim oportebit partes rei gestæ dispergere in causam, & ad unanquanq; confestim rationem accommodare, ut uulneri præsto medicamentū sit, & odiū statim defensio mitiget. Nihil prodest narratio tunc, cum ab aduersarijs re exposita, nostra nihil interest iterū, aut alio modo narrare, aut cum ab ijs, qui audiunt, ita tenetur negotium, ut nostra nihil interfit, eos alio pacto docere. Quod cum acciderit, omnino narratione supersedendū est. Non loco dicitur, cum non in ea parte orationis collocatur, in qua res postulat, quo de genere agimus tū, cum de dispositione dicemus. nā hoc ad dispositionē ptinet. Non quemadmodū causa postulat, narratur, cū aut id, quod aduersario prodest, dilucide, & ornate exponitur, aut id, quod se ipsum adiuuat, obscure dicitur, & negligenter. Quare, ut hoc uitium uitetur, omnia torquenda sunt ad commodum suæ causæ, contraria, quæ præteriri poterunt prætereundo, quæ illius erunt, leuiter attingendo, sua diligenter, & enodate narrando. Ac de narratione quidem satis dictum uidetur, deinceps ad partitionem transeamus.

RECTE habita in causa partitio, illustrem, & perspicuam totam efficit orationem. Eius partes duæ sunt, quarū utraq; magnopere ad aperiendam causam, & constituendam pertinet controuersiam. Vna pars est, quæ, quid cū aduersarijs conueniat, & & qd in controuersia relinquatur, ostendit, ex qua certū qd dā designatur auditori, in quo animū debeat habere occupatū. Altera est, in qua rerum earū, de quibus erimus dicturi, breuiter expositio ponitur distributa, ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, qbus dictis, intelligat fore peroratū. Nunc utroq; genere partitionis quemadmodum conueniat uti, breuiter dicendum uidetur.

Quæ partitio, quid conueniat, aut qd nō conueniat, ostendit, hæc debet illud, qđ conuenit, inclinare ad suæ causæ commodū, hoc modo. Interfectam matrē esse à filio conuenit mihi cū aduersarijs. Itē contra, interfectum esse à Clitemnestra Agamemnonem conuenit. nā hic uterq; & id posuit, qđ conueniebat, & tamen suæ causæ com-

modo consuluit. Deinde, quid in cõtrouersia sit, ponendũ est in iudi-
cationis expositione, quæ quemadmodũ inueniretur, ante dictũ est.
Quæ autem partitio, rerũ distributam cõtinet expositionem, hæc ha
bere debet breuitatem, absolutionem, paucitatẽ. Breuitas est, cum
nisi necessarium nullum assumitur uerbũ. hæc in hoc genere icirco
utilis est, quod rebus ipsis, & partibus causæ, non uerbis, neq; extra
neis ornamentis animus auditoris tenendus est. Absolutio est, per
quam omnia, quæ incidunt in causam, in genera, de quibus postea di
cendum est, amplectimur partitione. In qua uidendum est, ne aut ali
quod genus utile relinquatur, aut serò extra partitionẽ, id, quod ui-
tiosissimum, ac turpissimum est, inferatur. Paucitas in partitione ser-
uatur, si genera ipsa rerũ ponuntur, neq; ꝑmiste cũ partibus implicã
tur. nã genus est, qđ plures partes amplectitur, ut animal. pars est,
quæ subest generi, ut equus, sed sæpe cadẽres alij genus, alij pars est.
nam homo animalis pars est; Thebani, aut Troiani genus. Hæc ideo
diligentius inducitur præscriptio, ut aperte intellecta generali parti
tione, paucitas generũ in partitione seruari possit. nã q ita partitur,
ostendã propter cupiditatẽ, & audaciã, & auaritiam aduersariorũ
omnia incommoda ad remp. ꝓuenisse, is nõ intellexit in partitione
exposito genere, partẽ se generis admiscuisse. nam genus est omniũ
nimirum libidinũ cupiditas, eius autem generis sine dubio pars est
auaritia. hoc igitur uitandum est, ne cuius genus posueris, eius secũ
aliquã, sicuti diuersam, & dissimilem partem ponas in eadẽ parti-
tione. Quod, siquod in genus plures incident partes, id cũ in prima
partitione causæ erit simpliciter expositũ, distribuetur eo tẽpore com
modissime, cũ ad ipsum uentum erit explicandũ in causæ dictione
post partitionem. Atq; illud quoq; ꝑtinet ad paucitatem, ne aut plu-
ra, quàm satis est, demonstraturos nos esse dicamus, hoc modo. Osten
dam aduersarios, quod arguimus, & potuisse facere, & uoluisse, &
fecisse. nã fecisse ostendere satis est, aut cum in causa partitio nulla sit,
& quiddam simplex agatur, tamen utamur distributione, id'q; per-
raro potest accidere. Ac sunt alia quoq; præcepta partitionum, quæ
ad hunc usum oratoriũ nõ tantopere ꝑtinent, quæ uersantur in phi
losophia, ex quibus hæc ipsa transtulimus, quæ conuenire uidebã-
tur, quorũ nihil in cæteris artibus inueniebamus. Atq; his de parti
tione præceptis, in omni dictione meminisse oportebit, ut & prima
quæq; pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur, &
omnibus explicatis, peroratum sit, hoc modo. ut nequid posterius præ-
ter conclusionem inferatur. partitur autem apud Terentiũ breuiter,

& commode

& commode senex in Andria, quæ cognoscere libertum uelit.

Eo pacto & nati uitam, & consilium meum
Cognoscæs, & quid facere in hac re te uelim.

Itaq; quēadmodū ī partitiōe proposuit, ita narrat. primū nati uitā.

Nam is, postquam excæssit ex ephebis Sosia.

Deinde suū cōsiliū. Et nunc id operā do. posthæc qd Sosiam uelit facere, id, quod postremū posuit in partitione, postremū dicat. Nunc tuū est officiū. Quēadmodū igitur hic et ad primā quanq; partem primū accessit, et oībus absolutis, finē dicendi fecit, sic nobis placet, et ad singulas partes accedere, & omnibus absolutis, perorare. Nūc de cōfirmatione, deincæps ita, ut ordo ipse postulat, præcipiēdū uidetur.

c CONFIRMATIO est, per quam argumentando nostræ causæ fidem, & authoritatem, & firmamentum adiungit oratio. Huius partis certa sunt præcepta, quæ in singula causarum genera diuidentur. Veruntamen non incommodum uidetur quandam syluam, atque materiam uniuersam ante permistam, & confusam exponere omnium argumentationum. Post autem tradere quemadmodum ununquodq; genus causæ hinc omnibus argumentandi rationibus tractis, cōfirmare oporteat. Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotijs est attributum. Ac personis has res attributas putamus, nomen, naturam, uictum, fortunam, habitum, affectionem, studia, cōsilia, facta, casus, orationes. Nomen est, quod unicuique personæ datur, quo suo quæque proprio, & certo uocabulo appellatur. Naturam ipsam definire difficile est. Partes autem eius enumerare eas, quarum indigemus ad hanc præceptionem facilius est. hæ autem partim diuino, partim mortali in genere uersantur. Mortalium autem, pars in hominum, pars in bestiarum genere enumeratur; atque hominum genus & in sexu consyderatur, uirile, an muliebre sit, & in natione, patria, cognatione, ætate. Natione grauius, an barbarus. Patria Atheniensis, an Lacedæmonius. Cognatione, quibus maioribus, quibus consanguineis. Aetate, puer, an adolescens. natu grandior, an senex. Præterea commoda, & incommoda consyderantur ab natura data animo, aut corpori, hoc modo. ualens, an imbecillis, longus, an breuis, formosus, an deformis, uelox, an tardus sit, acutus, an hebetior, memor, an obliuiosus, comis, officiosus, patiens, prudens, an contra, & omnino, quæ à natura data animo, & corpori consyderabuntur, in natura consyderanda sunt. Nam quæ industria comparantur, ad habitum pertinent, de quo po-

sterius dicendum est. In victu cõsyderare oportet, apud quos, et quo more, & cuius arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos uiuendi præceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quæstu, artificio sit occupatus, quomodo rem famliarẽ administret, qua cõsuetudine domestica sit. In fortuna quæritur seruus sit, an liber, pecuniosus, an tenuis, priuatus, an cum potestate. si cum potestate iure, an iniuria, felix, clarus, an contra, quales liberos habeat. Ac si de non uiuo quæretur, etiã quale morte sit affectus erit cõsyderandũ. Habitum autem appellamus animi, aut corporis cõstantem, et absolutam aliqua in re pfectionem, ut uirtutis, aut artis perceptionem alicuius, aut quãuis scientiam. Et item corporis aliquã commoditatem non natura datam, sed studio, & industria cõparatam. Affectio est animi, aut corporis ex tẽpore aliqua de causa cõmutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & alia, quæ genere in eodẽ reperiuntur. Studium est autem animi assidua, & uehemens ad aliquam rẽ applicata magna cũ uoluntate occupatio, ut philosophiæ, poetices, geometriæ, literarũ. Consilium est aliquid faciendi, aut non faciẽdi uere excogitata ratio.

Facta autem, & casus, et orationes tribus ex temporibus cõsyderabuntur, quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit, aut quid faciat, quid ipsi accidat, qd dicat, aut qd facturus sit, qd ipsi casurum sit, qua sit usurus oratione, ac personis qdem hæc uidentur esse attributa. Negotijs autem, quæ sunt attributa, partim sunt continentia cũ ipso negotio, partim in gestione negotij cõsyderantur, partim adiuncta negotio sunt, partim gestum negotium cõsequuntur. Continentia cum ipso negotio sunt ea, quæ semper affixa esse uidentur ad rẽ, neq; ab ea possunt separari. Ex his prima est breuis cõplexio totius negotij, quæ summam continet facti, hoc modo. Parẽtis occisio. patriæ proditio. Deinde causa eius summæ, per quam, & quamobrẽ, & cuius rei causa factum sit, quæritur. Deinde ante rem gestam, quæ facta sunt continentur, usq; ad ipsum negotium. Deinde quid in ipso gerendo negotio quid actum sit. Deinde quid postea factum sit. In gestione autẽ negotij, q locus secũdus erat, de ijs, quæ negotijs attributa sunt, quæritur locus, tempus, modus, occasio, facultas. Locus cõsyderatur in quo res gesta sit ex opportunitate, quam uideatur habuisse ad negotiũ administrandũ. Ea autem opportunitas quæritur ex magnitudine, interuallo, longinquitate, propinquitate, solitudine, cœlebritate, natura ipsius loci, et uicinitate totius regionis. Ex his etiã attributoibus, sacer, an profanus, publicus, an priuatus, alienus, an ipsius, de quo agi-

tur, locus

tur, locus sit, an fuerit. Tempus autem est id, quo nunc utimur (Nã ipsum quidem generaliter definire difficile est) pars quædam æternitatis cum alicuius annui, menstrui, diurni, nocturni'ue spatij certa significatione. In hoc & quæ præterierunt consyderantur, & eorum ipsorum, quæ propter uetustatem obsoleuerunt, ut incredibilia uideantur, & iam in fabularum numerum reponantur, & quæ iandiu gesta, et à memoria nostra remota, tamen faciant fidem uere tradita esse, quod eorum monimenta certa in literis extent, & quæ nuper gesta sint, quæ scire pleriq; possint, & item quæ instent in præsentia, & quæ maxime fiant, et quæ consequantur. In qbus potest consyderari, quid ocyus, & quid serius futurũ sit. & itẽ communiter in tẽpore perspiciendo longinquitas eius est consyderanda, nã sæpe oportet commetiri cum tempore negotiũ, & uidere potuerit'ne aut magnitudo negotij, aut multitudo rerum in eo transigi tempore. Consyderatur autem tempus & anni, & mensis, & diei, & noctis, & uigiliæ, & horæ, & in aliqua parte alicuius horum. Occasio autem est pars temporis habens in se alicuius rei idoneam faciendi, aut nõ faciendi opportunitatem. Quare, cum tempore hoc differt. Nam genere quidem utrunq; idem esse intelligitur. Verum in tempore spatiũ quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte spectatur. In occasione ad spatiũ temporis faciendi quædã opportunitas intelligitur adiuncta. Quare cũ genere idẽ sit, fit aliud, quod quadam parte, & specie, ut diximus, differat. Hoc distribuitur in tria genera, in publicum, commune, singulare. Publicum est, quod ciuitas uniuersa aliqua de causa frequentat, ut ludi, dies festus, bellum. Commune est, quod accidit omnibus eodem ferè tempore, ut messis, uindemia, calor, frigus. Singulare autẽ est, qđ aliqua de causa priuatim solet alicui accidere, ut nuptiæ, sacrificium, funus, cõuiuium, somnus. Modus autem est, in quo quemadmodum, & quo animo factum sit, quæritur. Eius partes sunt prudentia, & imprudentia. Prudentiæ autem ratio quæritur ex ijs, quæ clàm, palàm, ui, persuasione fecerit. Imprudentia autem in purgationem confertur, cuius partes sunt insciti a, casus, necessitas, et in affectionem anim. hoc est, molestiam, iracundiam, amorem, & cætera, quæ in simili genere uersantur. Facultates sunt, aut quibus facilius fit, aut sine qbus aliquid confici non potest. Adiunctum autem negotio id intelligitur, quod maius, & qđ minus, et quod simile erit ei negotio, de quo agitur, & quod æque magnum, & qđ contrarium, & quod dispe=ratum, & genus, & pars, & euentus. Maius, & minus, & æque

magnum ex ui,& numero,& ex figura negotij,sicut ex statura corporis cõsyderatur. Simile autem ex specie cõparabili,aut ex conferenda, atque assimilanda natura iudicatur. Contrarium est, quod positum in genere diuerso,ab eodem, cui contrariũ esse dicitur, plurimum distat,ut frigus calori,uitæ mors. Disperatum autem est id,quod ab aliqua re per oppositionem negationis separatur, hoc modo.sapere,et non sapere. Genus est,quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas. Pars est,quæ subest generi, ut cupiditati amor,auaritia. Euentus est alicuius exitus negotij,in quo quæri solet,qd ex quaque re euenerit,eueniat,euẽturumq; sit. Quare hoc in genere ut cõmodius, quid euenturum sit, ante animo cõlligi possit, quid quaque ex re soleat euenire,cõsyderandum est, hoc modo.ex arrogantia odium.ex insolentia arrogantia. Quarta autem pars est ex ijs,quas negotijs dicebamus esse attributas,cõsecutio. In hac hæres quæruntur,quæ gestum negotium cõsequuntur. Primum, quod factum est,quo id nomine appellari conueniat.Deinde eius facti qui sunt principes,& inuentores, qui denique authoritatis eius, & inuentionis cõprobatores,atq; æmuli.Deinde ecquæ ea de re, aut eius rei sit lex,cõsuetudo,actio, iudicium, scientia, artificium. Deinde natura eius euenire uulgo soleat,an insolenter,& raro.Postea homines id sua authoritate cõprobare,an offendi in his consueuerint,& cætera,quæ factum aliquod simliter confestim, aut ex interuallo solent cõsequi.Deinde postremo attendendum est, num quæ res ex ijs rebus,quæ sunt positæ in partibus honestatis,aut utilitatis cõsequantur,de quibus in deliberatiuo genere causæ distinctius erit dicendum.Ac negotijs quidem ferè res eæ,quas commemorauimus,sunt attributæ. Omnis autem argumentatio,quæ ex ijs locis,quos commemorauimus,sumetur,aut probabilis,aut necessaria debebit esse. Etenim,ut breuiter describamus, argumentatio uidetur esse inuentum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter ostendens,aut necessarie demonstrans.Necessarie demonstrantur ea, quæ aliter ac dicuntur,nec fieri,nec probari possunt,hoc modo.Si peperit,cũ uiro concubuit. Hoc genus argumentandi,quod in necessaria demonstratione uersatur,maxime tractatur in dicendo,aut per complexionem,aut per enumerationem,aut per simplicem conclusionem.

Complexio est,in qua utrum concesseris, reprehenditur ad hunc modum.Si improbus est,cur uteris? sin probus,cur accusas? Enumeratio est,in qua pluribus rebus expositis,& cæteris infirmatis,una reliqua necessario confirmatur,hoc pacto.Necesse est,aut inimicitiarum causa

rum causa ab hoc esse occisum, aut metus, aut spei, aut alicuius amici gratia, aut si horum nihil est, ab hoc non esse occisum. Nam sine causa maleficium suscęptum esse non potest. Sed neq; inimicitiæ fuerunt, nec metus ullus, nec spes ex morte illius alicuius commodi, neq; ad amicum eius aliquem mors eius pertinebat. Relinquitur igitur, ut ab hoc non sit occisus. Simplex autem conclusio ex necessaria consecutione conficitur, hoc modo. Si uos me istud eo tempore fecisse dicitis, ego autem eo ipso tempore trans mare fui, relinquitur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere. atque hoc diligenter uidere oportebit, ne quo pacto genus hoc refelli possit, ut ne confirmatio modum in se argumentationis solum habeat, & quandam similitudinem necessariæ conclusionis, uerum ipsa argumentatio ex necessaria ratione consistat.

Probabile autem est id, quod ferè fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad hoc quandam similitudinem, siue id falsum est, siue uerum. In eo genere, quod ferè solet fieri, probabile huiusmodi est. Si mater est, diligit filium. Si auarus est, negligit iusiurandum. In eo autem, quod in opinione positum est, huiusmodi sunt probabilia. Impijs apud inferos pœnas esse præparatas. Eos, qui philosophiæ dent operam, non arbitrari deos esse. Similitudo autem in contrarijs, & in paribus, & in ijs rebus, quæ sub eandem cadunt rationem, maxime spectatur. In contrarijs, hoc modo. Nam si ijs, qui imprudenter læserunt, ignosci conuenit, ijs, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet. Ex pari sic. Nam, ut locus in mari sine portu nauibus esse non potest tutus, sic animus sine fide stabilis amicis non potest esse. In ijs rebus, quæ sub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile consyderatur. Nam, si Rhodijs turpe non est portorium locare, nec Hermacreonti quidem turpe est conducere. Hæc tum uera sunt, hoc pacto, Quoniam cicatrix est, fuit uulnus. Tum ueri similia, hoc modo. Si multus erat in calcęis puluis, ex itinere eum uenire oportebat. Omne autem, ut certas quasdă in partes distribuamus, probabile, quod sumitur ad argumentationem, aut signum est, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. Signum est, quod sub sensum aliquem cadit, & quiddam significat, quod ex ipso profectum uidetur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum, & tamen indiget testimonij, & grauioris confirmationis, ut cruor, fuga, pallor, puluis, & quæ his sunt similia. Credibile est, quod sine ullo teste auditoris opinione fir-

matur,hoc modo.Nemo eſt,qui non liberos ſuos incolumes & beatos eſſe cupiat.Iudicatum eſt res aſſenſione,aut authoritate,aut iudicio alicuius,aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus ſpectatur,religioſo,communi,approbato. Religioſum eſt,quod iurati legibus iudicauerunt.Cõmune eſt,quod omnes uulgo probarunt,et ſecuti ſunt huiuſmodi,ut maioribus natu aſſurgatur,ut ſupplicum miſereatur. Approbatum eſt,qđ homines,cum dubium eſſet,quale haberi oporteret,ſua conſtituerunt authoritate,uelut Gracchi patris factum,quẽ Populus R.ob id factũ, quod inſciente collega in cenſura nihil egiſſet,poſt cenſuram conſulem fecit. Comparabile autem eſt, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquã rationem continet. Eius ſunt partes tres imago,collatio,exemplum. Imago eſt oratio demonſtrans corporũ,aut naturarũ ſimilitudinem. Collatio eſt oratio rem cum re ex ſimilitudine conferens.Exemplum eſt, quod rem authoritate,aut caſu alicuius hominis,aut negotij confirmat, aut infirmat. Horum exẽpla et deſcriptiones in præceptis elocutionis cognoſcentur. Ac fons quidem confirmationis,ut facultas tulit,apertus eſt,nec minus dilucide,q̃ rei natura ferebat,demonſtratus eſt. Quemadmodum autem quæq; conſtitutio,& pars conſtitutionis,et omnis controuerſia,ſiue in ratione,ſiue in ſcripto uerſetur,tractari debeat,et quæ in quasq; argumentationes conueniãt,ſingulatim in ſecundo libro de unoquoq; genere dicemus.In præſentia tantummodo numeros,et modos,& partes argumentandi confuſe,& permiſte diſperſimus,poſt diſcrete,& electe in genus quodq; cauſæ,q̃d cuiq; conueniat,ex hac copia digerenus,atq; inueniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit,inuentã exornari,et certas in partes diſtingui & ſuauiſſimum eſt,& ſumme neceſſarium,& ab artis ſcriptoribus maxime neglectum.Quare,& de ea præceptione nobis & in hoc loco dicendum uiſum eſt,ut ad inuentionem argumenti, abſolutio quoq; argumentandi adiungeretur,& magna cum cura,& diligentia locus hic omnis conſyderandus eſt,quod non rei ſolum magna utilitas eſt,ſed præcipiendi quoq; ſumma difficultas.

OMNIS igitur argumentatio aut p inductionẽ tractanda eſt,aut per ratiocinationem. Inductio eſt oratio, quæ rebus non dubijs captat aſſenſionem eius,qui cum inſtituta eſt,quibus aſſenſionibus facit,ut illi dubia quædam res propter ſimilitudinem earum rerum,quibus aſſenſit,probetur,uelut apud Socraticum Aeſchinem demonſtrat Socrates cum Xenophontis uxore, et cũ ipſo Xenophonte Aſpaſiã locutam,dic mihi quæſo Xenophontis uxor,

tis uxor, si uicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius inquit. Quod si uestem, & cæterũ ornamentum muliebre pretij maioris habeat, quàm tu habes, tuum an illius malis? Illius uero respondit. Age inquit, si uirum illa meliorẽ habeat, quàm tu habes, utrum'ne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. Quæso inquit Xenophon, si uicinus tuus meliorem equum habeat, quàm tuus est, tuum'ne equum malis, an illius? Illius inquit. quod si fundum meliorem habeat, quàm tu habes, utrum tandem fundũ habere malis? Illum inquit, meliorem scilicet. quod si uxorem meliorem habeat, quàm tu habes, utrum illius malis? atque hic Xenophon quoq; ipse tacuit. post Aspasia. Quoniam uterq; uestrum inquit, id mihi solum non respondit, quod ego solum audire uolueram, egomet dicam quid uterq; cogitet. Nam & tu mulier optimum uirum mauis habere, & tu Xenophon uxorem habere lectissimam maxime uis. Quare nisi hoc perfeceritis, ut neq; uir melior, neq; fœmina lectior in terris sit, profecto id semper, quod optimũ putabitis esse, multo maxime requiretis, & tu, ut maritus sis, quamoptimæ muliẽris, et hæc quamoptimo uiro nupta sit. Hic, cum rebus non dubijs esset assensum, factum est propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium uidebatur, siquis separatim quæreret, id pro certo propter rationem rogandi, concederetur. Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea quod nihil ipse afferre ad persuadendum uolebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, qui cum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam concessisset, necessario approbare deberet. Hoc in genere præcipiendum nobis uidetur. primum, ut illud, quod inducemus per similitudinem, eiusmodi sit, ut sit necesse concedi. Nam ex quo postulabimus nobis illud, quod dubium sit, concedi, dubium esse id ipsum non oportebit. Deinde illud, cuius confirmandi causa fiet inductio, uidendum est, ut simile ijs rebus sit, quas res quasi non dubias ante induxerimus. Nam ante aliquid nobis concessum esse nihil proderit, si ei dissimile erit id, cuius causa illud concedi primum uoluerimus. Deinde non intelligat, quo spectent illæ primæ inductiones, & ad quem sint exitum peruenturæ. Nam qui uidet si ei rei, quæ primo rogetur, recte assenserit, illã quoq; rem, quæ sibi displiceat esse necessario concedendã, plerunq; aut non respondendo, aut male respondendo longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudẽs ab eo quod concessit ad id, quod non uult concedere, deducẽdus est. Extremũ autẽ aut taceatur opor-

tet,aut concedatur,aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda est similitudo earum rerum,quæ ante concessæ sunt,aut alia utendum inductione. Si concedetur,concludẽda est argumentatio. Si tacebitur,aut elicienda est responsio , aut quoniam taciturnitas imitatur confessionem,pro eo ac si concessum sit,concludere oportebit argumentationẽ. Ita fit hoc genus argumentandi tripartitum. Prima pars constat ex similitudine una,pluribus'ue. Altera ex eo,quod concedi uolumus, cuius causa similitudines adhibitæ sunt. Tertia ex conclusione,quæ aut confirmat concessionem,aut quod ex ea conficiatur,ostendit .

Sed quia non satis uidebitur alicui dilucide demonstratum,nisi quod ex cuili causarum genere exemplũ subiecerimus,uidetur huiusmodi quoq; utendum exemplo, non quo præceptio differat , aut aliter hoc in sermone,atq; in dicendo sit utendum, sed ut eorum uoluntati satisfiat,qui quod aliquo in loco uiderint,alio in loco nisi demonstratum est,nequeunt cognoscere. Ergo in hac causa,quæ apud græcos est peruagata,quod Epamnundas Thebanorum imperator,ei,qui sibi ex lege prætor successerat, exercitum non tradidit , & cum paucos ipse dies contra legem exercitum tenuisset , Lacedæmonios funditus uicit. Poterit accusator argumentatione uti per inductionem , cum scriptum legis contra sententiam defendat , ad hunc modum.

Si iudices id,quod Epamnundas ait legis scriptorem sensisse adscribat ad legem,& addat exceptionem hanc,extra quam siquis reipub.causa exercitum non tradiderit , patiemni? non opinor .

Quod si uosmetipsi,quod a` uestra religione, & sapientia remotissimum est,istius honoris causa hanc eandem exceptionem iniussu populi ad legem adscribi iubeatis,populus Thebanus patietur'ne id fieri? profecto non patietur. Quod ergo adscribi ad legem nefas est, id sequi quasi adscriptum sit,rectum uobis uideatur? Noui uestram intelligentiam,non potest ita uideri iudices. Quod si literis corrigi neque ab illo , neque a` uobis scriptoris uoluntas potest , uidete, ne multo indignius sit,id re,& iudicio uestro mutari, quod ne uerbo quidẽ commutari potest. Ac de inductione quidẽ satis in præsentia dictum uidetur . Nunc deinceps ratiocinationis uim , & naturam consyderemus. RATIOCINATIO est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens,quod expositum,& per se cognitum sua se ui,& ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentius consyderandum putauerunt , cum idem in usu dicendi sequerentur , paulum in præcipiendi ratione dissenserunt . Nam partim quinque eius partes esse dixerunt,partim non plus, quam in

tres partes posse distribui putauerunt. Eorum controuersiam non incommodum uidetur cum utrorunque ratione exponere. Nam & breuis est, & non eiusmodi, ut alteri prorsus nihil dicere putentur, & locus hic nobis in dicendo minime negligendus uidetur.

Qui putant in quinque distribui partes oportere, aiunt primũ conuenire exponere summam argumentationis ad hunc modum. Melius accurantur, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur. Hanc primam partem numerant. eam deinceps rationibus uarijs, & quamcopiosissimis uerbis approbari putant oportere, hoc modo. Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus, & apparatior, quàm ea, quæ temere, & nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens, & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quàm is, qui stultitia, & temeritate alicuius administratur. Eadem nauigij ratio est, nam nauis optime cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore utitur. Cum propositio sit hoc pacto approbata, & duæ partes transierint ratiocinationis, tertia in parte aiunt, quod ostendere uelis, id ex ui propositionis oportere assumere, hoc pacto. Nihil autem omnium rerum melius, quàm omnis mundus administratur. Huius assumptionis quarto in loco aliam porrò inducunt approbationem, hoc modo. Nam & signorum ortus, & obitus definitum quendam ordinem seruant, & annuæ commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, uerum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatæ, & diurnæ, nocturnæq; uicissitudines nulla in re unquam mutatæ quicquam nocuerunt. Quæ signo sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. Quinto inducunt loco complexionem eam, quæ aut id infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo, consilio igitur mundus administratur, aut unũ in locum cum conduxerit breuiter propositionem, & assumptionem, id adiungit, quod ex his conficiatur, ad hunc modum. Quod si melius geruntur ea, quæ consilio, quàm quæ sine consilio administrantur, nihil autem omnium rerum melius, quàm omnis mundus administratur, consilio igitur mundus administratur. Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem. Qui autem tripartitam esse dicunt, ij non aliter putant tractari oportere argumentationem, sed partitionem horum reprehendunt. Negant enim neq; à propositione, neq; ab assumptione approbationes earum separari oportere, neq; propositionem absolutam, neq; assumptio-

nem ſibi perfectam uideri, quæ approbatione confirmata non ſit. Quare quas illi duas partes numerant, propoſitionem, et approbationem, ſibi unam partem uideri propoſitionem, quæ ſi approbata nõ ſit, propoſitio non ſit argumentationis. Item, quæ ab illis aſſumptio, & aſſumptionis approbatio dicitur, eandem ſibi aſſumptionem ſolã uideri. Ita fit, ut eadẽ ratione argumẽtatio tractata, alijs tripartita, alijs quinquepartita uideatur. Quare euenit, ut res non tam ad uſum dicendi pertineat, quàm ad rationẽ præceptionis. Nobis autem commodior illa partitio uidetur eſſe, quæ in quinque partes diſtributa eſt, quã oẽs ab Ariſtotele, et Theophraſto profecti maxime ſecuti ſunt. Nam quemadmodũ illud ſuperius genus argumentandi, quod per inductionẽ ſumitur, maxime Socrates, & ſocratici tractauerũt, ſic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, ſumme eſt ab Ariſtotele, atque peripateticis, & Theophraſto frequentatum. Deinde à rhetoribus ijs, qui elegantiſſimu, atque artificioſiſſim putati ſunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendũ uidetur, ne temere ſecuti putemur, & breuiter dicendum, ne in huiuſmodi rebus diutius, quàm ratio præcipiendi poſtulat, commoremur. Si quadam in argumentatione ſatis eſt uti propoſitione, & non oportet adiungere approbationẽ propoſitioni, quadam autem in argumentatione infirma eſt propoſitio, niſi adiuncta ſit approbatio, ſeparatum quiddã eſt à propoſitione approbatio. Quod enim adiungi, & ſeparari ab aliquo poteſt, id non poteſt idẽ eſſe, quod eſt id, ad quod adiungitur, & à quo ſeparatur. Eſt autem quædã argumentatio, in qua propoſitio nõ indiget approbatione, & quædam, in qua nihil ualet abſq; approbatione, ut oſtendemus. Separata eſt igitur à propoſitione approbatio. Oſtendemus autem id, quod polliciti ſumus, hoc modo. Quæ propoſitio in ſe quiddam continet perſpicuũ, eo quod conſtare inter omnes neceſſe eſt, hãc uelle approbare, & firmare nihil attinet. Ea eſt huiuſmodi. Si quo die iſta cædes Romæ facta eſt, ego Athenis eo die fui, intereſſe in cæde nõ potui, hoc qa ꝓſpicue uerũ eſt, nihil attinet approbari. Quare aſſumi ſtatim oportet, hoc modo, fui autem Athenis eo die, hoc ſi non conſtat, indiget approbationis, qua inducta, complexio conſequetur, igitur in cæde intereſſe nõ potui. Eſt igitur quædam propoſitio, quæ nõ indiget approbatione. nã eſſe qdẽ quandã, quæ indigeat, qd attinet oſtẽdere? qđ cuiuis facile ꝓſpicuũ eſt. Quod ſi ita eſt, ex hoc, & ex eo, quod propoſueramus, hoc conficitur, ſeparatum eſſe qddam à propoſitione approbationem. Si autem ita eſt, falſum eſt non eſſe plus quã tripartitã argumentationẽ. Simili modo liquet alterã

quoq; approbationem seperatam esse ab assumptione. niam si quadam in argumentatione satis est uti assumptione, & non oportet adiungere approbationem assumptioni, quadam autem in argumentatione infirma est assumptio, nisi adiuncta sit approbatio. Separatum quiddam est extra assumptionem approbatio. Est autem argumentatio quædã, in qua assumptio non indiget approbationis, quædã autem in qua nihil ualet sine approbatione, ut ostendemus. Separata est igitur ab assumptione approbatio. Ostendemus autẽ quod pollicati sumus, hoc modo. Quæ perspicuam omnibus ueritatẽ continet assumptio, nihil indiget approbationis. ea est eiusmodi. Si oportet sapere, dare operã philosophiæ conuenit. hæc propositio indiget approbationis. non enim pspicua est, neq; constat inter omnes, propterea quod multi nihil prodesse philosophiam, pleriq; etiã obesse arbitrantur. Assumptio perspicua est hæc. Oportet autem sapere, hoc autẽ quia ipsum ex re perspicitur, & uerum esse intelligitur, nihil attinet approbari. Quare statim concludenda est argumentatio, igitur dare operã philosophiæ conuenit. Est ergo assumptio quædã, quæ approbationis nõ indiget. Nam quandã indigere, perspicuum est. Separata est igitur ab assumptione approbatio. Falsum ergo est, non esse plusquam tripartitam argumentationẽ. Atq; ex his illud iam perspicuum est, esse quandã argumentationem, in qua neq; propositio, neq; assumptio indigeat approbationis, huiusmodi, ut certum quiddã, & breue exempli causa ponamus. Si summopere sapientia petenda est, summopere stultitia uitanda est. Summopere autem sapientia peteda est. summopere igitur stultitia uitanda est. hic & assumptio, & propositio perspicua est. Quare neutra quoq; indiget approbatione. Ex his omnibus illud perspicuum est, approbationem tum adiungi, tum non adiungi. ex quo cognoscitur, neq; in propositione, neq; in assumptione contineri approbationem, sed utranq; suo loco positam uim suã tanquam certam, & propriã obtinere. Quod si ita est, commode partiti sunt illi, qui in quinq; partes distribuerunt argumentationem. Quinq; sunt igitur partes eius argumentationis, quæ per ratiocinationem tractatur. Propositio, p quam breuiter locus is exponitur, ex quo omnis uis oportet emanet ratiocinationis. Approbatio, per quã id, quod breuiter expositum est rationibus affirmatum, probabilius & apertius fit. Assumptio, per quã id, quod ex propositione ad ostendendũ pertinet, assumitur. Assumptionis approbatio, per quam id, quod assumptum est, rationibus firmatur. Complexio, per quam id, quod cõficitur ex omni argumentatione, breuiter expo-

nitur. Quæ plurimas habet argumentatio partes, ea constat ex his quinq; partibus. Secunda est quadripartita. Tertia tripartita. Dein bipartita, quod in controuersia est. De una quoq; parte potest alicui uideri posse argumentationem consistere. Eorum igitur, quæ constant, exempla ponemus. Horum, quæ dubia sunt, rationes afferemus. Quinquepartita argumentatio est huiusmodi.

Omnes leges iudicæs ad commodum reipub. referri oportet, et eas ex utilitate communi, non ex scriptionis, quæ in literis est, interpretari. Ea enim uirtute, & sapientia maiores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutem, atq; utilitatem reipub. proponerent. Neq; enim ipsi quod obesset, scribere uolebant, & si scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa saluas esse uult, sed reipub. quod ex legibus omnis respub. optime putant administrari. Quam ob rem igitur leges seruari oportet, ad eam causam scripta omnia interpretari conuenit, hoc est, quoniam reipub. seruimus ex reip. commodo, atque utilitate leges interpretemur. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectat, quoniam eius causa est instituta, sic a' legibus nihil conuenit arbitrari, nisi quod reip. conducat, proficisci, quoniam eius causa sunt comparatæ. Ergo in hoc quoq; iudicio desinite literas legis perscrutari, & legem, ut æquum est, ex utilitate reipub. consyderate. quod hic fecit. Quid enim magis utile Thebanis fuit, quàm Lacædæmonios opprimi? Quid magis Epamnundam Thebanorum imperatorem, quàm uictoriæ Thebanorum consulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro, atque exornato trophæo carius, atque antiquius habere conuenit? Scripto uidelicet legis omisso, scriptoris sententiam consyderare debebat. Atque hoc quidem satis consyderatum est, nullam esse legem, nisi reipub. causa scriptam. Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset reipub. salutis causa, id non ex reipub. salute interpretari. Quod si leges omnes ad utilitatem reipub. referri conuenit, hic autem saluti reipu. profuit, profecto non potest eodem facto, & communibus fortunis consuluisse, & legibus non obtemperasse. Quatuor autem partibus constat argumentatio, cum aut proponimus, aut assumimus sine approbatione. Id facere oportet, cũ aut propositio ex se intelligitur, aut assumptio pspicua est, & nullius approbationis indiget. propositionis approbatione præterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur, ad hunc modum. Iudices, qui

ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem legibus non potestis, nisi quod scriptum est in lege sequamini. Quod enim certius legis scriptor testimonium uoluntatis suæ relinquere potuit, quàm quod ipse magna cũ cura, atque diligentia scripsit? Quod si literæ non extarent, magnopere eas requireremus, ut ex his scriptoris uoluntas cognosceretur, nec tamen Epamnundæ permitteremus, nisi extra iudicium quid esset, ut is nobis sententiam legis interpretaretur, nedum nunc istud patiamur, cum præsto lex sit, nõ ex eo, quod apertissime scriptum est, sed ex eo, quod suæ causæ conuenit scriptoris uoluntatem interpretari. Quod si uos iudices legibus obtemperare debetis, & id facere non potestis, nisi quod scriptum est in lege sequamini, quid causæ est, quin istum contra legem feciſſe iudicetis? Assumptionis autem approbatione præterita quadripartita, sic fiet argumentatio. Qui sæpenumero nos per fidẽ fefellerunt, eorũ orationi fidem habere non debemus. Siquid enim perfidia illorũ detrimenti acceperimus, nemo erit, præter nosmetipsos, quem iure accusare possimus, ac primo quidem decipi inæmmodum est, iterum stultum, tertio turpe. Carthaginienses autem persæpe iam nos fefellerunt, summa igitur amentia est in eorum fidem spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis. Vtraque approbatione præterita tripartita, fit hoc pacto, aut metuamus Carthaginienses oportet, si incolumes eos reliquerimus, aut eorum urbẽ diruamus, ac metuere quidem non oportet. Restat igitur, ut urbẽ diruamus. Sunt autem qui putant nonnunquam posse complexione superſederi oportere, cum id perspicuum sit, quod conficiatur ex ratiocinatione. Quod si fiat, bipartitam quoq; fieri argumentationẽ, hoc modo. Si peperit uirgo non est. peperit autem. hic satis esse dicunt proponere, & assumere, quoniam perspicuum sit, quod conficiatur, complexionis rem non indigere. Nobis autem uidetur & omnis ratiocinatio concludenda esse, & illud uitium, quod illis displicet, magnopere uitandum est, ne quod perspicuum sit, id in complexionem inferamus, Hoc autem fieri poterit, si complexionem genera intelligantur. Nam aut ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem, & assumptionem, hoc modo. Quod si leges omnes ad utilitatem reipub. referri conuenit, hic autem saluti reipub. profuit, profecto non potest eodem facto & saluti communi consuluisse, & legibus non obtemperasse. Aut ita, ut ex contrario sententia conficiatur, hoc modo. Summa igitur amentia est, in eorum fidem spm habere, quorum perfidia toties deceptus sis. Aut ita, ut id

ſolum,quod conficitur,inferatur,ad hunc modum. Vrbem igitur diruamus. Aut ut id,quod eam rẽ,quæ conficitur,ſequatur neceſſe eſt. id eſt huiuſmodi. Si peperit,cum uiro concubuit,peperit autem,conficitur hoc. Cõcubuit igitur cũ uiro. hoc ſi nolis inferre,et inferas id, qđ ſequitur,fecit igitur incęſtum,& concluſeris argumentationẽ,& perſpicuã fugeris complexionẽ. Quare in longis argumentationibus,ex conductionibus,aut ex contrario complecti oportet. In breuibus id ſolũ,quod conficitur,exponere. In ijs,in qbus exitus ꝑſpicuus eſt,conſecutione uti. Si qui autem ex una quoq; parte putabunt cõſtare argumentationem,poterunt dicere ſæpe ſatis eſſe,hoc modo argumentationem facere,Quoniã peperit,cũ uiro concubuit. nam hoc nullius neq; approbationis,neq; aſſumptionis,uel eius approbationis, neq; complexionis indigere, ſed nobis ambiguitate nominis uidẽtur errare. Nã & argumentatio nomine uno res duas ſignificat. ideo qđ & inuentum aliquã in rem probabile,aut necęſariũ argumentatio uocatur,& eius inuenti artificioſa expolitio. Quãdo igitur proferent aliqd huiuſmodi. Quoniam peperit,cum uiro concubuit, inuentum proferent,non expolitionem. Nos autem de expolitionis partibus loquimur. Nihil igitur ad hanc rẽ ratio illa ꝑtinebit,atq; hac diſtinctione alia quoq;,quæ uidebũtur officere huic partitioni propulſabimus,ſiqui aut aſſumptionẽ aliquando tolli poſſe putent,aut propoſitionem. Quæ,ſiquid habet probabile,aut necęſſarium, quoquomodo commoueat auditorem neceſſe eſt , quod ſi ſolum ſpectaretur, ac nihil,quo pacto tractaretur id,quod eſſet excogitatum referret, nequaquam tantum inter ſummos oratores,& mediocres intereſſe exiſtimaretur. Variare autem orationem magnopere oportebit. Nã omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. id fieri poterit,ſi nõ ſimiliter ſemper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipſis diſtinguere conuenit orationẽ,hoc eſt tum inductione uti,tum ratiocinatione. Deinde in ipſa argumentatione non ſemper à propoſitione incipere,nec ſemper quinque partibus abuti, neq; eadem ratione expolire partitiones,ſed tum ab aſſumptione incipere licet,tum ab approbatione alterutra,tum utraq;,tum hoc,tum illo genere complexionis uti. Id ut perſpiciatur,aut ſcribamus,aut in quolibet exemplo de ijs,quæ propoſita ſunt,hoc idẽ exercęamus , utquam facile ſit factu. Ac de partibus quidem argumentationis ſatis nobis dictum uidetur. Illud autem uolumus intelligi,nos probe tenere, alijs quoq; rationibus tractari argumentationes i philoſophia multis,& obſcuris,de qbus certũ eſt artificium conſtitutũ. Verum

illa

illa nobis abhorrere ab usu oratorio uidentur Quæ pertinere autem ad dicendum putamus, ea nos commodius, quàm cæteros attẽdisse nõ affirmamus, sed perquisitius, & diligentius conscripsisse pollicemur. Nunc, ut instituimus, proficisci ordine ad reliqua pergemus.

EPREHENSIO est, per quam argumentando aduersa
r riorum cõfirmatio diluitur, aut infirmatur, aut alleuiatur.

Hæc fonte inuentionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, ijsdẽ potest ex locis infirmari. Nihil enim considerandum est in his omnibus inuentionibus, nisi id, quod personis, aut negotijs attributum est. Quare inuentionem, & argumentationũ expolitionem ex illis, quæ ante præcepta sunt, hanc quoq; in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut quædam præceptio detur huius quoq; partis, exponemus modos reprehensionis, quos qui obseruabunt, facilius ea, quæ cõtra dicentur, diluere, aut infirmare poterunt. Omnis argumẽtatio reprehenditur, si aut ex ijs, quæ sumpta sunt, non conceditur aliquod unum, pluráue, aut his cõcessis, cõplexio confici ex his negatur, aut si genus ipsum argumẽtationis uitiosum ostenditur, aut si cõtra firmam argumentationem, alia æque firma, aut firmior ponitur.

Ex ijs, quæ sumuntur, aliquid non conceditur, cum aut id, qđ credibile dicunt, negatur esse eiusmodi, aut quod comparabile putãt, dissimile ostenditur, aut iudicatum aliã in partem traducitur, aut omnino iudiciũ improbatur, aut quod signum esse aduersarij dixerunt, id eiusmodi negatur esse, aut si complexio, aut una, aut ex utraque parte reprehenditur, aut si enumeratio falsa ostenditur, aut si simplex conclusio falsi aliquid continere demonstratur. Nam omne, quod sumitur ad argumentandum siue pro probabili, siue pro necessario, necesse est sumatur ex his locis, ut ante ostendimus. Quod pro credibili sumptum erit, id infirmabitur, si aut perspicue falsum erit, hoc modo. nemo est, qui non pecuniam, quàm sapientiam malit, aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo. Quis est qui non officij cupidior sit, quàm pecuniæ? aut erit omnino incredibile, ut siqs quẽ constet esse auarum, dicat alicuius mediocris officij causa, se maximã pecuniam neglexisse, aut si quod in quibusdam rebus, aut hominibus accidit, id oĩbus dicatur usu euenire, hoc pacto. Qui pauperes sunt, ijs antiquior officio pecunia est. Qui locus desertus est, in eo cædem factam esse oportet. in loco cælebri homo occidi qui potuit? aut si id, quod raro fit, fieri omnino negatur, ut Curius pro Fuluio, nemo potest uno aspectu, neque præteriens in amorem incidere. quod autem

pro signo sumetur, id ex ijsdem locis, q̃bus cõfirmatur, infirmabitur. Nam in signo primum uerũ esse ostendi oportet. deinde eius esse rei signum proprium, qua de re agitur, ut cruorem cædis. Deinde factũ esse, quod non oportuerit, aut nõ factum, quod oportuerit. Postremo scisse eum, de qua quæritur, eius rei legem, & cõsuetudinẽ. nam eæ res sunt signo attributæ, quas diligentius aperiemus, cum seorsum de ipsa coniecturali cõstitutione dicemus. Ergo horum unumquodq; in reprehensione, aut non esse signum, aut parum magnum esse, aut a se potius, quã ab aduersarijs stare, aut omnino falsò dici, aut in aliã quoque suspitionem duci posse demonstrabitur. Cum autem pro comparabili aliquid inducetur, quoniã id per similitudinem maxime tractatur, in reprehendendo conueniet, simile id negare esse, quod conferretur ei, qui cum conferretur. Id fieri poterit, si demonstrabitur diuersum esse genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione, ac siquo in numero illud, quod per similitudinem afferretur, & quo in loco hoc genus, cuius causa afferetur, haberi conueniat, ostendetur. Deinde quid res cum re differat, demonstrabitur, ex quo docebimus aliud de eo, quod comparabitur, et de eo, qui cum comparabitur, existimari oportere. Huius facultatis maxime indigemus, cum ea ipsa argumentatio, quæ per inductionem tractatur, erit reprehendenda. Si iudicatum aliquod inferretur, quoniã id ex his locis maxime firmatur, laude eorũ, qui iudicarunt, similitudine eius rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de iudicatum est, commemorando nõ modo non esse reprehensum iudicium, sed ab omnibus approbatum, & demonstrando difficilius, & maius fuisse id iudicatum quod afferatur, quàm id, quod instet. Ex contrarijs locis, si res aut uera, aut ueri similis permittet, infirmari oportebit, atque erit obseruandum diligenter, ne nihil ad id, quod agatur, pertineat id, quod iudicatum sit, & uidendum est, ne ea res proferatur, in qua sit offensum, ut de ipso, qui iudicarit, iudicium fieri uideatur. Oportet autem animaduertere, ne, cũ aliter multa sint iudicata, solitariũ aliquod, aut rarum iudicatum afferatur. Nam his rebus authoritas iudicati maxime potest infirmari. Atq; ea quidem argumenta, quæ quasi probabilia sumuntur, ad hũc modum tentari oportebit. Quæ uero sicuti necessaria inducentur, ea si forte imutabuntur modo necessariã argumentationem, neq; erunt eiusmodi, sic reprehendentur. Primum complexio, quæ utrum cõcesseris, debet tollere, si uera est, nunquam reprehendetur, sin falsa, duobus modis, aut conuersione, aut alterius partis infirmatione. Conuersione, hoc modo.

Nam si

Nam si uereturquid eum accuses, qui est probus?
Sin inuerecundum animi ingenium possidet,
Quid eum accuses, qui id parui auditu existimat?

Hic siue uereri dixeris, siue non uereri, concludendum hoc putat, ut neges esse accusandum. Quod conuersione, sic reprehendetur. Immo uero accusandus est. nam, si uereturaccuses. non enim parui auditu existimabit. Sin inuerecundum animi ingenium possidet, tamen accuses. non enim probus est. Alterius autem partis infirmatione hoc modo reprehendetur. Verum si uereturaccusatione tua correctus, aberrato recedet. Enumeratio uitiosa intelligitur, *si aut præteritum quiddam dicemus, quod uelimus concedere, aut infirmum aliqd annumeratum, quod aut contra dici possit, aut causa non sit, quare nõ honeste possimus concedere. præteritur quiddam in eiusmodi enumerationibus. Quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hæreditate possideas, aut munere acceperis, aut dom tibi natus sit, aut si horum nihil est, surripueris necesse est. Sed neq; emisti, neq; hæreditate uenit, neq; dom natus est, neq; donatus est, necesse est ergo surripueris. hoc commode reprehenditur, si dici possit ex hostibus equus esse captus, cuius prædæ sectione uenerit, quo illato, infirmatur enumeratio, quoniam id sit inductum, quod præteritum sit in enumeratione. Altero autem modo reprehendetur, si aut contra aliquid dicetur, hoc est, si exempli causa, ut in eodem uersemur, poterit ostendi hæreditate uenisse, aut si extremum illud nõ erit turpe concedere, ut siquis, cum dixerint aduersarij, aut insidias facere uoluisti, aut amicõ morem gessisti, aut cupiditate elatus es, amicõ se morẽ gessisse fateatur.*

Simplex autem conclusio reprehenditur, si id, quod sequitur, non uideatur necessario cum eo, quod antecessit, cohærere. Nam *hoc quidem, si spiritum ducit, uiuit. Si dies est, lucet, eiusmodi est, ut cũ priore necessario posterius cohærere uideatur. Hoc autem, si mater est, diligit, si aliquando peccauit, nunquam corrigetur, sic conuenuet reprehendi, ut demonstretur non necessario cum priore posterius cohærere. hoc genus & cætera necessaria, et omnino omnis argumentatio, & eius reprehensio maiorem quandam uim continet, & latius patet, quàm hic exponitur, sed eius artificij cognitio huiusmodi est, ut non ad huius artis partem aliquam adiungi possit, sed ipsa separatim longi temporis, et magnæ, atq; arduæ cognitionis indigeat. Quare illa nobis alio tempore, atq; ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur. Nunc his præceptionibus rhetorum ad usum oratorium contentos nos esse oportebit. Cum igitur ex ijs, quæ su-*

muntur aliquid non concedituꝛ, ſic infirmabitur. Cum autem his conceſſis, complexio ex his non conficiatur, hæc erunt conſyderanda, num aliud conficiatur, aliud dicatur, hoc modo, ſi cum aliquis dicat ſe profectum eſſe ad exercitum, contráq; eũ quis uelit hac argumentatione uti, Si ueniſſes ad exercitũ a' Tribunis militaribus uiſus eſſes, non es autem uiſus ab his, nó es igitur profectus ad exercitum. Hic cum conceſſeris propoſitionem, & aſſumptionem, complexio eſt infirmanda. Aliud enim, quàm cogebatur, illatum eſt. Ac nunc quidem quo facilius res cognoſceretur, perſpicuo, & grandi uitio præditum poſuimus exemplum, ſed ſæpe obſcurius poſitum uitiũ pro uero probatur, cum aut parũ memineris, quod conceſſeris, aut ambiguum aliquod pro certo conceſſeris. Ambiguum, ſi conceſſeris ex ea parte, quã ipſe intellexeris, eã partem ſi aduerſarius ad aliã partem per cõplexionem uelit accommodare, demonſtrare oportebit, nó ex eo, qđ ipſe conceſſeris, ſed ex eo, qđ ille ſumpſerit, cõfica complexionem ad hũc modũ. Si pecunia indigetis, pecuniã non habetis, ſi pecuniã non habetis, pauperes eſtis. indigetis autem pecunia. mercaturæ enim niſi ita eſſet, operã non daretis, pauperes igitur eſtis. hoc ſic reprehenditur. Cum dicebas, ſi indigetis pecuniæ, pecuniam non habetis, hoc intelligebam, ſi propter inopiam in egeſtate eſtis, pecuniam non habetis, et icirco concedebam. Cum autem hoc ſumebas, indigetis autem pecuniæ, illud accipiebam. Vultis autem pecuniæ plus habere, ex quibus conceſſionibus non conficitur hoc. pauperes igitur eſtis. conficeretur autem, ſi tibi primo quoq; hoc conceſſiſſem, qui pecuniam maiorẽ uellet habere, eum pecuniam non habere. Sæpe autem oblitum putãt, quid conceſſeris, & icirco id, quod non conficitur, quaſi conficiatur, in concluſione infertur, hoc modo. Si ad illũ hæreditas ueniebat, ueriſimile eſt ab illo eſſe necatum. Deinde hoc approbant plurimis uerbis, poſt aſſumunt, ad illũ autem hæreditas ueniebat. deinde infertur. Ille igitur occidit. Id ex ijs, quæ ſumpſerant, non conficitur. Quare obſeruare diligenter oportet, & quid ſumatur, & qd ex his conficiatur. Ipſum autem genus argumentationis uitioſum his de cauſis oſtendetur, ſi aut in ipſo uitiũ erit, aut ſi non ad id, quod inſtituitur, accommodabitur. Atq; in ipſo uitiũ erit, ſi omnino totũ falſum erit, ſi cõmune, ſi uulgare, ſi leue, ſi remotũ, ſi mala definitio, ſi cõtrouerſum, ſi ꝓſpicuum, ſi nó conceſſum, ſi turpe, ſi offenſum, ſi contrariũ, ſi inconſtans, ſi aduerſum. Falſum eſt, in quo perſpicue mendaciũ eſt, hoc modo. Non poteſt eſſe ſapiẽs, q pecuniã negligit. Socrates autẽ pecuniã negligebat, nõ igitur ſapiẽs erat. Cõmune eſt, quod nihilo magis ab

gis ab aduersarijs, quàm à nobis facit, hoc modo. Iaircò iuidices, quia ueram cæusam habebam, breui peroraui. Vulgare est, quod in aliam quoq; rem nó probabilem, si nunc cõcessum sit, transferri possit, hoc modo. Si uerã cæusam non haberet, uobis se iudices non cõmisisset. Leue est, quod aut post tẽpus dicitur, hoc modo, si in mentem uenisset, non commisisset, aut perspicue rem turpẽ leui tegere uult defensione.

Cum te expetebant omnes, florentissimo
In regno reliqui, nunc desertum ab omnibus
Summo periclo sola ut resituam, paro.

Remotum est, quod ultra, quàm satis est, petitur, hoc modo. Quod si non P. Scipio Corneliam filiam Tiberio Graccho collocasset, atq; ex ea duos Gracchos procreasset, tantæ seditiones natæ nõ essent. quare hoc incommodum Scipioni adscribendũ uidetur. Huiusmodi est illa quoque conquestio.

Vtinam, ne in nemore pelio securibus
Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes.

Longius enim repetita est, quàm res postulabat. Mala definitio est, cum aut communia describit, hoc modo, Seditiosus est is, qui malus, atq; inutilis est ciuis. nã hoc non magis seditiosi, quàm ambitiosi, quàm calumniatoris, quàm alicuius improbi hominis uim describit, Aut falsum quiddam dicit, hoc pacto, Sapiẽtia est pecuniæ acquirendæ intelligentia, Aut aliquid nó graue, nec magnũ cõtinẽs, sic. Stultitia est immensæ gloriæ cupiditas. est hæc quidem stultitia, sed ex parte quadam non ex omni genere definita. Controuersum est, in quo ad dubiũ demonstrandũ dubia cæusa affertur, hoc modo.

Eho tu, dij, quibus est potestas motus superum, atq; inferum
Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.

Perspicuum est, de quo non est controuersia, ut siquis, cũ Orestem accuset, planum faciat ab eo matrem esse occisam. Non concessum est, cum id, quod augetur, in controuersia est, ut siquis, cũ Vlyssem accusset, in hoc maxime commoretur, indignum esse ab homine ignauissimo uirum fortissimum Aiacem necatum. Turpe est, quod aut eo loco, in quo dicitur, aut eo homine, qui dicat, aut eo tempore, quo dicitur, aut ijs, qui audiũt, aut ea re, de qua agitur, indignũ propter inhonestam rẽ uidetur. Offensum est, quod eorum, qui audiunt, uolũtatem lædit, ut siquis apud equites Romanos cupidos iudicandi Cæpionis legem iudiciariã laudet. Contrarium est, quod contra ea dicitur, quæ ij, qui audiunt, fecerunt, ut siquis apud Alexãdrum Macedonẽ contra aliquem urbis expugnatorem dicæret, nihil esse crudelius,

quàm urbes diruere, cum ipse Alexander Thebas diruisset. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re diuerse dicatur, ut siquis, cum dixerit, qui uirtutem habeat, eum nullius rei ad bene uiuendū indigere, neget postea sine bona ualetudine posse bene uiuere, aut se amico adesse propter beneuolentiā. sperare enim aliquid cōmodi ad se peruenturum. Aduersum est, quod ipsi cause aliqua ex parte officiat, ut siquis hostium uim, & copias, et felicitatem augeat, cum ad pugnam milites hortetur. Si non ad id, quod instituitur, accommodabitur aliqua pars argumentationis, hōrum aliquo in uitio reperietur. Si plura pollicitus pauciora demonstrabit, aut si cum totum debebit ostendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo. Muliērum genus auarū est. Nam Eriphyle auro uiri uitam uendidit. Aut si non id, quod accusabitur, defendet, ut siquis, cum ambitus accusabitur, manu se fortē esse defendet, ut Amphion apud Euripidem. Item apud Pacuuium, qui uituperata musica, sapientiam laudat. Aut si res ex hominis uitio uituperabitur, ut siquis doctrinā ex alicuius docti uitijs reprehendat. Aut siquis, cum aliquem uolet laudare, de felicitate eius non de uirtute dicat. Aut siquis rem cum re ita comparabit, ut alterā se non putet laudare, nisi alteram uituperarit, aut si alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem, ut siquis, cum aliqui deliberent, bellū geratur, an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile esse demonstret. Aut si, cum de certa re quæretur, de communi instituetur oratio. Aut si ratio alicuius rei reddetur falsa, hoc modo Pecunia bonum est, propterea quod ea maxime uitam beatam efficiat. Aut si infirma, ut Plautus.

Amicum castigare ob meritam noxiam
Immane est facinus, uerum in ætate utile,
Et conducibile, nam ego amicum hodie meum
Non castigabo pro commerita noxia.

Aut eadem, hoc modo. Maximum malum est auaritia. multos enim magnis incommodis afficit pecuniæ cupiditas. Aut parum idonea, hoc modo. Maximum bonum est amicitia. plurimæ enim delectationes sunt in amicitia. Quartus modus erat reprehensionis, per quem contra firmam argumentationem æque firma, aut firmior ponebatur. Hoc genus in deliberationibus maxime uersatur, cum aliquid, quod contra dicatur, æquum esse concedimus. Sed id, quod nos defendimus, necessariū esse demonstramus. Aut cum id, quod illi defendant, utile esse fateamur, quod nos dicamus, demonstremus esse honestum. Ac de reprehensione hæc quidem existimauimus esse dicenda.

cenda. Deinceps nunc de concluſione ponemus. Hermagoras digreſſionem, deinde tum poſtremam concluſionem ponit. In hac autẽ digreſſione ille putat oportere quandam inferri orationem à cauſa, atque à iudicatione ipſa remotam, quæ aut ſui laudem, aut aduerſarij uituperationem contineat, aut in aliam cauſam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis, aut reprehenſionis non argumentando, ſed augendo per quandam amplificationem. Hanc ſiquis partem putarit orationi, ſequatur licebit. Nã & augendi, & laudandi, & uituperandi præcepta à nobis partim data ſunt, partim ſuo loco dabuntur. Nobis autẽ non placet hanc partẽm numero reponi, quod de cauſa digredi, niſi per locum communem diſplicet, quo de genere poſterius eſt dicendum. Laudes autem, & uituperationes non ſeparatim placet tractari, ſed in ipſis argumentationibus eſſe implicatas. Nunc de concluſione dicemus.

CONCLVSIO eſt exitus, & determinatio totius orationis. Hæc habet partes tres, enumerationem, indignationem, conqueſtionem. Enumeratio eſt, per quam res diſperſe, & diffuſe dictæ unũ in locum coguntur, & reminiſcendi cauſa unum ſub aſpectum ſubijciuntur. hæc ſi ſemper eodem modo tractabitur, perſpicue ab omnibus artificio quodam tractari intelliget ur. Sin uarie fiet, & hanc ſuſpicionem, & ſatietatem uitare poterit. Quare tum oportebit ita facere, ut plerique faciunt propter facilitatem, ſingillatim unanquanque rem attingere, & ita omnes tranſire breuiter argumentationes, tum autem, id, quod difficilius eſt, dicere quas partes expoſueris in partitione, de quibus te pollicitus ſis dicturum, & reducere in memoriam, quibus rationibus unanquanq; partem confirmaris, tum ab ijs, qui audiunt, quærere quid ſit, quod ſibi uelle debeant demonſtrari, hoc modo. Decimus hoc, illud planum fecimus, ita ſimul & in memoriam redibit auditor, & putabit nihil eſſe præterea, quod debeat deſyderare. Atque in his generibus (ut ante dictum eſt) tum tuas argumentationes tranſire ſeparatim, tum id, quod artificioſius eſt, cum tuis contrarias coniungere, & cum tuam argumentationem dixeris, tum contra eam quod afferebatur quemadmodum dilueris, oſtendere. Ita per breuem comparationem auditoris memoria & de confirmatione, & de reprehenſione redintegrabitur. Atque hæc alijs actionis quoque modis uariare oportebit. Nam tum ex tua perſona enumerare poſſis, ut quid, & quo loco quidq; dixeris admoneas, tum uero perſonam, aut rem aliquam induce-

re,& enumerationem ei totam attribuere perſonam,hoc modo.Nã ſi legis ſcriptor exiſtat,& quærat a uobis,qd dubitetis,quid poſſitis dicere,cum uobis hoc,& hoc ſit demonſtratum. Atq; hic itẽ ut in noſtra pſona licebit aliâs ſingillatim tranſire omnes argumentationes, aliâs ad partitiones ſingula genera referre, aliâs ab auditore,quid deſyderet,quærere,aliâs hæc fãçere per cõparationem ſuarũ,& contrariarũ argumentationũ.Res autem inducetur,ſi alicui rei huiuſmodi,legi,loco,urbi,monimento attribuetur oratio per enumerationem, hoc modo.Quid ſi leges loqui poſſent,non'ne hæc apud uos quererẽtur? Quid nam amplius deſyderatis iudices,cum uobis hoc, & hoc planum factum ſit? In hoc quoque genere omnibus eiſdẽ modis uti licebit.Commune autem præceptum hoc datur ad enumerationem,ut ex unaquaq; argumentatione,quoniam tota iterum dici non poteſt,id eligatur,quod erit grauiſſimum,& unumquodq; q̃ breuiſſime trãſeatur,ut memoria non oratio renouata uideatur. Indignatio eſt oratio,per quam conficiatur,ut in aliquem hominem magnum odiũ,aut in rẽ grauis offenſio concitetur.In hoc genere illud primum intelligi uolumus,poſſe omnibus ex locis ijs,quos in confirmandi præceptis poſuimus,tractari indignationem . Nam ex ijs rebus,quæ perſonis, atq; negotijs attributæ ſunt,quæuis amplificationes, & indignationes naſci poſſunt,ſed tamen ea,quæ ſeparatim de indignatione præcipi poſſunt,conſyderemus . Primus locus ſumitur ab authoritate,cũ cõmemoramus,quãtæ curæ res ea fuerit aut dijs immortalibus,aut eis,quorũ authoritas grauiſſima debeat eſſe,qui locus ſumetur ex ſortibus,ex oraculis,uatibus,oſtentis,prodigijs,reſponſis,ſimulibus rebus. Item ex maioribus noſtris,regibus,ciuitatibus,gentibus,hominibus ſapientiſſimis,ſenatu,populo,legum ſcriptoribus . Secundus locus eſt, per quem illa res,ad quos pertineat,cum amplificatione per indignationem oſtenditur,an ad omnes,an ad maiorẽ partem,quod atrociſſimum eſt,an ad ſuperiores,quales ſunt ij,quorum ex authoritate indignatio ſumitur,quod indigniſſimum eſt,an ad pares,animo,fortuna,corpore,quod iniquiſſimum eſt,an ad inferiores,quod ſuperbiſſimum eſt . Tertius locus eſt,per quem quærimus,quidnam ſit euenturum,ſi idem cæteri faciant,& ſimul oſtendimus huic ſi concæſſum ſit ,multos æmulos eiuſdem audaciæ futuros , ex quo quid mali ſit euenturum demonſtrabimus. Quartus locus eſt,per quem demonſtramus multos alacres expectare quid ſtatuatur,ut ex eo, quod uni concæſſum ſit , ſibi quoque tali de re quid licæat , intelligere poſſint. Quintus locus eſt,per quẽ oſtendimus cæteras res perperã cõſtitutas,

intellecta

intellecta ueritate commutatas corrigi posse, hanc esse rẽ, quæ si sit, si semel iudicata, neque alio commutari iudicio, neque ulla potestate corrigi possit. Sextus locus est, per quem consulto, & de industria factũ esse demonstratur, & illud adiungitur, uoluntario maleficio ueniam dari non oportere, imprudentiæ concedi nonnunquam conuenire. Septimus locus est, per quem indignamur, quod tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum factum esse dicamus, per uim, per manum opulentam, quæ res ab legibus, ab æquabili iure remotissima sit. Octauus locus est, per quem demonstramus non uulgare, neque facilitatũ esse, ne ab audacissimis quidẽ hominibus id maleficiũ, de quo agitur, atque id à feris quoq; hominibus & à barbaris gentibus, & immanibus bestijs remotum esse. Hæc erunt, quæ in parentes, liberos, coniuges, consanguineos, supplices crudeliter facta dicentur. & deinceps si qua proferantur in maiores natu, in hospites, in uicinos, in amicos, in eos, quibus cũ uitã egeris, in eos, apud quos educatus sis. in eos, à quibus eruditus sis. in mortuos, in miseros, & misericordia dignos. in homines claros, nobiles, & honore usos. in eos, qui neque lædere aliũ, nec se defendere potuerunt, ut in pueros, senes, mulieres, qbus omnibus acriter excitata indignatio summũ in eum, qui uiolarit horũ aliquid, odium commouere poterit. Nonus locus est, per quem, cum alijs, quæ constant esse peccata, hoc, quo de quæstio est, comparatur, & ita per contentionem quanto atrocius, & indignus sit illud, de quo agitur, ostenditur. Decimus locus est, per quem omnia, quæ in negotio gerẽdo acta sunt, quæq; post negotiũ consecuta sunt cũ uniuscuiusq; indignatione, & criminatione colligimus, & rẽ uerbis, quammaxime ante oculos eius, apud quem dicitur, ponimus, ut id, quod indignũ est, perinde illi uideatur indignum, ac si ipse interfuerit, ac præsens uiderit. Vndecimus locus est, per quem ostendimus ab eo factum, à quo minime oportuerit, & à quo, si alius faceret, prohiberi conueniret. Duodecimus locus est, p quẽ indignamur, quod nobis hoc primus acciderit, nec alicui unquam usu euenerit. Tertiusdecimus locus est, si cum iniuria contumelia iuncta demonstratur, per quem locum in superbiam, & arrogantiam odium concitatur. Quartusdecimus locus est, per quem petimus ab ijs, qui audiunt, ut ad suas res nostras iniurias referãt. si ad pueros ptinebit, de liberis suis cogitẽt. si ad mulieres, de uxoribus. si ad senes, de patribus, aut parẽtibus.

Quintusdecimus est locus, per quem dicimus inimicisquoq;, & hostibus ea, quæ nobis acciderint, indigna uideri solere, & indignatio quidẽ his ferè de locis grauissime sumetur. Conquestionis autem hu-

iuſmodi de rebus partes petere oportebit. Cõqueſtio eſt oratio auditorum miſericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem, & miſericordem conficere oportet, quo facilius conqueſtione commoueri poſſit. Id locis communibus efficere oportebit, p quos fortunæ uis in omnes & hominum infirmitas oſtenditur. qua oratione habita grauiter, & ſententioſe, maxime demittitur animus hominũ, & ad miſericordiã comparatur, cum in alieno malo ſuam infirmitatem conſyderabit. Deinde primus locus eſt miſericordiæ, per quem quibus in bonis fuerint, & nunc quibus in malis ſint, oſtenditur.

Secundus, qui in tempora tribuitur, per quẽ, quibus in malis fuerint, & ſint, & futuri ſint, demonſtratur. Tertius, per quem unum quodq; deploratur incommodum, ut in morte filij pueritiæ delectatio, amor, ſpes, ſolatiũ, educatio, & ſiqua ſimili in genere quolibet de incommodo per conqueſtionem dici poterunt. Quartus, per quẽ res turpes, & humles, & illiberales proferentur, & indignæ ætate, genere, fortuna, priſtino honore, beneficijs, quas paſſi ppeſſuri'ue ſint.

Quintus eſt, per quẽ omnia ante oculos ſingillatim incommoda ponentur, ut uideatur is, qui audit, uidere, & re quoq; ipſa quaſi adſit, non uerbis ſolum ad miſericordiam ducatur. Sextus, per quem præter ſpem in miſerijs demonſtratur eſſe, & cũ aliquid expectaret, nõ modo id nõ adeptum eſſe, ſed in ſummas miſerias incidiſſe. Septimus, per quem ad ipſos, qui audiunt ſimilem caſum conuertimus, & petimus, ut de ſuis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat eſſe, nos cum uideant, recordentur. Octauus, p quem aliqd dicatur eſſe factum, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit, hoc modo. Non affui, non uidi, non poſtremam eius uocẽ audiui, non extremum eius ſpiritum excepi. Item, inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter iacuit inſepultus, à feris diuexatus communi quoq; honore in morte caruit. Nonus, per quem oratio ad mutas, & expertes animi res refertur, ut ſi ad equũ, domũ, ueſtem ſermonẽ alicuius accommodes, quibus animus eorũ, qui audiunt, & aliquẽ dilexerunt, uehementer commouetur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, ſolitudo demonſtratur. Vndecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut ſui corporis ſepeliendi, aut alicuius eiuſmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem diſiunctio deploratur ab aliquo, cum deducaris ab eo, qui cũ libentiſſime uixeris, ut à parente, filio, fratre, familiari. Tertiusdecimus, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab ijs, à qbus minime conueniat, male tracteimur, propinquis, amicis, qbus benefe-

cerimus, quos adiutores fore putauerimus. aut a' quibus indignum est, ut seruis, libertis, clientibus, supplicibus. Quartusdecimus, qui per obsecrationem sumitur, in quo orantur modo illi, qui audiunt, humuli, et supplici oratione, ut misereantur. Quintusdecimus, per quem, non nostras, sed eorum, qui cari nobis debent esse, fortunas conqueri nos demonstramus. Sextusdecimus est, per quem animum nostrum in alios misericordem esse ostendimus, & tamen amplum, & excelsum, & patientem incommodorum esse, & futurum, siquid acciderit, demonstramus. nam sæpe uirtus, & magnificentia, in quo grauitas, & authoritas est, plus proficit ad misericordiam commouendam, quàm humilitas, & obsecratio. Commotis autem animis, diutius in conquestione morari nó oportebit. Quemadmodũ enim dixit rhetor Apollonius, lacryma nihil citius arescit. Sed quoniam satis uidemur de omnibus partibus orationis dixisse, & huius uoluminis magnitudo longius processit, quæ sequuntur deinceps in secundo libro dicemus.

M. T. CICERONIS DE ARTE RHETORICA LIBER SECVNDVS.

CROTONIATAE quondam, cum florerent omnibus copijs, & in Italia cum in primis beati numerarentur, templũ Iunonis, quod religiosissime colebant, egregijs picturis locupletare uoluerunt. Itaque Eracleotem Zeusim, qui tum longe cæteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is & cæteras tabulas complures pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit, et ut excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenæ se pingere simulachrum uelle dixit. Quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum alijs præstare sæpe accepissent, libenter audierunt. putauerunt enim eum siquo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeusis illico quæsiuit a'o his quasnam uirgines formosas haberent. Illi autem statim hominem duxerunt in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multos magna præ=

ditos dignitate (Etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum uiribus, & dignitatibus ante steterunt, atq; honestissimas ex gymnico certamine uictorias domũ cum maxima laude retulerunt) Cum puerorum igitur formas, et corpora magno hic opere mirarentur, horũ inquiũt illi, sorores sunt apud nos uirgines. Quare qua sint illæ dignitate potes ex his suspicari. Præbete igitur mihi quæso inquit, ex istis uirginibus formosissimas, dũ pingo id, qđ pollicitus sum uobis, ut nutum in simulachrũ ex animali exemplo ueritas transferatur. Tũc Crotoniatæ publico de consilio uirgines unũ in locum conduxerunt, & pictori quam uellet eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinq; delegit, quarum nomina multi poëtæ memoriæ tradiderũt, quod eius essent iudicio probatæ, qui uerissimũ pulchritudinis habere iudiciũ debuisset. Neq; enim putauit omnia, quæ quæret ad uenustatem uno in corpore se reperire posse, ideo qđ nihil simplici in genere omni ex parte ꝑfectum natura expoliuit. Itaq; tanquam cæteris non sit habitura, quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alij commodi aliquo adiuncto incõmodo muneratur. Quod quoniã nobis quoq; uoluntatis accidit, ut artem dicendi ꝑscriberemus; non unum aliquod proposuimus exemplum, cuius omnes partes, quocũq; essent in genere, exprimendæ nobis necessario uiderentur. Sed omnibus unũ in locũ coactis scriptoribus, quod qsq; commodissime præcipere uidebatur, excerpsimus, et ex uarijs ingenijs excellentissima quæq; libauimus, ex ijs enim, qui nomine, et memoria digni sunt, nec nihil optime, nec omnia præclarissime quisquam dicere nobis uidebatur. Quapropter stultitia nobis uisa est, aut a bene inuentis alicuius recedere, siquo in uitio eius offenderemur, aut aduitia quoq; eius accedere, cuius aliquo bono præcepto duceremur. Quod si in cæteris quoq; studijs a multis eligere homines cõmodissimum quodq;, quàm sese uni alicui certo uellẽt addicere, minus in arrogantiã offenderent, non tantopere in uitijs ꝑseuerarent, aliquãto ex inscitia leuius laborarent. Ac si par in nobis huius artis, atq; in illo picturæ scientia fuisset, fortasse magis hoc suo in genere opus nostrum, quàm ille in sua pictura nobilis eniteret. Ex maiore enim copia nobis, quàm illi fuit exemplorum eligendi potestas. Ille una ex uroe, & ex eo numero uirginum, quæ tum erant, eligere potuit, nobis omnium quicunq; fuerunt ab ultimo principio huius præceptionis usque ad hoc tempus expositis copijs, quodcunq; placeret eligendi potestas fuit. Ac ueteres quidem scriptores artis usque ab principe illo, atque inuentore Tysia repetitos unum in locum

conduxit Aristoteles, & nominatim cuiusq; præcepta magna conquisita cura perspicue conscripsit, atq; enodata diligenter exposuit, ac tantum inuentoribus ipsis suauitate, & breuitate dicendi præstitit, ut nemo illorũ præcepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, q quod illi præcipiant, uelint intelligere, ad hunc quasi ad quendam multo cõmodiorem explicatorem reuertantur. Atq; hic quidẽ ipse et sese ipsum nobis, & eos, qui ante se fuerant, in medio posuit, ut cæteros, & seipsum per se cognosceremus. Ab hoc autem, q profecti sunt, quanquam in maximis philosophiæ partibus operæ plurimum cõsumpserunt, sicut & ipse, cuius instituta sequebantur, fecerat, tamen permulta nobis præcepta dicendi reliquerunt, Atq; aly quoq; alio ex fonte præceptores dicendi emanauerunt, qui item permultũ ad dicendũ, si quid ars proficit, opitulati sunt. nam, fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus, & nobilis rhetor Isocrates, cuius ipsius quam constet esse artem, non inuenimus, Discipulorũ autem, atq; eorũ, qui protinus ab hac sunt disciplina profecti, multa de arte præcepta reperimus. Ex his duabus diuersis sicuti familijs, quarũ altera cum uersaretur in philosophia, nonnullã rhetoricæ quoq; artis sibi curã assumebat, altera uero omnis in dicendi erat studio, & præceptione occupata, unum quoddã est conflatum genus a' posterioribus, qui ab utrisq; ea, quæ commode dici uidebantur, in suas artes contulerunt, quos ipsos simul atq; illos superiores nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus, & ex nostro quoq; non nihil in commune contulimus. Quod si ea, quæ in his libris exponuntur, tantopere eligenda fuerunt, quanto studio electa sunt, profecto neq; nos, neq; alios industriæ nostræ pœnitebit. Sin autẽ temere aliqd alicuius præterijsse, aut non satis eleganter secuti uidebimur, docti ab aliquo facile, et libenter sententiã commutabimus. non enim parum cognosse, sed inparũ cognito stulte, & diu pseuerasse turpe est, propterea quod alterum communi hominũ infirmitati, alterũ singulari uniuscuiusq; uitio est attributum. Quare nos qdẽ sine ulla affirmatione simul quærentes dubitanter ununquodq; dicemus, ne, dũ paruulum hoc consequimur, ut satis cõmode hæc pscripsisse uideamur, illud amittamus, quod maximũ est, ut necui rei temere, atq; arroganter assenserimus. Verum hoc quidem nos, & in hoc tẽpore, & in omni uita studiose quoad facultas feret, consequemur. Nunc autem, ne longius oratio progressa uideatur, de reliqs, quæ præcipiẽda uidentur esse, dicemus. Igitur primus liber exposito genere huius artis, et officio, et fine, & materia, & partibus, genera controuersiarum, & inuentiones, &

constitutiones continebat. Deinde partes orationis, & in eas omnes omnia præcepta. Quare, cum in eo cæteris de rebus distinctius dictũ sit, disperse autẽ de confirmatione, et de reprehẽsione, nũc certos cõfirmãdi, et reprehẽdẽdi in singula causarũge nera locos tradẽdos arbitramur. Et qaquo pacto tractari cõueniret argumẽtationes in libro primo nõ indiligẽter expositũ est, hic tantũ ipsa inuenta unãquãq; in rem exponentur simpliciter sine ulla exornatione, ut ex hoc inuenta ipsa, ex superiore autem expolitio inuentorum petatur. Quare hæc, quæ nunc præcipientur, ad confirmationis, & reprehensionis partes referre oportebit.

Omnis & demonstratiua, et deliberatiua, & iudicialis causa necesse est in aliquo eorum, quæ ante exposita sunt, cõstitutionis genere uno, pluribus'ue uersetur. Hoc quanquam ita est, tamen cũ communiter quædã de omnibus præcipi possint, separatim quoque aliæ sunt cuiusq; generis, & diuersæ præceptiones. Aliud enim laus, aut uituperatio. Aliud sententiæ dictio. Aliud accusatio, aut recusatio conficere debet. In iudicijs qd æquum sit quæritur. In demonstrationibus, qd honestum. In deliberationibus, ut nos arbitramur, qd honestum sit, & qd utile. Nã cæteri utilitatis modo finem in suadendo, et in dissuadẽdo exponi oportere arbitrati sunt. Quorum igitur generum fines, et exitus diuersi sunt, eorũ præcepta eadẽ esse non possunt. Neq; nunc hoc dicimus non easdem inuadere constitutiones. ueruntamen oratio quædã ex ipso fine, & genere causæ nascitur, quæ ptineat ad uitæ alicuius demonstrationem, aut ad sententiæ dictionẽ. Quare nunc exponẽdis controuersijs in iudiciali genere causarũ, et præceptorũ uersabimur. Ex quo pleraq; in cætera quoq; causarũ genera simuli implicita controuersia nulla cũ difficultate transferrentur, post autem sẽparatim de reliquis dicemus. Nunc à coniecturali cõstitutione proficiscemur, cuius exemplũ sit hoc expositum. In itinere quidã proficiscentem ad mercatũ quendã, et secum aliquantũ numorum ferentẽ est comitatus, cũ hoc, ut ferè fit, in uia sermonẽ cõtulit, ex quo factũ est, ut illud iter familiarius facere uellent. Quare, cũ in quandã tabernã diuertissent, simul cœnare, et in eodẽ loco somnũ capere uoluerunt. Cœnati discubuerũt ibidẽ, capo autem (nã ita dicitur post inuentum, cũ in alio maleficio deprehensus esset) cũ illum alterũ uidelicet, q numos haberet, animaduertisset, noctu postquã illos arctius, ut fit, iã ex lassitudine dormire sensit, accessit, et alterius corũ, q sine numis erat, gladiũ propè appositũ è uagina eduxit, et illũ alterũ occidit. numos abstulit. gladiũ cruentũ in ua-

gnam recondidit. ipse sese in lectum suum recepit. Ille autẽ, cuius gladio occisio erat facta, multo ante lucẽ surrexit. comitem illũ suũ inclamauit semel, et sæpius. Illũ somno impeditum non respondere existimauit. ipse gladium, & cætera, quæ secum attulerat, sustulit. solus profectus est. Campo non multo post clamat hominem esse occisum, & cum quibusdam diuersoribus illum, qui ante exierat, consequitur. in itinere hominem cõprehendit. gladium eius è uagina educit, reperit cruentum, homo in urbem ab illis deducitur, ac reus fit. In hac intentio est criminis, occidisti. depulsio, non occidi. Ex quibus cõstitutio est. Quæstio eadẽ in cõiecturali, quæ iudicatio, occiderit ne.

Nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem coniecturalem incidit controuersiam. Hoc autem & in horũ locorũ expositione, & in cæterorum oportebit attendere, non omnes in omnem causam conuenire. Vt enim omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus literis scribitur, sic omnem in causam non omnis argumentorũ copia, sed eorũ necessaria pars aliqua conueniet. Omnis igitur, ex causa, ex persona, ex facto ipso, coniectura capienda est. Causa distribuitur in impulsionem, et in ratiocinationẽ. Impulsio est, quæ sine cogitatione per quandã affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, ægritudo, uiolentia, & omnino omnia, in quibus animus ita uidetur affectus fuisse, ut rem perspicere cũ consilio, & cura non potuerit, & id, quod fecit, impetu quodã animi potius, quàm cogitatione fecerit. Ratiocinatio autem est diligens, & consyderata faciendi aliquid, aut nõ faciendi excogitatio. Ea dicitur tum interfuisse, cũ aliquid faciendũ, aut non faciendũ certa de causa uitasse, aut secutus esse animus uidetur. ut si amicitiæ quid causa factum dicetur, si inimici ulciscendi, si metus, si gloriæ, si pecuniæ, si deniq; ut omnia generatim amplectamur, alicuius retinẽdi, augẽdi, adipiscendi'ue cõmodi, aut contra reijciendi, diminuẽdi, deuitandi'ue incõmodi causa. Nam horũ in genus alterutrum illa quoq; incident, in quibus aut incõmodũ aliqđ maioris uitãdi incõmodi causa, aut maioris adipiscendi cõmodi suscipitur. aut cõmodũ aliquod maioris adipiscẽdi cõmodi, aut maioris uitandi incõmodi præteritur. Hic locus sicut aliquod fundamẽtum est huius cõstitutionis. nã nihil factũ esse cuiquã probatur, nisi aliquid quare factum sit, ostenditur. Ergo accusator, cum aliquid impulsione factũ esse dicet, illũ impetum & quandã cõmotionem animi affectionemq; uerbis, et sententijs amplificare debebit, et ostendere quãta uis amoris sit, quãta animi pturbatio ex iracũdia fiat, aut ex aliqua causa earũ, qua impulsum aliquẽ

id feaſſe dicet. Hic et exemplorum commemoratione, qui ſimili impulſu aliquid commiſerint, & ſimilitudinum collatione, & ipſius animi affectionis explicatione curandū eſt, ut non mirū uideatur, ſiquod ad facinus tali perturbatione commotus animus accęſſerit. Cum autem non impulſione, uerum ratiocinatione aliquem cōmiſiſſe quid dicet, quid commodi ſit ſecutus, aut quid incommodi fugerit, demonſtrabit, & id augebit quammaxime poterit, ut quoad fieri poſſit, idonea quammaxime cauſa ad peccandum hortata uideatur. Si gloriæ cauſa, quantam gloriam conſecuturam exiſtimarit. Item ſi dominationis, ſi pecuniæ, ſi amicitiæ, ſi inimicitiarum, & omnino qđ quid erit quod cauſæ fuiſſe dicet, id ſumme augere debebit, & hoc eum magnopere conſyderare oportebit, non quid in ueritate modo, uerū etiam uehementius, quid in opinione eius, quem arguet, fuerit. Nihil enim refert non fuiſſe, aut non eſſe aliqd commodi, aut incommodi, ſi oſtendi poteſt ei uiſum eſſe, qui arguatur. Nam opinio dupliciter fallit homines, cum aut res aliuſmodi eſt, ac putatur, aut non is euentus eſt, quem arbitrati ſunt. Res aliuſmodi eſt tum, cum aut id, quod bonū eſt, malum putant, aut contra quod malū eſt, bonum, aut quod nec malū eſt, nec bonum, malū aut bonum, aut quod malū, aut bonum eſt, nec malum, nec bonū. Hoc intellecto, ſiquis negabit ullam eſſe pecuniā fratris, aut amica uita, aut deniq; officio ſuo antiquiorē, aut ſuauiorem, non erit hoc accuſatori negandū. Nam in eum culpa, & ſummum odiū transferretur qui id, quod tam uere, & pie dicetur, negabit. Verum illud dicendū erit, illi nō eſſe ita uiſum, quod ſum oportet ex iis, quæ ad pſonam pertinent, de quo poſt dicendum eſt. Euentus autem tum fallit, cū aliter accidit, atq; ij, qui arguuntur, arbitrati eſſe dicuntur. ut ſiquis dicatur alium occidiſſe, ac uoluerit, quod aut ſimilitudine, aut ſuſpicione, aut demonſtratione falſa deceptus ſit, aut eum necaſſe, cuius teſtamento non ſit hæres, quod eius teſtamento ſe hæredem arbitratus ſit. Non enim ex euentu cogitationem ſpectari oportere, ſed qua cogitatione, & ſpe ad maleficiū profectus ſit, conſyderare, & quo animo quid quiſq; faciat, nō quo caſu utatur ad rē ptinere. In hoc autē loco, caput illud erit accuſatori, ſi demonſtrare poterit alij nemini cauſam fuiſſe faciendi. Secundariū, ſi tantam, aut tam idoneā nemini. Sin fuiſſe alijs quoq; cauſa faciēdi uidebitur, aut poteſtas alijs defuiſſe demonſtrāda eſt, aut facultas, aut uolūtas. Poſtetas, ſi aut neſciſſe, aut nō affuiſſe, aut conficere aliqd nō potuiſſe dicetur. Facultas, ſi ratio, adiutores, adiumēta, et cætera, quæ ad rē ptinebunt, defuiſſe alicui demonſtrabuntur. Voluntas, ſi animus a

mus à talibus factis uacuus, et integer esse dicetur. Postremo, quas ad defensionem rationes reo dabimus, ijs accusator ad alios ex culpa eximendos abutetur. Verum id breui faciendum est, & in unum multa sunt conducenda, ut ne alterius defendendi causa hunc accusare, sed huius accusandi causa defendere alterum uideatur, atq; accusatori quidem hæc ferè sunt in causa facienda, et consyderãda. Defensor autem ex contrario. Primum impulsionem, aut nullam fuisse dicet, aut si fuisse concedet, extenuabit, & parumlam quandam fuisse demonstrabit, aut non ex ea solere huiusmodi facta nasci docebit. Quo erit in loco demonstrandum quæ uis & natura eius sit affectionis, qua impulsus aliquid reus commisisse dicetur, in quo & exempla, & similitudines erunt proferendæ, & ipsa diligenter natura eius affectionis quamleuissime quietissimam ad partem explicanda, ut & res ipsa à facto crudeli, & turbulento ad quoddam mitius, & tranquillius traducatur, & oratio tamen ad animum eius, qui audiet, & ad animi quendam intimum sensum accommodetur. Ratiocinationis autem suspiciones infirmabit, si aut cõmodum nullũ fuisse, aut paruum, aut alijs magis fuisse, aut nihilo sibi magis, quàm alijs, aut incommodum sibi maius, quã commodum dicet, ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo, aut cum eo incommodo, quod acciderit, aut cum illo periculo, quod subeatur, comparanda. qui omnes loci similiter incommodi quoque uitatione tractabuntur. Sin accusator dixerit, eum id esse secutum, quod ei uisum sit commodum, aut id fugisse, quod putarit esse incommodum, quanquam in falsa fuerit opinione, demonstrandum erit defensori, neminem tantæ esse stultitiæ, qui tali in re possit ueritatem ignorare. Quod si id concedatur, illud non concessumuri, nec dubitasse quidem hunc quid eius iuris esset, sed id, quod falsum fuerit, sine ulla dubitatione pro falso, quod uerum pro uero probasse. Quod si dubitauerit, summæ fuisse amentiæ, dubia spe impulsum certum in periculum se committere. Quemadmodum autem accusator, cum ab alijs culpam dimouebit, defensoris locis utetur, sic ijs locis, qui accusatori dati sunt, utetur reus, no in alios ab se crimen uolet transferre. EXPERsona autem cõiectura capietur, si eæres, quæ psonis attributæ sunt, diligenter consyderabũtur, quas omnes in primo libro exposuimus. nam & de nomine nonnunquam aliquid suspiciõnis nascitur. Nomẽ autem cum dicimus, cognomen quoq;, et agnomẽ intelligatur oportet. De hominis enim certo, et proprio uocabulo agitur, ut si dicamus iairco aliquem Callidiũ uocari, quod temerario, & repentino consilio sit,

aut si ea de re hominibus græcis imperitis uerba dedisse, quod Clodius, aut Cæcilius, aut Mutius uocarentur. Et de natura licet aliquantulum ducere suspicionis. omnia enim hæc, uir an mulier, huius an illius ciuitatis sit, quibus sit maioribus, quibus consanguineis, qua ætate, quo animo, quo corpore, quæ naturæ sunt attributa, ad aliquam coniecturam faciendam pertinebunt. Et ex uictu multæ trahuntur suspiciones, cum quemadmodum, & apud quos, & à quibus educatus, & eruditus sit quæritur, & quibus cum uiuat, qua ratione uitæ, quo more domestico uiuat. Et ex fortuna sæpe argumentatio nascitur, cum seruus, an liber. pecuniosus, an pauper. nobilis, an ignobilis. felix, an infelix. priuatus, an cum potestate sit, aut fuerit, aut futurus sit, consideratur, aut deniq; aliqd eorũ quæritur, quæ fortunæ esse attributa intelliguntur. Habitus autem, quoniam in aliqua perfecta, et cõstanti animi, aut corporis absolutione cõsistit, quo in genere est uirtus, scientia, & quæ contraria sunt, res ipsa causa posita docebit, ecquid hic quoq; locus suspicionis ostendat. Nam affectionis quidẽ ratio suspicionem solet præ se gerere coniecturam, ut amor, iracundia, molestia, propterea quod & ipsorum uis intelligitur, & quæ res harum aliquam rem consequantur, facles cognitu sunt. Studium autẽ, quoniam est assidua, & uehemens ad aliquam rem applicata magna cũ uoluntate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio, quam res ipsa desyderabit in causa. Item ex consilio sumetur aliquid suspicionis. Nam consilium est aliquid faciendi, non faciendi ue excogitata ratio. Item facta & casus, et orationes, quæ sunt omnia (ut in confirmationis præceptis dictum est) in tria tẽpora distributa, facile erit uidere, ecquid afferant ad coniecturam confirmandam suscispionis. Ac personis quidem res eæ sunt attributæ, ex quibus omnibus unum in locum coactis accusatoris erit improbatione hominis uti. Nam causa facti parum firmitudinis habet, nisi animus eius, qui insimulatur, in eam suspicionem adducetur, ut à tali culpa nó uideatur abhorruisse. Vt enim animum alicuius improbare nihil attinet, cũ causa quare peccauerit, non intercesserit, sic causam peccati intercedere leue est, si animus nulli minus honestæ rationi affinis ostenditur. Quare uitæ eius, quem arguit, ex antefactis accusator improbare debebit, et ostendere, siquo in pari ante peccato commictus sit. Si id nõ poterit, siquam in simulem ante suspicionem uenerit, ac maxime si fieri poterit, simili aliquo in genere eiusmodi causa aliqua commotum peccasse, aut in æque magna re, aut in maiore, aut in minore, ut siquis pecunia dicat inductum fecisse, possit demonstrare aliqua in re eius aliquod factum anarum

ctum auarum. Item in omni causa naturam, aut uictum, aut studiũ, aut fortunam, aut aliquid eorum, quæ personis attributa sunt, ad eã causam, qua commotum peccasse dicet, adiungere, atque ex dispari quoq; genere culparum, si ex pari sumendi facultas non erit, improbare animũ aduersarij oportebit, si auaritia inductum arguas fecisse, & auarũ eum, quẽ accuses, demonstrare non possis, alijs affinem esse uitijs doceas, & ex ea re nó esse mirandũ, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re eum deliquisse. Quantum enim de honestate, & authoritate eius, q arguitur, detractum est, tantum de facultate totius est defensionis diminutũ. Si nulli affinis poterit uitio reus ante admisso demonstrari, locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut uicterem famam hominis nihil ad rẽ putent pertinere. Nam eum ante cælasse, nunc manifesto teneri. Quare non oportere hanc rẽ ex superiori uita spectari, sed superiorem uitã ex hac re improbari, & aut potestatem ante peccandi non fuisse, aut causam, aut si hæc dici non poterunt, dicendũ erit illud extremum non esse mirum, si nũc primum deliquerit. Nã necesse est eum, qui uelit peccare, aliquando primum delinquere. Sin uita ante acta ignorabitur, hoc loco prætermitto, & cur prætereatur demonstrato, argumentis accusationẽ statim confirmare oportebit. Defensor autem primum, si poterit, debebit uitam eius, qui insimulabitur, quam honestissimam demonstrare. Id faciet, si ostendet aliqua eius nota, et communia officia, quod genus in parentes, cognatos, amicos, affines, necessarios, etiã quæ magis rara, & eximia sunt, si ab eo, cum magno aliquo labore, aut periculo, aut utraq; re, cum necesse non esset, officij causa, aut in remp. aut in parentes, aut in aliquos eorum, qui modo expositi sunt, facta esse dicet. Deinde si nihil deliquisse, nulla cupiditate impeditum ab officio recessisse, quod eo cõfirmatius erit, si cum potestas impunæ aliquid faciendi minus honeste fuisse dicetur, uoluntas ei faciendi demonstrabitur abfuisse. Hoc autem ipsum genus erit eo firmus, si eo ipso in genere, quo arguetur, integer antea fuisse demonstrabitur, ut si cum auaritiæ causa fecisse arguatur, minime omni in uita pecuniæ cupidus fuisse doceatur. Hic illa magna cum grauitate inducetur indignatio iuncta conquestioni, per quam miserum factus esse, & indignum demonstrabitur, cum animus omni in uita fuerit à uitijs remotissimus, eam causam putare, quæ homines audaces in fraudem rapere soleat, castissimum quoq; hominem ad peccandum potuisse impellere, aut inquum esse, & optimo cuiq; perniciosissimũ, non uitã honeste actam tali in tempore quam-

plurimum prodesse, sed subita ex crimnatione, quæ confingi facile possit, non ex ante acta uita, que neque ad tempus fingi, neq; ullo modo immutari possit, facere iudicium. Sin autẽ in ante acta uita aliquæ turpitudines erunt, aut falsò ueniſſe in eam existimationẽ dicẽtur, aut ex aliquorum inuidia, aut obtrectatione, aut falsa opinione, aut imprudentiæ, necessitudini, aut persuasioni, adolescentiæ, aut alicui non malitiosæ animi affectioni attribuentur, aut dissimili in genere uitiorum, ut animus non omnino integer, sed à tali culpa remotus esse uideatur. Ac si nullo modo uitæ turpitudo, aut infamia leniri poterit oratione, negare oportebit de uita eius, et moribus quæri, sed de eo crimine, quo de arguatur, quare ante factis omissis, illud, qđ instet, agi oportere. EX FACTO autem ipso suspiciones ducentur, si totus administratio negotij ex omnibus partibus pertentabitur, atq; hæ suspiciones partim ex negotio separatim, partim communiter ex psonis, atq; ex negotio proficiscentur. Ex negotio duci poterunt, si eas res, quæ negotijs attributæ sunt, diligenter consyderabimus. Ex ijs igitur in hanc constitutionẽ conuenire uidentur genera eorũ omnia, partes generum pleræq;. Videre igitur primum oportebit, quæ sint continentia cũ ipso negotio, hoc est, quæ ab re separari non possunt. Quo in loco satis erit diligenter consyderare, qd sit ante rem factum, ex quo spes perficiendi nata, & faciendi facultas quæsita uideatur. qd in ipsa re gerenda, quid postea consecutum sit. deinde ipsius est negotij gestio pertractanda. Nam hoc genus earum rerum, quæ negotio attributæ sunt, secundo in loco nobis est expositum. Hoc ergo in genere spectabitur locus, tempus, occasio, facultas, quorum uniusquiusq; uis diligẽter i cõfirmationis præceptis explicata est. Quare, ne aut hic nõ admonuisse, aut ne eadem iterum dixisse uideamur, breuiter demõstrabimus, qd quaq; in parte consyderari oporteat. In loco igitur opportunitas, in tempore longinquitas, in occasione cõmoditas ad faciendum idonea, in facultate copia, & potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit, aut sine quibus omnino confici non potest, consyderanda est. Deinde uidendũ est, quid adiunctum sit negotio, hoc est, quid maius, quid minus, qd æque magnum sit, quid simile, ex quibus coniectura quædam ducitur, si quemadmodum res maiores, minores, æque magnæ, similesq; agi soleant, diligenter consyderabitur. Quo in genere euẽtus quoq; uidendus erit, hoc est qd ex unaquaq; re soleat euenire, magnopere consyderandũ est, ut metus, lætitia, titubatio. Quarta autem pars erat ex ijs, quas negotijs dicebamus esse attributas, consecutio. In ea quæruntur ea, quæ gestũ negotium

tium cõfestim, aut ex interuallo cõsequũtur, in qua uidebimus ec= quæ cõsuetudo sit, ecquæ lex, ecquæ actio, ecquod eius rei artificiũ sit, aut usus, aut exercitatio hominum, aut approbatio, aut offensio, ex quibus nonnunquam elicitur aliquid suspicionis. Sunt autem ali= quæ suspiciones, quæ communiter, & ex negotiorum, & ex psona= rum attributionibus sumuntur. Nam ex fortuna, & ex natura, & ex uictu, studio, factis, casu, orationibus, cõsilio, & ex habitu animi, aut corporis pleraq; pertinent ad easdem res, quæ rem credibilem, aut incredibilem facere possint, & cum facti suspicione iunguntur. Maxime enim quæri oportet in hac constitutione. Primũ potuerit'ne aliquid fieri. deinde ecquo ab alio potuerit. Deinde facultas, de qua ante diximus. Deinde utrũ id facinus sit, quod pœnitere fuerit neces se. Item quod spem cælandi haberet. Deinde necessitudo, in qua num necesse fuerit id aut fieri, aut ita fieri quæritur. Quorũ pars ad con silium pertinet, quod personis attributum est, ut in ea causa, quam exposuimus. Ante rem erit, quod in itinere se tam familiariter ap= plicauerit, quod sermonis causam quæsiuerit, quod simul diuerterit, dehinc cœnarit. In re, nox, somnus. Post rem, quod solus exierit, qđ illum tam familiarem comitem tam æquo animo reliquerit, quod cruentum gladiũ habuerit. horum pars ad consiliũ pertinet. Quæ= ritur enim utrũ uideatur diligenter ratio faciendi esse habita, et ex= cogitata, an ita temere, ut non uerisimile sit quenquá tam temere ad maleficium accessisse. In quo quæritur num quo alio modo cõmodius potuerit fieri, uel a' fortuna administrari. Nam sæpe, si pecuniæ ad= iumenta, si adiutores desint, facultas fuisse faciendi non uidetur, hoc modo, si diligenter attendamus, apta inter se esse intelligimus hæc, quæ negotijs, et illa, quæ personis sunt attributa. Hic neq; facile est, neq; necessariũ distinguere, ut in superioribus partibus, quo pacto quidq; accusatorẽ, & quomodo defensorẽ tractare oporteat. Nõ ne= cessarium, propterea quod causa posita, qd in quanq; conueniat, res ipsa docebit eos, q non omnia hic se inuenturos putabunt, sed ad ea, quæ præcepta sunt, cõparationis modo quandã in cõmune mediocrẽ intelligentiam conferent. Non facile autem, quod & infinitum est tot de rebus utranq; in partem singillatim de una quaq; explicare, & alias aliter hæc in utranq; partem causæ solent conuenire. Quare cõsyderare hæc, que exposuimus, oportebit. Facilius autẽ ad in= uentionem animus incedet, si gesti negotij & suã, & aduersarij nar rationẽ sæpe, & diligenter ptractabit, et quid quæq; pars suspiciõis habebit, eliciens consyderabit. Quare, quo consilio, qua spe pficiendi

quidq; factum sit. cur hoc modo potius, quàm illo. cur ab hoc potius, quàm ab illo. cur nullo adiutore, aut cur hoc. cur nemo sit conscius, aut cur sit, aut cur hic sit. cur hoc ante factum sit. cur hoc ante factū nō sit. cur hoc in ipso negotio. cur hoc post negotium, aut qd factum de industria, aut quid rem ipsam consecutum sit. Constet'ne oratio aut cum re, aut ipsa secum. hoc huius'ne rei sit signum, an illius, an huius, & illius, & utrius potius. quid factum sit, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit. Cum animus hac intentione omnes totius negotij partes consyderabit, tum illi ipsi in mediū conseruati loci procedent, de quibus ante dictum est, & cum ex singulis, tum ex coniunctis argumenta certa nascentur. quorum argumentorum pars probabili, pars necessario in genere uersabitur. Accedūt autem ad coniecturam sæpe quæstiones, testimonia, rumores, quæ contra omnia uterq; simili uia præceptorum torquere ad suæ causæ commodum debebit. Nam & ex quæstione suspicaones, & ex testimonio, & ex rumore aliquo pari ratione, ut ex causa, & ex persona, & ex facto duca oportebit. Quare nobis & ij uidentur errare, qui hoc genus suspicionum artificij non putant indigere, & ij, qui aliter hoc de genere, ac de omni coniectura præcipiendum putant. Omnis enim ijsdem ex locis coniectura sumenda est. Nam & eius, qui in quæstione aliquid dixerit, & eius qui in testimonio, et ipsius rumoris causa, & ueritas ex ijsdem attributionibus reperiretur. Omni autem in causa pars argumentorum est adiuncta ei causæ solum, quæ dicatur, & ab ipsa ita ducta, ut ab ea separatim in omnes eiusdem generis causas transferri non satis commode possit. Pars autem est peruagatior, & aut in omnes eiusdem generis, aut in pleraſq; causas accommodata. Hæc ergo argumenta, quæ transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus. Nam locus communis, aut certæ rei quandam continet amplificationem. ut siquis hoc uelit ostendere, eum, qui parentem necarit, maximo supplicio esse dignum, quo loco nisi perorata, & probata causa, non est utendum. Aut dubiæ, quæ ex contrario quoq; habeat probabiles rationes argumentandi, ut suspicionibus credi oportere, & contra, suspicionibus credi non oportere. Ac pars locorum communium, aut per indignationem, aut per conquestionem inducatur, de quibus ante dictum est, pars per aliquam probabilem utraq; ex parte rationem. Distinguitur autem oratio, atq; illustratur maxime, raro inducendis locis communibus, & aliquo loco, iam certioribus illis auditoribus, & argumentis confirmatis. Nam et tum conceditur commune quiddam dicere, cum

re,cum diligenter aliquis proprius cauſæ locus tractatus eſt, & auditoris animus aut renouatur ad ea,quæ reſtant,aut omnibus iã dictis,exſuſcitatur. Omnia enim ornamenta elocutionis,in quibus & ſuauitatis,& grauitatis plurimum conſiſtit,& omnia, quæ in mutatione uerborum,& ſententiarum aliquid habent dignitatis, in communes locos conferuntur. Quare,non ut cauſarum, ſic oratorum quoq; multorum communes loci ſunt.nam niſi ab iis, qui multa exercitatione magnam ſibi & uerborum, & ſententiarum copiam cõparauerint,tractari non poterunt ornate,& grauiter, quemadmodum natura ipſorum deſyderat. Atque hoc ſit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium. Nunc exponemus in coniecturalem conſtitutionem qui loci communes incidere ſoleant. Suſpicionibus credi oportere, & non oportere. Rumoribus credi oportere,& non oportere. Teſtibus credi oportere,& non oportere. Quæſtionibus credi oportere,& non oportere. Vitam ante actam ſpectari oportere,& non oportere. Eiuſdem eſſe,qui in illa re peccarit,& hoc quoque admiſiſſe,& non eſſe eiuſdem. Maxime ſpectari cauſam oportere,& non oportere. Atque hi quidem, & ſiqui eiuſmodi ex proprio argumento communes loci naſcentur,in contrarias partes diducentur. Certus autem locus eſt accuſatoris,per quem auget facti atrocitatem,& alter per quem negat malorum miſereri oportere. Defenſoris,per quem calumnia accuſatorum cum indignatione oſtenditur, & per quem cum conqueſtione miſericordia captatur. Hi, & cæteri omnes loci communes ex iiſdem præceptis ſumuntur,quibus cæteræ argumentationes,ſed illæ tenuius, & acutius,& ſubtilius tractantur,hi autem grauius, & ornatius, & cum uerbis,tum etiam ſententijs excellentibus. In illis enim finis eſt,ut id,quod dicitur,uerum eſſe uideatur, in his tameſi hoc quoq; uideri oportet,tamen finis eſt amplitudo. Nunc ad aliam conſtitutionem tranſeamus.

c VM eſt omnis controuerſia,qa uis uocabuli definienda uerbis eſt,conſtitutio definitiua dicitur. Eius generis exẽplo nobis poſita ſit hæc cauſa. C. Flaminius is,qui conſul rẽp. male geſſit bello punico ſecundo,cum tribunus plebis eſſet,inuito ſenatu,& omnino contra uoluntatem omnium optimatum p ſeditionem ad populũ legem agrariã ferebat. Hunc pater ſuus concilium plebis habentem de templo deduxit. Accerſitur maieſtatis. Intentio eſt,maieſtatem minuiſti,quod tribunum plebis de templo deduxiſti. Depulſio eſt,nõ minui maieſtatẽ. Quæſtio eſt,maieſtatẽ ne minuerit

Ratio, *in filium enim quã habebam potestatem, ea usus sum.* Rationis *infirmatio.* At *enim, qui patria potestate, hoc est priuata quadã, tribunitiam potestatem, hoc est populi potestatem infirmat, minuit is maiestatem.* Iudicatio *est, minuat'ne is maiestatem, qui in tribunitiã potestatem patria potestate utatur.* Ad *hanc iudicationem argumentationes omnes afferri oportebit.* Ac, *nequis forte arbitretur nos non intelligere aliam quoq; incidere cõstitutionem in hanc causam, eam nos partẽ solã summus, in qua præcepta nobis danda sunt.* Omnibus *autem partibus hoc in libro explicatis, quiuis omni in causa, si diligenter attendet, omnes uidebit cõstitutiones, & earũ partes, & cõtrouersias, siquæ forte in eas incident. nã de omnibus ꝓscribemus.*

Primus *ergo accusatoris locus est, eius nominis, cuius de ui quæritur, breuis, & aperta, & ex hominum opinione definitio, hoc modo.* Maiestatem *minuere est de dignitate, aut amplitudine, aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliqd derogare.* Hoc *sic breuiter expositum, pluribus uerbis est, & rationibus cõfirmandum, & ita esse, ut descripseris, ostendendum.* Postea *ad id, quod definieris, factum eius, qui accusabitur, adiũgere oportebit, & ex eo, quod ostenderis esse, uerbi causa, maiestatẽ minuere, docere aduersarium maiestatem minuisse, & hunc locum totum cõmuni loco confirmare, per quem ipsius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur, post erit infirmanda aduersariorũ descriptio.* Ea *autẽ infirmabitur, si falsa demonstrabitur, hoc ex opinione hominum sumetur, cum quemadmodum, & quibus in rebus homines in consuetudine scribendi, aut sermocinandi eo uerbo uti solcãt, consyderabitur.* Itẽ *infirmabitur, si turpis, aut inutilis esse ostendetur eius descriptionis approbatio, et si, quæ incõmoda consecutura sint, eo concesso, ostendetur.* Id *autem ex honestatis, & utilitatis partibus sumetur, de qbus in deliberationis præceptis exponemus.* Et *si, cum definitione nostra aduersariorum definitionem conferemus, et nostram ueram, honestam, utilem esse demonstrabimus, illorum contra.* Quæremus *autem res, aut maiori, aut minori, aut pari in negotio similes, ex qbus affirmetur nostra descriptio.* Iam *si res plures erunt definiendæ. ut si quæratur, fur sit, an sacrilegus, q uasa ex priuato sacra surripuerit, erit utendũ pluribus definitionibus.* Deinde *simili ratione causa tractanda.* Locus *autem cõmunis in eius malitiam, q non modo rerũ, uerum etiã uerborum potestatem sibi arrogare conetur, ut & faciat, quod uelit, et id, quod fecerit, quo uelit nomine appellet.* Deinde *defensoris primus locus est, itẽ nominis breuis, & aperta,*

uis,& aperta,& ex opinione hominũ descriptio,hoc modo. Maiestatem minuere est,aliquid de rep.cũ potestatem non habeas,administrare.Deinde huius confirmatio est,similibus & exemplis,et rationibus.postea sui facti ab illa definitione separatio. Deinde locus communis,per quẽ facti utilitas,aut honestas adaugetur. Deinde sequitur aduersariorum definitionis reprehensio, quæ ijsdem ex locis omnibus,quos accusatori præscripsimus,conficitur,& cætera post eadem præter cõmunem locum inducẽtur.Locus autẽ communis erit defensoris is,per quem indignabitur, accusatorem sui periculi causa non res solum conuertere,uerum etiam uerba commutare conari. Nam illi qdem communes loci, qui aut calumniæ accusatorum demonstrandæ,aut misericordiæ captandæ,aut facti indignandi, aut à misericordia deterrendi causa sumuntur,ex periculi magnitudine, non ex causæ genere ducuntur.Quare non in omnem causam,sed in omne causæ genus incidunt.Eorũ mentionẽ in coniecturali cõstitutione feramus.Inductione autẽ eorũ,cum causa postulabit,utemur.

VM Autem actio translationis,aut commutationis indigere uidetur,quod non aut is agit,quem oportet,aut cũ eo, qui cum oportet,aut apud quos,qua lege,qua pœna,quo crimine,quo tempore oportet,constitutio trãslatiua appellatur.Huius nobis exempla permulta opus sunt,si singula translationum genera quæramus,sed quia ratio præceptorum simlis est, exemplorum multitudine supersedendũ est. Atq; in nostra quidem consuetudine multis de causis fit,ut rarius incidant translationes.Nam et prætoris exceptionibus multæ excluduntur actiones,& ita ius ciuile habemus constitutum,ut à causa cadat is,qui non quemadmodum oportet,egerit.Quare in iure plerunq; uersantur.Ibi enim et exceptiones postulantur,& quodãmodo agendi potestas datur,& omnis cõceptio priuatorum iudiciorũ constituitur.In ipsis autem iudicijs rarius incidunt,& tamen,siquando incidunt, eiusmodi sunt,ut per se minus habeant firmitudinis,confirmentur autem assumpta alia aliqua constitutione.Vt in quodã iudicio,cum ueneficii cuiusdã nomen esset delatum,&,quia paricidij causa subscripta esset,extra ordinẽ esset acceptum,cum in accusatione alia quædam crimina testibus,& argumentis confirmarentur,paricidij autẽ solum mentio facta esset. defensor in hoc ipso multum oportet ut diu consistat.cum de nece parentis nihil demonstratũ sit, indignum facimus esse ea pœna afficere eum,qua paricidæ afficiuntur,id autem si damnaretur, fieri necesse esset,quoniam & id causæ subscriptum, & ex ea re nomen extra

ordinem sit acceptum. Ea igitur pœna si affici reum non oporteat, damnari quoq; non oportere, quoniam ea pœna damnationem necessario consequatur. Hic defensor pœnæ cõmutationem ex translatiuo genere inducendo, totam infirmabit accusationem. Veruntamen cæteris quoq; criminibus defendendis coniecturali constitutione translationem confirmabit. Exemplum autem translationis in causa nobis positum sit huiusmodi. Cum ad uim faciendã quidam armati uenissent, armati contra præsto fuerunt, & cuidã equiti romano qdã ex armatis resistenti gladio manum præcidit. Agit is, cui manus præcisa est, iniuriarũ. postulat is, q cum agitur, a prætore exceptionem, extra quam in reum capitis præiudicium fiat. Hic is, qui agit iudicium purum postulat. Ille, qui cum agitur, exceptionem addi ait oportere. Quæstio est. excipiendum sit, an non? Ratio. Non enim oportet in recuperatorio iudicio eius maleficij, de quo inter sicarios quæritur, præiudicium fieri. Infirmatio rationis, Eiusmodi sunt iniuriæ, ut de his indignum sit non primo quoq; tempore iudicari. Iudicatio. Atrocitas iniuriarũ satis ne causæ sit. quare dum de ea iudicetur, de aliquo maiore maleficio, de quo iudiciũ cõparatũ sit, præiudicetur. atq; exemplũ qdem hoc est. In omni autem causa ab utroq; quæri oportebit, a quo, & per quos, & quomodo, & quo tempore aut agi, aut iudicari, aut qd statui de ea re conueniat. Id ex partibus iuris, de qbus post dicendũ est, sumoportebit, & ratiocinari, quid in simulibus rebus fieri soleat, & uidere utrum malitia qd aliud agatur, aliud simuletur, an stultitia, an necessitudine, quod alio modo agi non possit, an occasione agendi sic sit iudicium, aut actio constituta, an recte sine ulla re eiusmodi res agatur. Locus autem communis contra eum, qui translationem inducet, fugere iudicium, ac pœnam, quia causæ diffidat. A translatione autem omnium fore perturbationem, si non ita res agatur, & in iudicium ueniat, quo pacto oporteat. hoc est si aut cum eo agatur, qui cum non oporteat, aut alia pœna. alio crimine. alio tempore. atq; hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omnium pertinere. Tres igitur eæ constitutiones, quæ partes non habent, ad hunc modum tractabuntur, Nunc generalem constitutionem, & partes eius consyderemus.

VMET facto, & facti nomine concesso, neq; ulla actionis illata controuersia, uis, & natura, & genus negotij ipsius quæritur, constitutionem generalẽ appellamus. Huius primas esse partes duas nobis uideri diximus, negotialem, et iuridicialem. Negotialis est, quæ in ipso negotio iuris ciuilis habet im-

plicitam controuersiam. Ea *est huiusmodi.* Quidam *pupillum hæredem fecit.pupillus autem ante mortuus est,quàm in suam tutelam ueniret.*De *hæreditate ea,quæ pupillo uenit inter eos,qui patris pupilli hæredes secundi sunt,& inter agnatos pupilli controuersia est. possessio hæredum secundorum est.* Intentio *est agnatorum. nostra pecunia est,de qua is,cuius agnati sumus testatus non est.* Depulsio *est,immo nostra,qui hæredes secundi testamento patris sumus.*Quæstio *est.utrorum sit.* Ratio *est pater enim & sibi,& filio testamentum scripsit,dum is pupillus esset.* Quare,*quæ filij fuerunt, testamento patris nostra fiant necesse est.* Infirmatio *est rationis.immo pater sibi scripsit,et secundum hæredem non filio,sed sibi iussit esse.* Quare *præterquam quod ipsius fuit in testamento,ullius uestrum esse non potest.* Iudicatio. *possit'ne quisquam de filij pupilli re testari. an hæredes secundi ipsius patrisfamilias,non filij quoq; eius pupilli hæredes sint.* Atque *hoc non alienum est,quod ad multa pertineat, ne aut nusquam,aut usquequaq; dicatur hic admonere.* Sunt *causæ,quæ plures habent rationes in simplici constitutione, quod fit,cũ id,quod factum est,aut quod defenditur,pluribus de causis rectum, aũt probabile uideri potest.ut in hac ipsa causa.supponatur enim ab hæredibus hæc ratio.* Vnius *enim pecuniæ plures dissimilibus de causis hæredes esse non possunt,nec unquam factum est, ut eiusdem pecuniæ alius testamento,alius lege hæres esset.*Infirmatio *autẽ hæc erit.nõ est una pecunia,propterea quod altera iam erat pupilli aduentitia,cuius hæres non illo in tempore in testamento quisquã scriptus erat, siquid pupillo accidisset, & de altera patris etiam nunc mortui uoluntas plurimũ ualebat,quæ iã mortuo pupillo suis hæredibus concedebat.*Iudicatio *est,una'ne pecunia fuerit.acsi hac erunt usi infirmatione,posse plures esse unius hæredes pecuniæ dissimilibus de causis.de eo ipso iudicatio nascitur,possint'ne eiusdẽ pecuniæ plures dissimilibus generibus esse hæredes.*Ergo *una in constitutione intellectum est,quomodo & rationes, & rationũ infirmationes, & præterea iudicationes plures fiant.* Nunc *huius generis præcepta uideamus.*Vtriq;,*aut etiã omnibus si plures ambigent, ius ex qbus rebus cõstet,est cõsyderandũ.*Initium *ergo eius ab natura ductũ uidetur.*Quædã *autem ex utilitatis ratione,aut ꝓspicua nobis,aut obscura in consuetudinẽ uenisse.*Post *autẽ approbata quædã aut a' cõsuetudine,aut uero utilia uisa,legibus esse firmata.*Ac *naturæ qdem ius est,quod nobis nõ opinio,sed quædã innata uis afferat,ut religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obseruantiam, ueritatem.*

Religionem,eam,quæ in metu,& cærimonia deorum sit,appellant; Pietatem,quæ erga patriam,aut parentes,aut alios sanguine coniunctos officium conseruare moneat. Gratiam, quæ in memoria, & remuneratione,officiorũ,& honorum,& amicitiarum obseruantiã teneat. Vindicationem,per quam uim, & contumeliam defendendo,aut ulciscendo propulsamus à nobis,& à nostris,qui nobis esse cari debent,& per quam peccata puninus. Obseruantiã, per quam ætate,aut sapientia,aut honore,aut aliqua dignitate antecedentes reueremur,& colimus. Veritatem,per quam damus operam, neqd aliter,quàm confirmauerimus,fiat,aut factum,aut futurum sit. Ac naturæ quidem iura minus ipsa quæruntur ad hanc controuersiam, quod neque in hoc ciuili iure uersantur, & à uulgari intelligentia remotiora sunt,ad similitudinem uero aliquam,aut ad rem amplificandã sæpe sunt inferenda. Consuetudinis autem ius esse putatur id, qđ uoluntate omnium sine lege uetustas comprobarit. In ea autẽ iura sunt quædã ipsa iam certa propter uetustatem. Quo in genere & alia sunt multa,& eorum multo maxima pars,quæ prætores ediçere consueuerunt. Quædã autem genera iuris iã certa consuetudine facta sunt,quod genus,pactum,par,iudicatum. Pactum est,quod inter aliquos conuenit,quod iã ita iustum putatur,ut iuri præstare dicatur. Par,quod inter omnes æquabile est. Iudicatum,de quo iam ante sententia alicuius,aut aliquorum constituta est. Iã iura legitima ex legibus cognosci oportebit. His ergo ex partibus iuris quicquid aut ex ipsare,aut ex simili,aut ex maiore,aut ex minore nasci uidebitur,quisque attendere,atque elicere pertẽtando unanquãq; partem iuris debebit. Locorum autem communium,quoniam(ut ante dictum est)duo sunt genera,quorum alterum dubiæ rei, alterũ certæ continet amplificationem,quid ipsa causa det, & quid augeri per communem locum possit,& oporteat,considerabitur. Nam certi,qui in omnes incidant loci præscribi non possunt. in plerisque fortasse ab authoritate iurisconsultorum, & contra authoritatem dici oportebit. Attendendum est autem in hac, & in omnibus, num quos locos communes,præter eos,quos exposuimus,ipsa res ostendat. Nunc iuridiciale genus,& partes eius consideremus.

i VRIdicialis est, in qua æqui,& iniq natura, & præmij, aut pœnæ ratio quæritur. Huius partes sunt duæ,quarũ alterã absolutã,alterã assumptiuã nominamus. Absoluta est, quæ ipsa ĩ se,nõ ut negocialis implicite,& abscondite,sed patẽtius, & expeditius recti,& nõ recti quæstionẽ cõtinet. ea est huiusmodi.

Cum Thebani Lacedæmonios bello *superauissent, & ferè mos esset* Grais, *cũ inter se bellum gessissent, ut ij, qui uicissent, trophæum aliquod in finibus statuerent uictoriæ modo in præsentia declarandæ causa, nó ut in perpetuum belli memoria maneret, æneũ statuerũt trophæum.* Accusantur *apud* Amphictyonas, *idest apud commune* Græciæ *concilium.* Intentio *est.non oportuit.* Depulsio *est. oportuit.* Quæstio *est. oportuerit'ne?* Ratio *est. eam enim ex bello gloriam uirtute peperimus, ut eius æterna insignia posteris nostris relíquere uel lemus.* Infirmatio *est. attamen æternum inimicitiarum monumentum* Graios de Grais *statuere non oportet.* Iudicatio *est, cum summæ uirtutis cælebrandæ causa* Graij de Grais *æternũ inimicitiarũ monimentum statuerint, recte'ne, an contra fecerint?* Hãc ideo rationem *subiecimus, ut hoc causæ genus ipsum, de quo agimus, cognoscæretur.* Nãsi *eã supposuissemus, qua fortasse usi sunt, non enim iuste, neq; pie bellum gessistis, in relationẽ criminis dilaberemur, de qua post loquemur.* Vtrũq; *autem causæ genus in hanc causam incidere perspicuũ est.* In *hanc argumentationes ex ijsdem locis sumendæ sunt, atq; í causam negotialem, de qua ante dictum est.* Locos *autẽ communes et ex causa ipsa, siquid inerit indignationis, aut conquestionis, et ex iuris utilitate, et natura multos, et graues sumere licebit, et oportebit, si causæ dignitas uidebitur, postulare.* Nunc *assumptiuam partẽ iuridicialis consyderemus.* ASSVM *ptiua igitur tunc dicitur, cum ipsum ex se factum probari non potest, aliquo autem foris adiuncto argumẽto defenditur.* Eius *partes sunt quatuor,* Cõparatio, Relatio criminis. Remotio *criminis,* Cõcessio, Comparatio *est, cũ aliquod factum, quod per se ipsum non sit probandũ, ex eo, cuius id causa factum est, defenditur.* Ea *est huiusmodi.* Quidam Imperator, *cũ ab hostibus circunsideretur, neq; effugere ullo modo posset, depactus est cum eis, ut arma, et impedimẽta relinqueret, milites educeret.* Itaq; *fecit.* Armis, *& impedimentis amissis, præter spẽ milites conseruauit.* Accusatur *maiestatis.* Incurrit *huc definitio, quid sit lædere maiestatẽ, sed nos hunc locum, de quo agimus, consyderemus.* Intẽtio *est.* Nõ *oportuit arma, et impedimenta relinquere.* Depulsio *est. oportuit.* Quæstio *est. oportuerit'ne?* Ratio *est. milites enim omnes perijssent.* Infirmatio *est, aut coniecturalis non perijssent, aut altera coniecturalis, nó ideo feciſti.* Ex *quibus sunt iudicationes. perijssent'ne? et ideo'ne fecerit? aut hæc comparatiua, cuius nũc indigemus.* At enim *satius fuit amittere milites, quàm arma, & impedimenta hostibus concedere.* Ex *qua iudicatio nascitur. cum omnes perituri milites essent, nisi ad hanc pa-*

ctionem uenissent, utrum satius fuerit amittere milites, an ad hanc cõ ditionem uenire? Hoc causæ genus ex his locis tractari conueniet. Oportebit adhibere cæterarum quoq; constitutionum rationem, atq; præcepta, ac maxime coniecturis faciendis infirmare illud, quod cũ eo, quod crimini dabitur, ij qui accusabuntur, comparabunt. Id fiet, si aut id, quod dicent defensores futurum fuisse, nisi id factum eẽt, quo de facto iudicium est, futurum fuisse negabitur, aut si alia ratione, et aliam ob causam, ac dicet se reus fecisse, demonstrabitur esse factum. Eius rei confirmatio, & item contraria de parte infirmatio ex coniecturali constitutione sumetur. Sin autem certo nomine maleficij uocabitur in iudiciũ, sicut in hac causa. nam maiestatis accersitur, definitione, & definitionis præceptis uti oportebit. Atq; hæc quidẽ plerũq; in hoc genere incidunt, ut coniectura, & definitione utendum sit. Sin aliud quoq; aliqđ genus incidet, eius generis præcepta licebit huc pari ratione transferre. Nam accusatori maxime est in hoc elaborandũ, ut id ipsum factũ, propter quod sibi reus concedi putat oportere, quamplurimis infirmet rationibus. quod facile est, si quamplurimis constitutionibus aggrediatur id improbare. Ipsa autem comparatio separata à cæteris generibus controuersiarum sic ex sua ui consyderabitur, si illud, quod comparabitur, aut non honestum, aut nõ utile, aut non necessariũ fuisse, aut non tantopere utile, aut non tantopere honestum, aut non tantopere necessariũ fuisse demonstrabitur. Deinde oportet accusatorem illud, quod ipse arguat, ab eo, quod defensor comparat, separare. Id autem faciet, si demonstrabit non ita fieri solere, neq; oportere, neq; esse rationem, quare hoc propter hoc fiat, ut propter salutem militum ea, quæ salutis causa comparata sunt, hostibus tradantur. Postea comparare oportebit cum beneficio maleficium, & omnino id, quod arguitur, cum eo, quod factum ab defensore laudatur, aut faciendũ fuisse demonstratur, contendere. Et hoc extenuando maleficij magnitudinem simul adaugere. Id fieri poterit, si demonstrabitur, honestius, utilius, magis necessariũ fuisse illud, quod uitarit reus, quàm illud, quod fecerit. Honesti autẽ, & utilis, & necessarij uis, & natura in deliberationis præceptis cognoscetur. Deinde oportebit ipsam illã cõparatiuam iudicationem exponere tanq; causam deliberatiuã, & de ea ex deliberationis præceptis deinceps dicere. Sit enim hæc iudicatio, quam ante exposuimus. Cum omnes perituri milites essent, nisi ad hãc pactionẽ uenissent, utrũ satius fuerit perire milites, an ad hãc pactionem uenire. Hoc ex locis deliberationis, quasi aliquã in consultationẽ res ueniat, tractari oportebit.

Defensor autem quibus in locis ab accusatore aliæ constitutiones erunt inductæ,in ijs ipse quoq; ex ijsdem constitutionibus defensionẽ comparabit,cæteros autem omnes locos,qui ad ipsam comparationem pertinebunt , ex contrario tractabit . Loci autem communes erunt accusatoris,in eum qui cum de facto turpi aliquo,aut inutili, aut utroq; fateatur,quærat tamen aliquam defensionem,& facti inutilitatem,aut turpitudinem cum indignatione proferre . Defensoris est nullum factum inutile,neq; turpe,neque item utile,neque honestum putari oportere,nisi quo animo,quo tempore,qua de causa factum sit,intelligatur . Qui locus ita communis est,ut bene tractatus in hac causa,magno ad persuadendum momento futurus sit. Et alter locus, per quem magna cum amplificatione beneficij magnitudo ex utilitate,aut honestate,aut facti necessitate demonstratur . Et tertius,per quem res expressa uerbis ante oculos corum , qui audiunt, ponitur , ut ipsi sẽ quoq; idem facturos fuisse arbitrentur,si sibi illa res atque ea faciendi causa per idem tempus accidisset .

RELATIO crimnis est, cum reus id, quod arguitur confessus,alterius se inductum peccato iure fecisse demonstrat . Ea est huiusmodi. Horatius occisis tribus curiatibus, & duobus amissis fratribus,domum se uictor recepit. Is animaduertit sororem suam de fratrum morte non laborantem,sponsi autem nomen appellantem identidem curiatis cum gemitu,et lamentatione,indigne passus uirginem occidit,accusatur. Intentio est,iniuria sororem occidisti. Depulsio est. Iure occidi. Quæstio est.iure'ne occiderit? Ratio est. Illa enim hostium mortem lugebat,fratrum negligebat. me & Populum R. uicisse moleste ferebat. Infirmatio est. Tamen à fratre indemnatam necari non oportuit.ex qua iudicatio fit . Cum Horatia fratrum mortem negligeret,hostium lugeret,de fratris , & Populi R. uictoria non gauderet,oportuerit'ne eam à fratre indemnatam necari. Hoc in genere causæ,primum,siquid ex cæteris dabitur constitutionibus sumi oportebit , sicut in comparatione præceptum est. Postea siqua facultas erit,per aliquam constitutionem illum, in quem crimen transfertur,defendere.Deinde leuius esse illud,quod in alterum peccatum reus transferat, quàm quod ipse susceperit. Postea translationis partibus uti , & ostendere à quo, & per quos, & quomodo , & quo tempore aut agi , aut iudicari , aut statui de ea re conuenerit , ac simul ostendere non oportuisse ante supplicium , quàm iudicium interponere . Tum leges quoque , & iudicia demonstranda sunt , per quæ potuerit id peccatum , quod

ſponte ſua reus punitus ſit, moribus, & iudicio uindicari. Deinde negare debebit, audiri oportere id, qđ in eũ crimnis cõferatur, de quo is ipſe, qui cõferat, iudicium fieri noluerit, et id, quod iudicatum nõ ſit, pro infecto haberi oportere. Poſtea impudentiam demonſtrare eorum, qui eũ nunc apud iudices accuſent, quem ſine iudicibus ipſi cõdemnarint, et de eo iudicium faciant, de quo iam ipſi ſupplicũ ſumpſerint. Poſtea perturbationẽ iudicij futuram dicemus, et iudices longius, quã poteſtatem habeant progreſſuros, ſi ſimul & de reo, & de eo, quem reus arguat, iudicarint. Deinde hoc ſi conſtitutum ſit, ut peccata homnes peccatis, et iniurias iniurijs ulciſcantur, quantum incõmodorum conſequatur. Ac ſi idem facere ipſe, qui nunc accuſat, uoluiſſet, ne hoc quidem ipſo quicquam opus fuiſſet iudicio. Si uero cæteri quoq; idem faciant, omnino iudicium nullum futurum. Poſtea demõſtrabitur, ne ſi iudicio quidem illa damnata eſſet, in quam id crimen ab reo conferatur, potuiſſe hunc ipſum de illa ſupplicũ ſumere. Quare eſſe indignum, eum, qui ne de dánata qdem pœnas ſumere potuiſſet, de ea ſupplicũ ſumpſiſſe, quæ ne adducta qdem ſit in iudicium. Deinde poſtulabit, ut legem, qua lege fecerit, proferat. Deinde (quemadmodum in cõparatione præcipiebamus) ut illud, quod cõparabatur, extenuaretur ab accuſatore quã maxime, ſic ĩ hoc genere oportebit illius culpam, in quẽ crimen transferetur, cum huius maleficio, qui ſe iure feciſſe dicat, cõparare. Poſtea demonſtrandum eſt, non eſſe illud eiuſmodi, ut ob id hoc fieri conueniret. Extrema eſt, ut in cõparatione, aſſumptio iudicationis, & de ea p amplificationẽ ex deliberationis præceptis dictio. Defenſor autem, quæ per alias conſtitutiones inducentur, ex ijs locis, qui traditi ſunt, infirmabit. Ipſam autem relationem cõprobabit, primum augendo eius, in quem refert crimen, culpam, & audaciam, et quammaxime per indignationem, ſi res feret iuncta cõqueſtione ante oculos ponendo. Poſtea leuius demoſtrando reum punitum, quã ſit ille promeritus, & ſuum ſupplicũ cum illius iniuria conferendo. Deinde oportebit eos locos, qui ita erũt ab accuſatore tractati, ut refelli, & contrariam in partem conuerti poſſint, quo in genere ſunt tres extremi, contrarijs rationibus infirmare. Illa autem acerrima accuſatorum criminatio, per quam perturbationem fore omnium iudiciorum demonſtrant, ſi de indemnato ſupplicij ſumendi poteſtas data ſit, leuabitur. Primum ſi eiuſmodi demonſtrabitur iniuria, ut non modo uiro bono, uerum etiam homni libero uideatur nõ fuiſſe toleranda. Deinde ita perſpicua, ut ne ab ipſo quidem, qui feciſſet in dubium uocaretur. Deinde eiuſmodi, ut in eã

is maxime debuerit animaduertere, qui animaduerterit, ut non tam rectum, non tam fuerit honestum in iudicium illam rẽ peruenire, quã eo modo, atq; ab eo uindicari, quomodo, et ab quo sit uindicata. Postea sic rem fuisse apertam, ut iudicium de ea re fieri nihil attinuerit. Atq; *hic demonstrandum est, rationibus, et rebus similibus, pernultas ita atroces, & perspicuas res esse, ut de his non modo non necesse sit, sed ne utile quidem, quin mox iudicium fiat, expectare.* Locus *communis accusatoris in eum, qui, cum id, quod arguitur, negare non possit, tamen aliquid sibi spei comparet ex iudicorum perturbatione.* Atq; *hic utilitatis iudicorum demonstratio, & de eo conquestio, qui supplicium dederit indemnatus, in eius autem, qui sumpserit audaciam, et crudelitatem, indignatio.* Ab *defensore, in eius, quẽ ultus sit, audaciam sui conquestione, rem non ex nomine ipsius negotij, sed ex consilio eius, qui fecerit, et causa, & tempore consyderari oportere, quid mali futurum sit, aut ex iniuria, aut ex scelere alicuius, nisi tanta, et tã perspicua audacia ab eo, ad cuius famam, aut ad parẽtes, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem, quam caram esse omnibus aut necesse est, aut oportet esse, fuerit uindicata.* RE *motio crimnis est, cum eius intentio facti, quod ab aduersario infertur, in alium, aut in aliud dimouetur.* Id *fit bipartito.* Nã *tum causa, tum res ipsa remouetur.* Causæ *remotionis hoc nobis exemplo sit.* Rhodij *quosdam legarunt* Athenas. Legatis *quæstores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt.* Legati *profecti non sunt.* Accusantur. Intentio *est.* Proficisci *oportuit.* Depulsio *est.* Non *oportuit.* Quæstio *est.* Oportuerit'ne. Ratio *est.* Sumptus *enim, qui de publico dari solet, is ab quæstore non est datus.* Infirmatio *est.* Vos *tamen id, quod publicè uobis datum erat negotij, conficere oportebat.* Iudicatio *est, cum ijs, qui legati erant.* Sumptus *q debebatur, q de publico non daretur, oportuerit'ne eos conficere nihilo minus legationem.* Hoc *í genere primum sicut in cæteris, siquid aut ex coniecturali, aut ex alia constitutione sum possit, uideri oportebit.* Deinde *pleraq; ex comparatione, & ex relatione criminis in hanc quoq; causam conuenire poterũt.* Accusator *autem illum, cuius culpa id factum reus dicet, primum defendet, si poterit.* Sin *minus poterit, negabit ad hoc iudicium illius, sed huius, quem ipse accuset, culpã pertinere. postea dicet, suo quenq; officio consulere oportere, nec si ille peccasset, hunc oportuisse peccare. deinde si ille deliquerit, separatim illum, sicut hunc accusari oportere, & non cum huius defensione coniũgi illius accusationem.* De-*fensor autem, cum cætera, siqua ex alijs incident constitutionibus*

pertractarit, de ipsa remotione sic argumentabitur. Primum cuius acciderit culpa demonstrabit. Deinde cum id aliena culpa accidisset, ostendet se aut non potuisse, aut non debuisse id facere, quod accusator dicat oportuisse. quod non potuerit, ex utilitatis partibus, in quibus est necessitudinis uis implicata, demonstrabit. quod non debuerit, ex honestate considerabitur. De utroq; distinctius in deliberatiuo genere dicetur. Deinde omnia facta esse ab reo, quæ in ipsius fuerint potestate, quod minus, quàm conuenerit, factum sit, culpa id alterius accidisse. Deinde in alterius culpa exponenda demonstrandum est, quantum uoluntatis, & studij fuerit in ipso, & id signis confirmandum huiusmodi, ex cætera diligentia, ex ante factis, aut dictis, atq; hoc ipsi utile fuisse facere. inutile autẽ non facere, et cum cætera uita magis hoc fuisse consentaneum, quàm quod propter alterius culpam non fecerit. Sin autem non in hominem certum, sed in rem aliquam causa dimouebitur, ut in hac eadem re, si quæstor mortuus esset, & icirco legatis pecunia data nõ esset, accusatione alterius, et culpæ depulsione dempta, cæteris similiter uti locis oportebit, & ex concessionis partibus quæ conuenient, assumere, de quibus post nobis dicendum erit. Loci autem communes ijdẽ utrisq; ferè, qui superioribus assumptiuis incident. Hi tamen certissimi. Accusatoris, facti indignatio. Defensoris, cum in alio culpa sit, aut in ipso non sit, supplicio reum affici non oportere. Ipsius autem rei fit remotio, cum id, quod datur crimini, negat neq; ad se, neq; ad officium suum reus pertinuisse, nec, si quod in eo sit delictum, sibi attribui oportere. Id genus causæ est huiusmodi. In eo fœdere, quod factum est quondam cum Samnitibus quidã adolescens nobilis porcam sustinuit iussu imperatoris. Fœdere autem ab senatu improbato, et imperatore Samnitibus dedito, quidam in senatu eum quoq; dicit, qui porcã tenuerit, dedi oportere. Intentio est. Dedi oportet. Depulsio est. Non oportet. Quæstio est. Oporteat'ne. Ratio est. Non enim meum fuit officium, nec mea potestas, cum & id ætatis & priuatus essem, & esset summa cum authoritate, & potestate imperator, qui uideret, ut satis honestum fœdus feriretur. Infirmatio est. At tamen, quoniã tu particeps factus es in turpissimo fœdere summæ religionis, dedi te conuenit. Iudicatio est. Cum is, qui potestatis nihil habuerit iussu imperatoris in fœdere, et in tanta religione interfuerit, dedendus'ne sit hostibus, nec'ne. Hoc genus causæ à superiore hoc differt, quod in illo concedit se reus oportuisse facere id, quod fieri dicat accusator oportuisse, sed alicui rei, aut homini causam attribuit, quæ uoluntati suæ fuerit impedimento sine concessionis partibus.

Nam

Nam earum quædam maior uis est, quod paulo post intelliget ur. In hoc autem non accusare alterum, nec culpam in alium transferre debet, sed demonstrare eam rem nec ad se, nec ad potestatẽ, neque ad officium suum pertinuisse, aut pertinere. Atque in hoc genere hoc accidit noui, quod accusator quoque sæpe ex remotione criminationem conficit. Vt si quis eum accuset, qui, cum prætor esset, in expeditionem ad arma populum uocarit, cum consules adessent. Nam ut in superiore exemplo reus ab suo officio, ac potestate factum dimouebat, sic in hoc ab eius officio, ac potestate, qui accusatur, ipse accusator factum remouendo, hac ipsa ratione confirmat accusationem. In hac ab utroque ex omnibus partibus honestatis, & omnibus utilitatis partibus exemplis, signis, ratiocinando quid cuiusq; officij, iuris, potestatis sit, quæri oportebit, & fuerit'ne ei, quo de agitur, id iuris officij potestatis attributum, nec'ne. Locos autem communes ex ipsa re, si quid indignationis, ac cõquestionis habebit, sum oportebit.

CONCESSIO est, per quam non factum ipsum probatur ab reo, sed ut ignoscatur, id petitur. Cuius partes sunt duæ, purgatio, & deprecatio. Purgatio est, per quam eius, qui accusatur, non factum ipsum, sed uoluntas defenditur. Ea habet partes tres. imprudentiam, casum, necessitudinem. Imprudentia est, cum scisse aliquid is, qui arguitur, negat. Vt apud quosdam lex erat, nequis Dianæ uitulum immolaret. Nautæ quidam, cum aduersa tempestate in alto iactarentur, uouerunt, si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei deo, qui ibi esset, se uitulum immolaturos. Casu erat in eo portu fanum Dianæ eius, cui uitulum immolari non licebat. Imprudentes legis cum exissent, uitulum immolauerunt. Accusantur. Intentio est. Vitulum immolastis ei deo, cui non licebat. Depulsio est in concessione posita. Ratio est, nesciui non licere. Infirmatio est. Tamen quoniam fecisti, quod non licebat, ex lege supplicio dignus es. Iudicatio est. Cum id fecerit, quod non oportuerit, & id non oportere nescierit, sit'ne supplicio dignus. Casus autem inferretur in concessionem, cum demonstrabitur aliqua fortunæ uis uoluntati obstitisse, ut in hac. Cum lacedæmonijs lex esset, ut hostias, nisi ad sacrificium quoddam redemptor præbuisset, capitale esset. hostias is, qui redemerat, cum sacrificij dies instaret, in urbem ex agro cœpit agere, tum subito magnis commotus tempestatibus fluuius Eurotas is, qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus, & uehemens factus est, ut eo traduci uictimæ nullo modo possent. Redemptor suæ uoluntatis ostendendæ causa hostias constituit

omnes in litore, ut qui trans flumen essent, uidere possent. Cum omnes studio eius subitam fluminis magnitudinem scirent fuisse impedimento, tamen quidam capitis accersierunt. Intentio est. Hostiæ, quas debuisti, ad sacrificium præsto non fuerunt. Depulsio est concessio. Ratio. Flumen enim subito accreuit, & ea re traduci non potuerunt. Infirmatio est, tamen quoniam quod lex iubet, factum non est, supplicio dignus es. Iudicatio est. Cum in ea re redemptor contra legem aliqd fecerit, qua in re studio eius subita fluminis obstiterit magnitudo, supplicio'ne dignus sit? Necessitudo autẽ infertur, cum ui quadã reus id, quod fecerit, fecisse defenditur, hoc modo. Lex est apud Rhodios, ut siqua rostrata in portu nauis deprehensa sit, publicetur. cum magna in alto tempestas esset, uis uentorũ inuitis nautis Rhodiorum in portum nauim cogit. Quæstor nauim populi uocat. Nauis dominus negat publicari oportere. Intentio est. Rostrata nauis in portu deprehẽsa est. Depulsio est concessio. Ratio. Vi, & necessario sumus in portum coacti. Infirmatio est. Nauim ex lege tamen populi esse oportet. Iudicatio est. Cum rostratam nauim in portu deprehensam lex publicarit, cumq; hæc nauis inuitis nautis ui tempestatis in portũ coniecta sit, oporteat'ne eam publicari? Horum triũ generũ icirco unum in locum contulimus exempla, quod similis in ea præceptio argumentorũ traditur. Nã in his omnibus primum, siquidres ipsa dabit facultatis, coniecturam ab accusatore induci oportebit, ut id, quod uoluntate factum negabitur, consulto factum suspicione aliqua demonstretur. Deinde inducere definitionem necessitudinis, aut casus, aut imprudẽtiæ, & exempla ad eam definitionem adiungere, in quibus imprudentia fuisse uideatur, aut casus, aut necessitudo, et ab his id, quod reus inferat, separare, id est ostendere dissimule, quod leuius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non necessarium fuerit. Postea demonstrare potuisse euitari; & hac ratione prouideri potuisse, si hoc, aut illud fecisset, aut nisi fecisset, præcaueri, & definitionibus ostendere non hanc imprudentiam, aut casum, aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere. Ac siqua necessitudo turpitudinem uidebitur habere, oportebit per locorum communium implicationem redarguentem demonstrare, quid uis perpeti, mori deniq; satius fuisse, quá ciusmodi necessitudini obtemperare. Atq; tum ex iis locis, de quibus in negotiali parte dictum est, iuris, & æquitatis naturam oportebit quærere, & quasi in absoluta iuridiciali per se hoc ipsum ab rebus omnibus separatim considerare. Atque hoc in loco, si facultas erit, exemplis uti oportebit, quibus in simili excusatione non sit

ne non sit ignotum, & contentione, magis illis ignoscendū fuisse, & ex deliberationis partibus turpe, aut inutile esse concedi eārem, quæ ab aduersario commissa sit. permagnum esse, & magno futurū detrimento, si ea res ab ijs, qui potestatē habent iudicandi, neglecta sit. Defensor autem conuersis omnibus his partibus poterit uti. Maxime autem in uoluntate defendenda commorabitur, & in ea re adaugēda, quæ uoluntati fuerit impedimento, & se plusquā fecerit facere non potuisse, et in omnibus rebus uoluntatē spectari oportere, & se conuinci nō posse, qđ non absit a culpa, et ex suo nomine cōmunem hominū infirmitatē posse dānari. Deinde nihil indignius esse, quàm eum, q culpa careat, supplicio non carere. Loca autem cómunes accusatoris unus in confessione. & alter quanta potestas peccandi relinquatur, si semel institutum sit, ut non de facto, sed de facti causa quæratur. Defensoris autē conquestio calamitatis eius, quæ non culpa, sed ui maiore quadam acciderit, & de fortunæ potestate, & hominū infirmitate, & uti suum animum, non euentum consyderent. In qbus omnibus conquestionem suarum erumnarum, et crudelitatis aduersariorum indignationem inesse oportebit. Ac neminem mirari cōueniet, si aut in ijs, aut in alijs exemplis scripti quoq; controuersiā adiunctam uidebit. Quo de genere post erit nobis separatim dicendū. propterea quod quædam genera causarum simpliciter, & ex sua ui consyderantur. quædam autem sibi aliud quoq; aliquod cōtrouersiæ genus assumunt. Quare omnibus cognitis, non erit difficile, in unanquanq; causam transferre, quod ex eo quoq; genere conueniet, ut in his exēplis concessionis inest omnibus scripti controuersia ea, quæ ex scripto, & sententia nominatur. Sed qa de concessione loquebamur, in eam præcepta dedimus. Alio autem loco descripto, & sententia dicemus. nunc in alteram concessionis partem consyderationē intendemus. DEPRE catio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio cōtinetur. Hoc genus uix in iudicio probari potest, ideo qđ concesso peccato, difficile est ab eo, qui peccatorum uindex esse debet, ut ignoscat impetrare. Quare parte eius generis, cum causam non in eo constitueris, uti licebit. Vt si pro aliquo claro, aut forti uiro, cuius in remp. multa sint beneficia, dixeris, possis, cum uidearis nō uti deprecatione, uti tamen ad hunc modum. Quod si iudices hic pro suis beneficijs, pro suo studio, quod in uos habuit semper, tali suo tē pore multorum suorum rectè factorū causa, uni delicto ut ignoscere tis postularet, tam dignū uestra mansuetudine, quā uirtute huius esset iudices a uobis hanc rem hoc postulante impetrari. Deinde augere

beneficia licebit, & iudices per locum communem ad ignoscendi uo
luntatem ducere. Quare hoc genus, quanquam in iudicijs non uer=
satur, nisi quadã ex parte, tamen quia & pars ipsa inducenda non-
nunquam est, & in senatu, aut concilio sæpe omni in genere tractan
da, in id quoq; præcepta ponemus. Nam in senatu, & in concilio de
Siphacæ diu deliberatum est, et de Q. Numitorio pullo, apud L. Opi
mium, & eius concilium diu dictum est, et magis in hoc quidẽ igno
scendi, quàm cognoscendi postulatio ualuit. Nam semper animo bo=
no se in populum R. fuisse non tam facile probabat, cum coniectu=
rali constitutione uteretur, quàm ut propter posterius beneficũ sibi
ignosceretur, cũ deprecationis parteis adiungeret. Oportebit igitur
eum, q sibi ut ignoscatur, postulabit, commemorare, siqua sua poterit
beneficia, & si poterit, ostendere ea maiora esse, quàm hæc, quæ de-
liquerit, ut plus ab eo boni, quàm mali profectũ esse uideatur. De=
inde maiorum suorum beneficia, siqua extabunt, proferre. Deinde
ostendere non odio, neq; crudelitate fecisse, quod fecerit, sed aut stulti=
tia, aut impulsu alicuius, aut aliqua honesta, aut probabili causa. Po
stea polliceri, & confirmare, se & hoc peccato doctum, & beneficio
eorũ, qui sibi ignouerint, confirmatum, omni tempore a tali ratione
abfuturum. Deinde spem ostendere aliquo se in loco, magno ijs, q sibi
concesserint, usui futurum. Postea, si facultas erit, se aut consanguineũ,
aut iam a maioribus in primis amicum esse demonstrabit, et ampli
tudinem suæ uoluntatis, & nobilitatem generis eorum, qui se saluũ
uelint, & dignitatem ostendere, & cætera ea, quæ psonis ad hone=
statem, & amplitudinem sunt attributa, cum conquestione sine arro
gãtia in se esse demonstrabit, ut honore potius aliquo, quàm ullo sup
plicio dignus esse uideatur. Deinde cæteros proferre, quibus maiora
delicta concessa sunt, ac multum proficiet, si se misericordem in pote=
state, & propensum ad ignoscendum fuisse ostendet. Atq; ipsum illud
peccatum erit extenuandum, ut quammininum obfuisse uideatur, et
aut turpe, aut inutile demonstrandum tali de homine supplicũ su=
mere. Deinde locis communibus misericordiam captare oportebit, ex
ijs præceptis, quæ in primo libro sunt exposita. Aduersarius autem
malefacta augebit, nihil imprudẽter, sed omnia ex crudelitate, &
malitia facta dicet. Ipsum immisericordem, superbum fuisse, &, si po
terit, ostendet semper inimicum fuisse, & amicum fieri nullo modo
posse. Si beneficia proferet, aut aliqua de causa facta, non propter be
neuolentiã demonstrabit, aut postea odiũ esse acre susceptum, aut illa
omnia maleficijs esse deleta, aut leuiora beneficia, quàm maleficia,

aut cum

aut eũ beneficijs honos habitus ſit, pro maleficio pœnam ſumi oportere. Deinde turpe eſſe, aut inutile ignoſci. Deinde de quo, ut poteſtas eſſet, ſæpe optarint, in eum poteſtate non uti ſummam eſſe ſtultitiã, et cogitare oportere quem animum in eum, uel quale odium habuerint. Locus autem communis erit indignatio maleficij, et alter locus eorum miſereri oportere, qui propter fortunam non propter malitiã in miſerijs ſint. Quoniam igitur in generali conſtitutione tandiu propter eius partium multitudinem commoramur, ne forte uarietate, & diſſimilitudine rerum deductus alicuius animus in quendam errorem deferatur, quid etiam nobis ex eo genere reſtet, & quare reſtet, admonendum uidetur. Iuridicialem cauſam eſſe dicebamus, in qua æqui, & iniqui natura, præmij aut pœnæ ratio quæreretur. Eas cauſas, in qbus de æquo, & iniquo quæritur, expoſuimus. Nũc reſtat ut de præmio, & de pœna explicemus. Sunt enim multæ cauſæ, quæ ex præmij alicuius petitione conſtant. Nam & apud iudices de præmio ſæpe accuſatorum quæritur, & à ſenatu, aut concilio aliquod præmium ſæpe petitur. Ac neminem conueniet arbitrari nos, cum aliquod exemplũ ponamus, quod in ſenatu agatur, ab iudiciali genere exemplorum recedere. Quicquid enim de homine probando, aut improbando dicitur, cum ad eam dictionem ſententiarum quoq; ratio accomodetur, id non, ſi per ſententiæ dictionẽ agitur, deliberatiuum eſt. Sed quia de homine ſtatuitur, iudiciale eſt habendũ. Omnino autem qui diligenter omnium cauſarum uim, & naturã cognouerit, cum genere primo, tum etiam forma eas intelliget diſſidere. Cæteris autem partibus aptas inter ſe omnes, & aliam in aliã implicatam uidebit. Nunc de præmijs conſyderemus. L. Licinius Craſſus conſul quoſdam in citeriore Gallia nullo illuſtri, neq; certo duce, neq; eo nomine, neq; numero præditos, ut digni eſſent, qui hoſtes Romani p. eſſe dicerentur, quod tamen excurſionibus, & latrocinijs infeſtam Prouinciam redderent, conſectatus eſt, & confecit. Romam rediit. triumphum ab ſenatu poſtulat. Hic, ut & in deprecatione nihil ad nos attinet, rationibus, & infirmationibus rationum ſupponẽdis ad iudicationem peruenire, propterea quod niſi alia quoq; incidet conſtitutio, aut pars conſtitutionis, ſimplex erit iudicatio, & in quæſtione ipſa continebitur. In deprecatione, huiuſmodi. oporteat'ne pœna affici. In hac, huiuſmodi. Oporteat'ne præmium dari. Nunc ad præmij quæſtionem appoſitos locos exponemus. Ratio igitur præmij quatuor eſt in parteis diſtributa. In beneficia, in hominẽ, in præmij genus, in facultates. Beneficia ex ſua ui, ex tempore, ex animo

eius,qui fecerit,ex casu considerantur.Ex sua ui quærũtur,hoc modo.Magna,an parua. facilia,an difficilia.singularia sint,an uulgaria.ucra,an falsa quadam ex oratione honestentur. Ex tempore autem,si tum cum indigeremus,cum cæterinõ possent,aut nollent opitulari,si tum cum spes deseruisset,opitulatus sit.Ex animo,si non sui commodi causa,sed eo consilio fecit omnia,ut hoc conficere posset.Ex casu,si non fortuna,sed industria factum uidebitur,aut si industriæ fortuna obstiterit.In hominem autem,qbus rationibus uixerit,quid sumptus in eam rem,aut laboris insumpserit, & siquid aliquando tale fecerit,num alieni laboris,aut deorum bonitatis præmuum sibi postulet.num aliquando ipse talem ob causam aliquem præmo affici negarit oportere.aut num iam satis pro eo,quod fecerit honos habitus sit.aut num necesse fuerit ei facere id , quod fecerit.aut num huiusmodi sit factum,ut nisi fecisset,supplicio dignus esset,non qa fecerit,præmo.aut num ante tempus præmuum petat,& spem incertam certo uenditet pretio.aut num quo supplicium aliquod uitet,eo præmuum postulet,uti de se præiudicium factum esse ui deatur.In præmij autem genere,quid, & quantum,& quamobrem postuletur,& quo,& quanto quæq; res præmo digna sit,considerabitur. Deinde apud maiores,qbus hominibus,& qbus de causis talis honos sit habitus quæretur.Deinde ne is honos nimiũ puagetur. Atq; hic eius,q contra aliquem præmiũ postulantẽ dicet,locus erit cõmunis,præmia uirtutis,et officij sancta,et casta esse oportere, neq; ea aut cũ improbis cõmunicari, aut in mediocribus hominibus puulgari. Et alter,minus homines uirtutis cupidos fore uirtutis præmo puulgato.quæ enim rara,& ardua sint,ea ex præmio pulchra, & iucunda hominibus uideri.Et tertius,si existant,q apud maiores nostros ob egregiam uirtutem tali honore dignati sunt,non'ne de sua gloria,cũ pari præmo tales homines affici uideant , delibari putent?& corũ enumeratio,et cũ eis,quos contra dicat,cõparatio.Eius autem,q præmuum petet,facti sui amplificatio,& corũ, q præmo affecti sunt,cum suis factis contentio.Deinde cæteros a uirtutis studio repulsumiri,si ipse præmio non sit affectus.Facultates autẽ considerantur,cũ aliquod pecuniariũ præmiũ postulatur.in quo utrum copia'ne sit agri,uectigalium,pecuniæ,an penuria considerat̃.Loci cõmunes.facultates augere,non minuere oportere, & impudentem esse,qui pro beneficio non gratiã,uerum mercedem postulet.contra autem de pecunia ratiocinari sordidum esse.cum de gratia referenda deliberetur,et se nõ pretiũ pro facto,sed honorẽ ita,ut facultatiũ

sit pro

sit pro beneficio postulare. Ac de cõstitutionibus quidẽ satis dictum est. Nũc de ijs cõtrouersijs, quæ in scripto uersantur, dicendũ uidetur.

IN SCRIPTO *uersatur controuersia, cũ ex scriptionis ratione aliqd dubij nascitur. Id fit ex ambiguo, ex scripto, et sententia, ex contrarijs legibus, ex ratiocinatione, ex definitione.* EX Ambiguo *autem nascitur controuersia, cum quid senserit scriptor, obscurum est, quod scriptum duas, plures'ue res significat, ad hunc modum. Paterfamilias, cum filium hæredem faceret, uasorum argenteorum centum pondo uxori suæ sic legauit. Hæres meus uxori meæ uasorum argenteorũ pondo centum, quæ uolet, dato. Post mortem eius uasa magnifica, & pretiose cælata petit à filio mater. ille se quæ ipse uellet, debere dicat. Primũ si fieri poterit, demonstrandũ est, non esse ambigue scriptum, propterea quod omnes in consuetudine sermonis sic uti solent eo uerbo uno, pluribus'ue in ea sententia, in qua is, qui dicet accipiendũ esse demonstrabit. Deinde ex superiore, & inferiore scriptura docendũ id, quod quæratur, fieri ꝑspicuũ. Quare si ipsa separatim ex se uerba consyderentur, omnia, aut pleraq; ambigua uisumiri. Quæ autẽ ex omni consyderata scriptura ꝑspicua fiant, hæc ambigua non oportere existimari. Deinde qua in sententia scriptor fuerit, ex cæteris eius scriptis, ex factis, ex dictis animo, atq; uita eius sumi oportebit, & eam ipsam scripturã, in qua inerit illud ambiguum, de quo quæritur, totam omnibus ex partibus pertentare, siquid aut ad id appositum sit, quod nos interpretemur, aut ei, quod aduersarius intelligat, aduersetur. Nã facile, quid uerisimile sit eum uoluisse, qui scripsit, ex omni scriptura, et ex persona scriptoris, atq; ijs rebus, quæ personis attributæ sunt, cõsyderabitur. Deinde erit demonstrandum, siquid ex ipsa re dabitur facultatis, id, quod aduersarius intelligat, multo minus commode fieri posse, quàm id, quod nos accipimus. quod illius rei neq; administratio, neq; exitus ullus extet. nos quod dicamus, facile & cõmode transigi posse, ut in hac lege. Nihil enim prohibet fictam legem exempli loco ponere, quo facilius res intelligatur. Meretrix coronam auream ne habeto. si habuerit, publica esto. contra eum, qui meretricẽ publicari dicat ex lege oportere, posset dici, neq; administrationem esse ullam publicæ meretricis, neq; exitum legis in meretricẽ publicanda, at in auro publicando & administrationem, & exitum facilem esse, & incommodi nihil inesse. Ac diligenter illud quoq; attendere oportebit, num illo probato, quod aduersarius intelligat, utilior res, aut honestior, aut magis necessaria, à scriptore neglecta ui-*

deatur. Id fiet, si id, quod nos demonstrabimus, honestum, aut utile, aut necessarium demonstrabimus, & si id, quod ab aduersarijs dicetur, minime eiusmodi dicemus esse. Deinde si in lege erit ex ambiguo controuersia, dare operam oportebit, ut de eo, quod aduersarius intelligat, alia in lege cautum esse doceatur. Permultum autem proficiet illud demonstrare quemadmodum scripsisset, si id, quod aduersarius accipiat, fieri, aut intelligi uoluisset. ut in hac causa, in qua de uasis argenteis quæritur, possit mulier dicere, nihil attinuisse adscribi, quæ uolet, si hæredis uolũtati permutteret. eo enim non adscripto nihil inesse dubitationis, quin hæres, quæ ipse uellet, daret. Amentiæ igitur fuisse, cum hæredi uellet cauere, id adscribere, quo non adscripto nihilominus hæredi caueretur. Quare hoc genere magnopere talibus in causis uti oportebit. si hoc modo scripsisset, isto uerbo usus non esset, non isto loco uerbũ istud collocasset. Nam ex his sententia scriptoris maxime ꝑspicitur. Deinde quo tempore scriptum sit, quærendum est, ut, quod eum uoluisse in eiusmodi tempore ueri simile sit, intelligatur. Post ex deliberationis partibus, quid utilius, & qd honestius, & illi ad scribendũ, & his adcõprobandum sit demonstrandum, & ex his siquid amplificationis dabitur, communibus utrũq; locis uti oportebit. EX Scripto, & sententia controuersia consistit, cum alter uerbis ipsis, quæ scripta sunt, utitur, alter ad id, quod scriptorem sensisse dicet, omnem adiungit dictionem. Scriptoris autẽ sententia ab eo, qui sententia se defendet, tum semper ad idem spectare, et idẽ uelle demonstrabitur, tũ aut ex facto, aut ex euentu aliquo ad tẽpus id, quod instituit, accommodabitur. Semper ad idẽ spectare, hoc modo. Paterfamilias, cum liberorum nihil haberet, uxorẽ autem haberet, in testamento ita scripsit. Si mihi filius genitus fuerit unus, plures ue, is mihi hæres esto. Deinde, quæ assolent. Postea, si filius ante moritur, quàm in tutelam suam uenerit, tu mihi dicebat secundus hæres esto. Filius non est natus, ambigunt agnati cum eo, qui est secũdus hæres, si filius ante, quàm in tutelam suam ueniat, mortuus sit. In hoc genere non potest hoc dici ad tempus, aut ad euentum aliquẽ sententiam scriptoris oportere accommodari, propterea quod ea sola demonstratur, qua fretus ille, qui contra scriptum dicet, suam, esse hæreditatem defendit. Alterum autem genus est eorum, qui sententiam inducunt, in quo non simplex uoluntas scriptoris ostenditur, quæ in omne tempus, & in omne factum idem ualeat, sed ex quodam facto, aut euentu ad tempus interpretanda dicatur. Ea partibus iuridicalis assumptiuæ maxime sustinetur. Nam tum indu-

citur cõparatio, ut in eo, qui, cum lex aperiri portas noctu uetaret, aperuit quodam in bello, & auxilia quædam in oppidum recepit, ne ab hostibus opprimerentur, si foris essent, quod prope muros castra hostes haberent. Tum relatio criminis, ut in eo, qui, cum communis lex omnium hominem occidere uetaret, tribunum militum suũ, qui uim sibi inferre conabatur, occidit. Tum remotio criminis, ut in eo, qui cum lex quibus diebus in legationem proficiscæretur, præstituerat, qa sumptum non dedit quæstor, profectus non est. Tum concessio p purgationem, & per imprudentiam, ut in uituli immolatione. & p uim, ut in naui rostrata. & p casum, ut in Eurotæ fluminis magnitudine. qua re aut ita sententia inducetur, ut unũ quoddã uoluisse scriptor demonstretur. aut sic, ut in eiusmodi re, & tempore hoc uoluisse doceatur. Ergo is, q scriptum defendet, his locis plerũq; omnibus, maiore autẽ parte semper poterit uti. Primum scriptoris collaudatione, & loco communi, nihil eos, qui iudicent, nisi id, quod scriptum sit, spectare oportere, & hoc eo magis, si legitimum scriptũ proferetur, id est aut lex ipsa, aut ex lege aliquid. Postea, quod uehementissimum est, facti, aut intentionis aduersariorũ cum ipso scripto contentione, quid scriptum sit, quid factum, quid iuratus iudex, quẽ locum multis modis uariare oportebit, tum ipsum secum admurantem quidnam contra dici possit, tum ad iudicis officiũ reuertentem, & ab eo quærentem, quid præterea audire, aut expectare debeat. tum ipsum aduersarium, quasi intentantis loco producendo, hoc interrogando, utrum scriptum neget esse eo modo, an ab se contra factũ esse, aut contra contendi neget. utrum negare ausus sit, se dicere desiturũ. Si neutrum neget, & contra tamen dicat nihil esse, quo hominẽ impudentiorem quisquam se uisurum arbitretur. In hoc ita commorari conueniet, quasi præterea nihil dicendum sit, & quasi contra dici nihil possit, sæpe id, quod scriptum est, recitando, sæpe cum scripto factum aduersarij confligendo, atque interdum acriter ad iudicem ipsum reuertendo. Quo in loco iudici demonstrandum est, quid iuratus sit, quid sequi debeat, duabus de causis iudicem dubitare oportere, si aut scriptum sit obscure, aut neget aliquid aduersarius.

Cum & scriptum sit aperte, & aduersarius omnia confiteatur, tum iudicem legi parere, non interpretari legem oportere. Hoc loco confirmato, tum diluere ea, quæ contra dici poterant oportebit. Contra autem dicetur, si aut prorsus aliud sensisse scriptor, & scripsisse aliud demonstrabitur, ut in illa de testamento, quam posuimus controuersia, aut causa assumptiua inferretur, quamobrem scripto

non potuerit, aut non oportuerit obtẽperari. Si aliud sensisse scriptor, aliud scripsisse dicetur is, qui scripto utetur, hoc dicet, nõ oportere de eius uolũtate nos argumentari, qui ne id facere possemus, iudicũ nobis reliquerit suæ uolũtatis. multa incõmoda consequi, si instituatur, ut a' scripto recedatur. Nam & eos, qui aliquid scribant, nõ existimaturos id, quod scripserint, ratum futurum. & eos, qui iudicẽt, certum quid sequantur, nihil habituros, si semel à scripto recedere consueuerint. Quod si uoluntas scriptoris conseruanda sit, se nõ aduersarios a' uoluntate eius stare. Nam multo propius accedere ad scriptoris uolũtatem eum, qui ex ipsius eam literis interpretetur, quàm illum, qui sententiã scriptoris non ex ipsius scripto spectet, quod ille suæ uolũtatis, quasi imaginem reliquerit, sed domesticis suspicionibus perscrutetur. Sin causam afferet is, qui a' sententia stabit, primũ erit contradicendũ, quam absurdum non negare contra legem fecisse, sed quare fecerit, causam aliquã inuenire. Deinde conuersa omnia esse. ante solitos esse accusatores iudicibus persuadere affinem esse alicuius culpæ eum, q accusaretur, causam proferre, quæ eum ad peccandum impulisset, nunc ipsum reum causam afferre, quare deliquerit. Deinde hanc inducere partitionem, cuius in singulas partes multæ conuenient argumentationes. Primum nulla in lege ullã causam contra scriptum accipi conuenire. deinde si in cæteris legibus conueniat, hanc esse huiusmodi legem, ut in ea non oporteat. Postremo si in hac quoq; lege oporteat, hãc qdem causam accipi minime oportere. Prima pars his fere' locis confirmabitur, scriptori neq; ingeniũ, neq; operam, neq; ullam facultatem defuisse, quo minus posset aperte pscribere id, quod cogitaret. Nec fuisse ei graue, nec difficile, eã causam excipere, quam aduersarij proferant, si quicquã excipiendũ putasset. cõsueuisse eos, q legem scribant, exceptionibus uti. Deinde oportet recitare leges cũ exceptionibus scriptas, & maxime uidere, siqua in ea ipsa lege, qua de agitur, sit exceptio aliquo in capite, aut apud eundem legis scriptorem, quo magis eum probetur fuisse excepturũ, siquid excipiendũ putaret. & ostendere causam accipere, nihil aliud esse, nisi legem tollere, ideo quod cum semel causa consyderetur, nihil attineat eam ex lege consyderare, quippe quæ in lege scripta non sit. Quod si sit institutum, omnibus causam dari, & potestatem peccandi, cum intellexerint uos ex ingenio eius, qui contra legem fecerit, non ex lege, in qua iurati sitis, rem iudicare. deinde & ipsis iudicibus iudicandi, et cæteris ciuibus uiuẽdi rationes pturbatum iri, si semel a' legibus recessum sit. Nã et iudices neq; qd sequãtur habituros,

si ab eo, quod scriptum sit, recedant, neque quo pacto alios improbare possint, quod contra legem iudicarint, & cæteros caues, quid agant, ignoraturos, si ex suo quisque consilio, & ex ea ratione, quæ in mentem, aut in libidinem uenerit, non ex communi præscripto ciuitatis unanquanq; rem administrabit. Postea quærere à iudicibus ipsis, quare in alienis deteneantur negotijs. cur reip. munere impediantur, cum sæpius suis rebus, & commodis seruire possint, cur in certa uerba iurent. cur certo tempore conueniant, certo discedant. nihil quisquam afferat causæ, quo minus frequenter operam reip. det, nisi quæ causa ex lege excepta sit, an se legibus obstrictos in tãtis molestijs esse æquum censeant, aduersarios nostros leges negligere concedant. Deinde item quærere ab iudicibus, si eius rei causam, propter quam se reus contra legem fecisse dicat, exceptionem ipse in lege adscribat, passuri'ne sint. Postea hoc, quod faciat, indignius, & impudentius esse, quàm si adscribat. Age porrò, quid si ipsi uelint iudices adscribere, passurus'ne sit populus? atque hoc esse indignius, quam rem uerbo, & literis mutare non possint, eam re ipsa, & iudicio maxime commutare. Deinde indignum esse, de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, cum populo cognoscendi, & probandi, aut improbandi potestas nulla fiat, hoc ipsis iudicibus inuidiosissimum futurum. Non hunc locum esse, neque hoc tempus legum corrigendarum. apud populum hoc, & per populum agi conuenire. quod si nunc id agant, uelle se scire, q lator sit, qui sint accepturi, se actiones uidere, & dissuadere uelle. Quod si hæc cum summe inutilia, tum multo turpissima sint, legem cuiuscemodi sit in præsentia conseruari à iudicibus, post si displiceat à populo corrigi conuenire. Deinde, si scriptum non extaret, magno pere quæreremus, neq; isti, nisi extra periculum quidem esset, crederemus. Nunc cum scriptum sit, amentiã esse eius, qui peccarit potius, quam legis ipsius uerba cognoscere. His, & huiusmodi rationibus ostenditur, causam extra scriptum accipi non oportere. Secunda pars est, in qua est ostendendum, si in cæteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonstrabitur, si lex aut adres maximas, utilissimas, honestissimas, religiosissimas uidebitur pertinere. aut inutile, aut turpe, aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare. aut ita lex diligenter perscripta demonstrabitur, ita cautũ unaquaq; de re, & ita quod oportuerit exceptum, ut minime conueniat quicquã in tam diligenti scriptura præteritum arbitrari. Tertius locus est ei, qui pro scripto dicet maxime necessarius, per quẽ ostendat oportet, si

conueniat causam contra scriptum accipi, eam tamen minime oportere, quæ ab aduersarijs afferatur, qui locus icirco est huic necessarius, quod semper is, qui contra scriptum dicat, æquitatis aliquid afferat, oportet. Nam summa impudentia est, eum, qui contra quod scriptum sit, aliquid probare uelit, non æquitatis præsidio id facere conari. Siquidem igitur ex hac ipsa quippiam accusator derogæt, omnibus partibus iustius, et probabilius accusare uideatur. Nam superior oratio hoc omnis faciebat, uti iudices etiam si nollent, necesse esset, hæc autẽ etiam si necesse non esset, ut uellent, contra iudicare. Id autem fiet, si quibus ex locis culpa demonstrabitur, non esse in eo, qui comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut concessionis partibus se defendit, de quibus ante, ut potuimus, diligenter perscripsimus, de his locis, quæ res postulabit, ad causam aduersariorũ improbandã trãsferemus, aut causæ, & rationes afferrentur, quare, et quo consilio ita sit in lege, aut in testamento scriptum, ut sententia quoq; & uoluntate scriptoris, non ipsa solum scripturæ causa confirmatum esse uideatur, aut alijs quoq; constitutionibus factum coarguetur. Contra scriptum autem qui dicet, primùm eum inducet locum, per quẽ æquitas causæ demonstretur, aut ostendet, quo aio, quo consilio, qua de causa fecerit, et quancunq; causam assumet, assumptionis partibus se defendet, de quibus ante dictum est. Atq; hoc in loco cum diutius commoratus sui facti rationem, et æquitatem causæ exornauerit, tum ex his locis fere contra aduersarios dicet, oportere causas accipi demõstrabit, nullam esse legem, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri uelit. omnia supplicia, quæ à legibus proficiscantur, culpæ, ac malitiæ uindicandæ causa constituta esse. Scriptorem ipsum si existat factum hoc probaturum, et idem ipsum, si ei tales res accidissent, facturũ fuisse, & ea re legis scriptorem certo ex ordine iudices, certa ætate prædi-tos constituisse, ut essent, non qui scriptum suum recitarent, qđ quiuis puer facere posset, sed qui cogitationem assequi possent, & uoluntatem interpretari. Deinde illum scriptorem, si scripta sua stultis hominibus, & barbaris iudicibus committeret, omnia summa diligentia perscripturum fuisse, nunc uero quod intelligeret quales uiri iudicaturi essent, icirco eum quæ perspicua uideret, non adscripsisse, neque enim uos scripti sui recitatores, sed uoluntatis interpretes fore putauit. Postea quærere ab aduersarijs, qd si hoc fecissem? qd si hoc accidisset? eorum aliquid, in quibus aut causa sit honestissima, aut necessitudo certissima, tum'ne accusaretis? Atqui hoc lex nusquam excepit. Non ergo omnia scriptis, sed quædam, quæ perspicua sunt, tacitis ex

ceptionibus cauieri. Deinde nullã rẽ neq; legibus, neq; scriptura ulla, denicq; ne in sermone qdem quotidiano, atq; imperijs domesticis recte posse administrari, si unusquisq; uelit uerba spectare, et non ad uolũtatem eius, qui uerba habuerit, accedere. Deinde ex utilitatis, & honestatis partibus ostendere, quàm inutile, aut quàm turpe sit id, quod aduersarij dicant fieri oportuisse, aut oportere, et id, qđ fecerimus, aut postulemus, quã utile, aut quàm honestum sit. Deinde leges nobis ctras esse non propter literas, quæ tenues, & obscuræ notæ sint uolũtatis, sed propter earũ rerum, quibus descriptum est utilitatem, & eorũ, qui scripserunt, sapientiã, et diligentiã. Postea qd sit lex describere, ut ea uideatur in sententijs, non in uerbis consistere, & iudex is uideatur legi obtemperare, q sententiam eius, non qui scripturam sequatur. Deinde quã indignum sit eodem affica supplicio eum, q propter aliquod scelus, & audaciam contra legem fecerit, et eum, q honesta, aut necessaria de causa non ab sententia, sed ab literis legis recesserit. atq; his, et huiusmodi rationibus et accipi causam, et in hac lege accipi, et eã causam, quã ipse afferat, oportere accipi demonstrabit. Et quẽadmodũ ei dicebamus, q à scripto diceret, hoc fore utilissimũ, siquid de æqtate ea, quæ cum aduersario staret, derogasset, sic huic, q contra scriptum dicet, plurimũ proderit ex ipsa scriptura aliqd ad suã causam conuertere, aut ambigue aliquid scriptum ostendere. Deinde ex illo ambiguo eã ptem, quæ sibi prosit, defendere, aut uerbi definitionẽ inducere, et illius uerbi uim, quo urgeri uideatur, ad suæ causæ cõmodũ traducere, aut ex scripto, nõ scriptũ aliquod inducere per ratiocinationẽ, de qua post dicemus, quacũq; autem in re, q̃uis leuiter probabili scripto ipso se defenderit, etiã cum æquitate causa abũdabit, necessario multum proficiet, ideo quod si id, quo nititur, aduersariorum causa subduxerit omnem illam eius uim, & acrimoniam lenierit, ac diluerit. Loci autem communes certis ex assumptionis partibus in utranq; partem conuenient. Præterea eius, qui à scripto dicet, leges ex se, non ex eius, qui contra commiserit, utilitate spectari oportere, et legibus antiquius haberi nihil oportere. contra scriptum. leges in consilio scriptoris, et utilitate communi, non in uerbis consistere. Quã indignum sit æquitatem literis urgeri, quæ uoluntate eius, qui scripserit, defendatur. EX Contrarijs autem legibus controuersia nascitur, cũ inter se duæ uidentur leges, aut plures discrepare, hoc modo. Lex. Qui tyrannum occiderit olympionicarũ præmium capito, et quam uolet sibi rem à magistratu deposcito, & magistratus ei concedito. Et altera lex. Tyranno occiso quinq; eius pro-

ximos cognatione magistratus necato. Alexandrum, qui apud Phæ-reos in Thessalia tyrannidem occuparat, uxor sua, cui Thebe nomen fuit, noctu, cum simul cubaret, occidit. Hæc filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi præmij loco deposcit. Sunt qui ex lege puerũ occidi dicant oportere. Res in iudicio est. In hoc genere utrãq; in partem ijdem loci, atq; eadem præcepta conuenient, ideo quod uterq; suã legem confirmare, contrariam infirmare debebit. Primum igitur leges oportet contendere, considerando utra lex ad maiores, hoc ẽ ad utiliores, ad honestiores, ac magis necessarias res pertineat. Ex quo cõficiatur, ut si leges duæ, aut si plures, aut quotquot erunt cõseruari nõ possint, quia discrepent inter se, ea maxime conseruãda putetur, quæ ad maximas res pertinere uideatur. Deinde utra lex posterius lata sit. nã postrema quæq; grauissima est. Deinde utra lex iubeat aliqd. utra permittat. nam id, quod imperatur, necessariũ, illud, quod permittitur, uoluntarium est. Deinde in utra lege, si non obtemperatum sit, pœna afficiatur, aut in utra maior pœna statuatur. Nam maxime conseruanda est ea, quæ diligentissima, & sancta est. Deide utra lex iubeat, utra uetet. nam sæpe ea, quæ uetat, quasi exceptione quadam corrigere uidetur illam, quæ iubet. Deinde utra lex de genere omni, utra de parte quadam, utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem scripta uideatur. nam quæ in partem aliquam, & quæ in certam quandam rem scripta est, promptius ad causam accedere uidetur, & ad iudicium magis pertinere. Deinde ex lege utrum statim fieri necesse sit, uirum habeat aliquam moram, et sustentationem. nam id, quod statim faciendum sit, perfici prius oportet. Deide operam dare, ut sua lex ipso scripto uideatur niti. Contraria autem, aut per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionẽ induci, quo sanctius, et firmus id uideatur esse, quod apertius descriptum sit. deinde suæ legis ad scriptum, ipsam sententiam quoq; adiungere, contrariam legem item ad aliam sententiam traducere, ut si fieri poterit, ne discrepare quidem uideantur inter se. Postremo facere, si causa dabit facultatem ut nostra ratione utraq; lex conseruari uideatur, et aduersariorum ratione, altera sit necessario negligenda. Locos autem communes, et quos ipsa causa det, uidere oportebit, & ex utilitatis, et honestatis amplissimis partibus sumere, demonstrantem per amplificationem ad utram potius legem accedere oporteat.

EX Ratiocinatione nascitur controuersia, cum ex eo, quod uspiam est, ad id, qđ nusquam scriptum est, uenitur. Hoc pacto. LEX. Si furiosus est, agnatorum gentiliumq; in eo pecuniaq;, eius potestas esto.

Et. LEX.

Et LEX. *paterfamilias uti ſuper familia, pecuniáq; ſua legauerit, ita ius eſto.* Et LEX. *Si paterfamilias inteſtato moritur, familia, pecuniáq; eius agnatorũ, gentiliumq; eſto. Quidam iudicatus eſt parentem occidiſſe, & ſtatim, quod effugiendi poteſtas non fuit, ligneæ ſoleæ in pedes inductæ ſunt. Os autem obuolutum eſt folliculo, & præligatũ. deinde eſt in carcerem deductus, ut ibi eſſet tantiſper, dũ culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam eius familiares in carcerem tabulas afferunt, & teſtes adducunt. Hæredes, quos ipſe iubet, ſcribũt. tabulæ obſignantur. De illo poſt ſupplicũ ſumitur. Inter eos, qui hæredes in tabulis ſcripti ſunt, & inter agnatos de hæreditate controuerſia eſt.* Hic certa lex, *quæ teſtamenti faciendi ijs, qui in eo loco ſint, adimat poteſtatem, nulla profertur.* Ex *cæteris legibus, & quæ hunc ipſum ſupplicio huiuſmodi afficiunt, & quæ ad teſtamenti faciendi poteſtatem pertinent, per ratiocinationem ueniendum eſt ad eiuſmodi rationem, ut quæratur, habuerit'ne teſtamenti faciendi poteſtatem.* Locos *autẽ in hoc genere argumentandi hos, & huiuſmodi quoſdã eſſe arbitramur. Primum eius ſcripti, quod proferas laudationem, & confirmationem. Deinde eius rei, qua de quæratur, cũ eo, de quo conſtat collationem eiuſmodi, ut id, de quo quæritur, rei, de qua conſtet, ſimile eſſe uideatur. Poſtea admirationem pũctatione, qui fieri poſſit, ut qui hoc æquum eſſe concedat, illud neget, quod aut æquius, aut eodem ſit in genere? Deinde iaircò de hac re nihil eſſe ſcriptum, quod, cum de illa re eſſet ſcriptũ, de hac re is, q ſcribebat, neminem dubitaturum arbitratus ſit. Poſtea multis in legibus multa eſſe præterita, quæ iaircò præterita nemo arbitretur, quod ex cæteris, de qbus ſcriptum ſit, intelligi poſſint. Deinde æquitas rei demonſtrãda eſt, ut in iuridiciali abſoluta.* Contra *autem q dicet, ſimilitudinem infirmare debebit, quod faciet, ſi demonſtrabit illud, quod conferatur, ab eo, cui conferatur, diuerſum eſſe genere, natura, ui, magnitudine, tempore, locõ, pſona, opinione, ſiquo in numero illud, quod per ſimilitudinem afferretur, & quo in locõ illud, cuius cauſa afferretur, haberi conueniat, oſtendetur. Deinde qd res cum re differat, demonſtrabitur, ut nó idẽ uideatur, de utraq; exiſtimari oportere.* Ac *ſi ipſe quoq; poterit ratiocinationibus uti, ijſdem ratiocinationibus, de qbus ante dictum eſt, utetur, ſi non poterit, negabit oportere quicquam, niſi quod ſcriptũ ſit, conſyderare, periclitari omnia iura, ſi ſimilitudines accipiantur, nihil eſſe penè, quod non alteri ſimile eſſe uideatur, multis diſſimulibus rebus, in unanquanq; rẽ tantum ſingulas eſſe leges, omnia poſſe inter ſe*

uel ſimilia, uel diſſimilia demonſtrari. Loci communes à ratiocinatione. oportere coniectura ex eo, quod ſcriptum ſit, ad id, quod non ſit ſcriptum peruenire, & nemnem poſſe omnes res p ſcripturá amplecti, ſed eum commodiſſime ſcribere, qui curet, ut quædam ex quibuſdã intelligantur. Contra ratiocinationem huiuſcemodi coniecturam diuinationem eſſe, & ſtulti ſcriptoris eſſe non poſſe omnibus de rebus cauere, quibus uelit. DEFInitio eſt, cum in ſcripto uerbum aliquod eſt poſitum, cuius de ui quæritur, hoc modo. Lex. Qui in aduerſa tempeſtate nauim reliquerint, omnia amittunto, eorum nauis, et onera ſunto, qui in naui remanſerint. Duo quidam, cum iam in alto nauigarent, & eorum alterius nauis, alterius onus eſſet, naufragum quendam natantem, & manus ad ſe tendentem animaduerterunt, miſericordia commoti, nauim ad eum applicuerunt, hominem ad ſe ſuſtulerunt. Poſtea aliquanto, ipſos quoq; tempeſtas uehementius iactare cœpit uſqueadeo, ut dominus nauis, cũ idẽ gubernator eſſet, in ſcapham confugeret, & inde funiculo, qui à puppi religatus ſcapham annexam trahebat, nauim quo ad poſſet, moderaretur. Ille autem, cuius merces erant, in gladiũ in naui ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum accęſſit, & naui, quoad potuit, eſt opitulatus. Sedatis autem fluctibus, & tempeſtate iam commutata, nauis in portũ prouehitur. Ille autem, q in gladium incubuerat, leuiter ſaucius, facile eſt ex uulnere recreatus. Nauim cũ onere horum trium ſuam quiſq; eſſe dicat. Hic omnes ſcripto ad cauſam accedunt, & ex omnis ui naſcatur controuerſia. Nam & relinquere nauẽ, & remanere in naui, deniq; nauis ipſa quid ſit, definitionibus quæritur. ijſdem autem ex locis omnibus, q̃bus definitiua conſtitutio tractabitur. Nũc expoſitis ijs argumentationibus, quæ in iudiciale cauſarum genus accommodantur, deinceps in deliberatiuum genus, & demonſtratiuum argumentandi locos, & præcepta dabimus, nõ quo non in aliqua conſtitutione omnis ſemper cauſa uerſetur, ſed q̃a proprij tantum harum cauſarum q̃dam loci ſunt, non à conſtitutione ſeparati, ſed ad fines horũ generum accommodati. Nam placet in iudiciali genere finem eſſe æquitatẽ, hoc eſt partem quandã honeſtatis. In deliberatiuo autẽ Ariſtoteli placet utilitatem, nobis & honeſtatẽ, & utilitatem. In demonſtratiuo autẽ honeſtatẽ. Quare in quoq; genere cauſæ, quædã argumentationes cõmuniter, ac ſimiliter tractabuntur, quædã ſeparatius ad finem, quo referri omnem rationem oportet, adiũgentur, atq; uniuſcuiuſq; conſtitutionis exemplũ ſuppone re non grauaremur, niſi illud uideremus, quẽadmodũ res obſcuræ,

dicendo

dicendo fierent apertiores, sic res apertas obscuriores fieri oratione. Nunc ad deliberationis præcepta pergamus.

TERVM expetendarum tria genera sunt. Par autem numerus uitandarum ex contraria parte. Nam est quiddam, quod sua ui nos alliciat ad sese non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate, quod genus, uirtus, scientia, ueritas est. Aliud autem non propter suam uim, & naturam, sed propter fructum, atq; utilitatem, quod pecunia est. Est porro quiddã ex horum partibus iunctum, quod & sua ui, & dignitate nos inductos ducit, & præ se gerit quandam utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona existimatio. Atq; ex his horum contraria facile tacentibus nobis intelligentur. Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quæ proposuimus, breui nominabuntur. Nam in primo genere quæ sunt, honesta appellabuntur. Quæ autẽ in secundo, utilia. hæc autem tertia, quia partem honestatis, & utilitatis continent, et quia maior est uis honestatis, iunctæ, res omnino ex duplici genere intelligentur, sed in meliorem partem uocabuli conferantur, & honesta nominentur. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerũ partes sint honestas, & utilitas, uitãdarũ turpitudo, et inutilitas. His igitur duabus rebus duæ res grandes sunt attributæ, necessitudo, & affectio, quarũ altera ex ui, altera ex re, & psonis consyderatur. De utraq; post apertius perscribemus. Nunc honestatis rationes primum explicemus.

Quod autem totum, aut aliqua ex parte propter se petitur, honestum nominabimus. Quare, cum eius duæ partes sint, quarũ altera simplex, altera iuncta sit, simplicem prius consyderemus. Est igitur in eo genere omnes res una ui, atq; uno nomine amplexa uirtus. Nam uirtus est animi habitus naturæ modo rationi consentaneus. Quamobrem omnibus eius partibus cognitis, tota uis erit simplicis honestatis consyderata. Habet igitur parteis quatuor, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & utrarunq; scientia. Partes eius, memoria, intelligentia, prouidentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia est, per quam ea perspicit, quæ sunt. Prouidentia est, per quam futurum aliquid uidetur ante, quàm factum sit. Iustitia est habitus animi communi utilitate conseruata, suam cuiq; tribuens dignitatem. Eius initium est ab natura profectum. Deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione uenerunt. Postea res & ab natura profectas, & ab consuetudine probatas legum metus, & religio sanxit. Natura ius est, quod non opinio genuit,

ſed quædam innata uis inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiã, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem. Religio eſt, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam uocant, curã, cærimoniamq; affert. Pietas, per quam ſanguine coniunctis, patriæq; beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi uolũtas continetur. Vindicatio eſt, per quam uis, & iniuria, & omnino omne, quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur. Obſeruantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignantur. Veritas eſt, per quam immutata ea, quæ ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur. Conſuetudine ius eſt, quod aut leuiter à natura tractum aluit, & maius fecit uſus, ut religionem, aut ſiquid eorum, quæ ante diximus, ab natura profectum maius factum propter conſuetudinem uidemus, aut quod in morem uetuſtas uulgi approbatione perduxit, quod genus, pactũ, par, iudicatum. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit. Par, quod inter omnes æquabile eſt. Iudicatum, de quo alicuius, aut aliquorum iam ſententijs conſtitutum eſt. Lege ius eſt, quod in eo ſcripto, quod populo expoſitum eſt, ut obſeruet, cõtinetur. Fortitudo eſt conſyderata periculorum ſuſceptio, et laborum perpeſſio. Eius partes magnificentia, fidẽtia, patientia, perſeuerantia. Magnificentia eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam, et ſplendida propoſitione agitatio, atq; adminiſtratio. Fidentia eſt, per quam magnis, et honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cũſpe collocauit. Patientia eſt honeſtatis, aut utilitatis cauſa rerum arduarum, ac difficiliũ uoluntaria, ac diuturna perpeſſio. Perſeuerantia eſt in ratione bene conſyderata, ſtabilis, & ppetua permanſio. Temperãtia eſt rationis in libidinem, atq; in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio. Eius partes ſunt, continentia, clementia, modeſtia. Continentia eſt, per quam cupiditas conſilij gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temere in odium alicuius iniectionis concitati commutare retinentur. Modeſtia, per quam pudor honeſtus claram, & ſtabilem comparat authoritatem. Atq; hæc omnia propter ſe ſolũ, ut nihil adiũgatur emolumenti, petenda ſunt. Quod ut demonſtretur, neq; ad hoc noſtrum inſtitutum pertinet, & à breuitate præcipiendi remotum eſt. Propter ſe autẽ uitanda ſunt, non ea modo, quæ his contraria ſunt, ut fortitudini ignauia, & iuſtitiæ iniuſtitia, uerum etiam illa, quæ propinqua uidentur, & finitima eſſe, abſunt autem longiſſime, quod genus, fidentiæ contrariũ eſt diffidentia,

diffidentia, & ea re uitium est. Audacia non contrarium, sed appo-
situm est, ac propinquum, & tamen uitium est. Sic unicuiq; uirtuti
finitimum uitiū reperietur, aut certo iam nomine appellatum, ut au-
dacia, quæ fidentiæ, pertinacia, quæ perseuerantiæ finitima est, su-
perstitio, quæ religioni propinqua est, aut sine ullo certo nomine, quæ
omnia item uti contraria rerum bonarum in rebus uitandis repo-
nemus. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter
se petitur, satis dictum est. Nunc de eo, in quo utilitas quoq; adiungi
tur, qđ tamen honestū uocamus, dicendū uidetur. Sunt igitur mul
ta, quæ nos cū dignitate, tum fructu quoq; suo ducunt ad se, quo in
genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequēs de
aliquo fama cum laude. Dignitas, alicuius honesta & cultu, & ho-
nore, et uerecundia digna authoritas. Amplitudo, potentiæ, aut ma
iestatis, aut aliquarum copiarū magna abundantia. Amicitia, uolū
tas erga aliquem rerū bonarum illius ipsius causa, quem diligit, cū
eius pari uoluntate. Hic, quia de ciuilibus causis loquimur, fructus
ad amicitiam adiungimus, ut eorū quoq; causa petenda uideatur, ne
forte, qui nos de omni amicitia dicere existimant, reprehendere inci
piant, quanquam sunt qui propter utilitatem modo petendā putant
amicitiam, sunt qui propter se solum, sunt qui propter se, & utilita-
tem, quorū quid uerissime constituatur, alius locus erit considerandus.
Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utranq; propter rem
amicitiam esse expetendā. Amicitiarum autem ratio, quoniā partim
sunt religionibus iunctæ, partim nō sunt, et qa partim ueteres sunt,
partim nouæ, partim ab illorum, partim ab nostro beneficio profe-
ctæ, partim utiliores, partim minus utiles, ex causarum dignitatibus,
ex temporum opportunitatibus, ex officijs, ex religionibus, ex uetusta
tibus habebitur. Vtilitas autē aut in corpore posita est, aut in extra-
neis rebus, quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis
cōmodum reuertitur, ut in rep. quædam sunt, quæ (ut sic dicam) ad
corpus pertinent ciuitatis, ut agri, portus, pecunia, classes, nautæ, mili
tes, socij, quibus rebus incolumitatem, ac libertatem retinent ciuitates.
Alia uero, quæ iam quiddam magis amplum, & munus necessariū
conficiunt, ut urbis egregia exornatio, atq; amplitudo, ut quædā ex-
cellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum, ac societatum multitudo.
Quibus rebus non illud solum conficitur, ut saluæ, & incolumes, ue
rum etiā ut amplæ, atq; potentes sint ciuitates. Quare utilitatis duæ
partes uidentur esse, incolumitas, & potentia. Incolumitas est salutis
tuta, atq; integra conseruatio. Potentia est ad sua conseruanda, &

alterius obtinenda idonearum rerum facultas. Atq; in ijs omnibus, quæ ante dicta sunt, quid difficulter fieri, & quid facile fieri possit, oportet consyderare. Facile fieri id dicamus, quod sine magno, aut sine ullo labore, sumptu, molestia quam breuissimo tempore confici potest. Difficile autem fieri, quod quanquam laboris, sumptus, molestiæ, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas causas habet difficultatis, tamen his susceptis difficultatibus, compleri, atque ad exitum perduci potest. Quoniam ergo de honestate, & de utilitate diximus, nunc restat, ut de ijs rebus, quas his attributas esse dicebamus, necessitudine, & affectione perscribamus. Puto igitur esse hanc necessitudinem, cui nulla ui resisti potest, quæ neque mutari, neque leniri potest. Atque ut apertius hoc sit, exemplis licet uim rei qualis, & quanta sit, cognoscamus. Vri posse flamma ligneam materiam necesse est. Corpus mortale aliquo tempore interire necesse est, atque ita necesse, ut uis ea postulat, quam modo describebamus, necessitudinis, cui nulla ui resisti potest, quæ neq; mutari, neq; leniri potest. huiusmodi necessitudines cum in dicendi ratione incident, recte necessitudines appellabuntur. Sin aliquæ res incident difficiles, in illa superiori possit'ne fieri quæstione consyderabimus. Atque etiam hoc mihi uideor uidere, esse quasdã cum adiunctione necessitudines, quasdam simplices, & absolutas. Nam aliter dicere solemus. necesse est Cassilinenses se dedere Annibali. Aliter autem. necesse est Cassilinum uenire in Annibalis potestatem. Illic in superiore adiunctio est hæc, nisi malint fame perire. Si enim id malunt, non est necesse, hoc inferius non item, propterea quod siue uelint Cassilinenses se dedere, siue famem perpeti, atq; ita perire, necesse est Cassilinum uenire in Annibalis potestatem. Quid igitur perficere potest hæc necessitudinis distributio? propè dicã, plurimum, cum is locus necessitudinis uidebitur incurrere. Nam, cum simplex erit necessitudo, nihil erit, quod multa dicamus, cum eã nulla ratione lenire possimus, cum autem ita necesse erit, ut aliquid effugere, aut adipisci uelimus, tum adiũctio illa quid habeat utilitatis, atq; honestatis, erit considerandum. Nam, si uelis attendere, ita tamen, ut id quæras, quod conueniat ad usum ciuitatis, reperias nullam esse rẽ, quam facere necesse sit, nisi propter aliquam causam, quam adiunctionem nominamus. Præter hæc autẽ esse multas inuenias res necessitudinis, ad quas simulis adiunctio non accedit. Quod genus, ut homines mortales necesse est interire sine adiũctione, ut cibo utantur nõ necesse est, nisi cum illa exceptione, extra quam, si nolint fame perire. Ergo

ut dixi, illud, quod adiungitur, semper cuiusmodi sit, erit cõsyderã dum. Nam omni tempore id pertinebit, ut aut ad honestatem hoc modo exponenda necessitudo sit, necesse est hoc faciamus, si honeste uolumus uiuere, aut ad incolumitatem, hoc modo, necesse est, si incolumes uolumus esse, aut ad commoditatem, hoc modo, necesse est, si sine incommodo uolumus uiuere. ac summa q̃dẽ necessitudo uidetur esse honestatis, huic proxima incolumitatis, tertia ac leuissima commoditatis, quæ cum his nunquam poterit duabus contendere. Hasce autem inter se sæpe necesse est cõparari, ut quanquam præstat honestas incolumitati, tamen utri potissimum consulẽdum sit, deliberetur. Cuius rei certum quiddam præscriptum uidetur in perpetuum dari posse. Nã qua in re fieri poterit, ut cum incolumitati consuluerimus, quod sit in præsentia de honestate delibatum, uirtute aliquando, & industria recuperetur, incolumitatis ratio uidebitur habenda, cum autem id non poterit, honestatis. Ita in huiusmodi quoque re cum incolumitati uidebimur consulere, uere poterimus dicere, nos honestatis rationem habere, quoniam sine incolumitate eã nullo tempore possumus adipisci. Qua in re uel concedere alteri, uel ad conditionẽ alterius descendere, & in præsentia quiescere, atque aliud tempus expectare oportebit. In commoditatis uero ratione modo illud attendatur digna' ne causa uideatur ea, quæ ad utilitatẽ pertinebit, quare aut de magnificentia, aut de honestate quiddam derogetur. Atq; in hoc loco mihi caput illud uidetur esse, ut quæramus quid sit illud, quod si adipisci, aut effugere uelimus, aliqua res nobis sit necessaria, hoc est, quæ sit adiunctio, ut proinde, uti quæq; res erit, laboremus, & grauissimã quanq; causam uehementissime necessariam iudicemus. AFFEctio est quædam ex tempore, aut ex negotiorum euentu, aut administratione, aut studio hominum commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitæ sint, aut plerunque haberi soleant, habendæ uideantur esse, ut ad hostes transire turpe uidetur esse, at non illo animo, quo Vlysses transijt, & pecuniam in mare deijcere inutile, at non eo consilio, quo Aristippus fecit. Sunt igitur res quædam ex tempore, & ex consilio, non ex sua natura cõsyderandæ, quibus in omnibus quid tempora petant, aut quid personis dignum sit, consyderandum est, & non quid, sed quo quidq; animo, qui cum, quo tempore, quandiu fiat, attendendum est. His ex partibus ad sententiam dicendam, locos sumi oportere arbitramur.

Laudes autem, & uituperationes ex ijs locis sumentur, qui loci personis sunt attributi, de quibus ante dictum est. Sin distributius tractare quis uolet, partiatur in animum, & corpus, & extraneas res licebit. Animi est, uirtus, cuius de partibus paulo ante dictū est. Corporis, ualetudo, dignitas, uires, uelocitas. Extraneæ, honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, & cætera, quæ simili esse in genere intelligentur. Atq; in his id, qđ in omnia ualet, ualere oportebit, contraria quoq;, & quæ, & qualia sint, intelligemus. Videre autem in laudando, & in uituperando oportebit, non tam quæ in corpore, aut in extraneis rebus habuerit is, de quo agetur, quàm quo pacto his rebus usus sit. Nam fortunam quidem & laudare stultitia, & uituperare superbia est. Animi autem, & laus honesta, & uituperatio uehemens est. Nunc quoniam omne in causæ genus argumentandi ratio tradita est, de inuentione prima, ac maxima parte rhetoricæ satis dictum uidetur. Quare quoniam & una pars ad exitum hunc ab superiore libro perducta est, & hic liber non parum continet literarum, quæ restant in reliquis dicemus.

FINIS.

M. TVLLII CICERONIS AD QVINTVM FRATREM DIALOGI DE ORATORE.

COGITANTI mihi sæpenumero, & memoria uetera repetenti, perbeati fuisse Quinte frater illi uideri solent: qui in optima rep. cum & honoribus, & rerum gestarum gloria florerent: eum uitæ cursum tenere potuerunt: ut uel in negotio sine periculo, uel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit tempus illud, cum mihi quoq; initium requiescendi, atq; animum ad utriusq; nostrũ præclara studia referẽdi fore, iustum, et prope à omnibus cõcessum esse arbitrarer, si infinitus forensium rerum labor, & ambitionis occupatio decursu honorum etiam ætatis flexu cõstitisset. quam spem cogitationum, et cõsiliorum meorum, cum graues communium temporũ, tum uarij nostri casus fefellerunt. Nam, qui locus quietis, et tranquillitatis pleniſſimus fore uidebatur: in eo maximæ molestiarum, et turbulentissimæ tempestates extiterunt. neq; uero nobis cupientibus, atque optantibus fructus otij datus est, ad eas artes, quibus à pueris dediti fuimus: celebrandas, inter nosq; recolendas: et ætate incidimus in ipsam perturbationem disciplinæ ueteris: & consulatu deuenimus in medium rerum omnium certamen, atq; discrimen: & hoc tempus omne post consulatum obiecimus ijs fluctibus, qui per nos à cõmuni peste depulsi, in nosmetipsos redundarunt. Sed tamen in his uel asperitatibus rerum, uel angustijs temporis obsequar studijs nostris: & quantum mihi uel fraus inimicorum, uel causæ amicorum, uel resp. tribuet otij, ad scribendum potissimum conferã. Tibi uero frater neq; hortanti decro, neq; rogan ti. nam neq; authoritate quisquam apud me plus te ualere potest, neq; uoluntate. Ac mihi repetenda est ueteris cuiusdam memoriæ nõ sane satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quæ uiri omnium eloquentissimi, clarissimiq; senserint de omni ratione dicendi. Vis enim, ut mihi sæpe dixisti, quoniã, quæ pueris, aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris incohata, atque rudia exciderunt, uix hac ætate digna, & hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot tantisq; consecuti sumus, aliquid ijsdem de rebus politius à nobis, perfectiusq; proferri: solesq; nonnunquã hac de re à me in disputationibus nostris dissentire, quod ego eruditissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuam, tu autem

illam ab elegantia doctrinæ segregandam putes, & in quodam ingenij, atq; exercitationis genere ponendam. Ac mihi quidem sæpenumero in summos homines, ac summis ingenijs præditos intuenti, quærendum esse uisum est, quid esset, cur plures in omnibus artibus quã in dicendo admirabiles extitissent, ac quocunque te animo, & cogitatione conuerteris, permultos excellẽtes in quoque genere uidebis, non mediocrium artium, sed propè maximarũ. Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum uel utilitate, uel magnitudine metiri uelit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac una ciuitate præstantissimos pene innumerabiles, in dicendo autem excellentes uix paucos proferre possimus? Iam uero cõsilio, ac sapientia qui regere, ac gubernare remp. possent, multi nostra, plures patrum memoria, atq; etiã maiorum extiterunt, cum boni perdiu nulli, uix autem singulis ætatibus singuli tolerabiles oratores inuenirentur. Ac nequis forte cũ alijs studijs, quæ reconditis in artibus, atq; in quadã uarietate literarum uersentur, magis hanc dicendi rationem, quam cũ imperatoris laude, aut cum boni senatoris prudentia comparandã putet, conuertat animum, et ea ipsa artiũ genera circunspiciat, quiq; in ijs florue rint, quamq; multi, sic facillime quanta oratorum sit, semperq; fuerit paucitas, iudicabit. Neq; enim te fugit laudandarũ artium omnium procreatricem quandam, et quasi parentem, eam, quam φιλοσοφίαν græci uocant, ab hominibus doctissimis iudicari, in qua difficile est enumerare, quot uiri, quanta scientia, quantaq; in suis studijs uarietate, et copia fuerint, qui non aliqua in re una separatim elaborarint, sed omnia, quæcunq; essent, uel scientiæ peruestigatione, uel disserendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ij, qui mathematica uocantur, quanta in obscuritate rerũ, et quã recondita in arte, et multiplici, subtiliq; uersentur? quo tamẽ in genere ita multi perfecti homines extiterunt, ut nemo fere studuisse ei scientiæ uehementius uideatur, quin, quod uoluerit, consecutus sit. Quis musicas? quis huic studio literarum, quod profitentur ij, qui grammatica uocantur, penitus se dedidit, quin omnẽ illarum artium pene infinitam uim, et materiam, scientia, et cognitione comprehenderit? Vere mihi hoc uideor esse dicturus, ex omnibus ijs, qui in harum artiũ studijs liberalissimis sint, doctrinisq; uersati, minimam copiam poetarum egregiorũ extitisse, atq; in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter, et ex nostrorum, & græcorum copia comparare uoles, multo tamen pauciores oratores, quã poetæ boni reperien-

tur, quod

tur, quod hoc etiam miraòilius debet uideri, quia cæterarum artiũ studia fere recõditis, atq; abditis è fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more, et sermone uersatur, ut in cæteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia, sensuq; disiunctum, in dicendo autem uitium uel maximum sit à uulgari genere orationis, atq; à consuetudine cõmunis sensus abhorrere. Ac ne illud quidem uere dici potest, aut plures cæteris artibus inseruire, aut maiore delectatione, aut spe uberiore, aut præmijs ad perdiscendũ amplioribus commoueri, atq;, ut omittam Græciam, quæ semper eloquentiæ princeps esse uoluit, atq; illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas, in quibus summa dicendi uis, & inuenta est, et perfecta, in hac ipsa ciuitate profecto nulla unquam uehementius, quàm eloquentiæ studia uiguerunt. Nam posteaquam imperio omnium gentium constituto diuturnitas pacis otiũ confirmauit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendũ putauit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam uiam, neque aliquod præceptum artis esse arbitrarentur, tantum quantum ingenio, & cogitatione poterant consequebantur. post autem auditis oratoribus græcis, cognitisq; eorũ literis, adhibitisq; doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagrauerunt. Excitabat eos magnitudo, & uarietas, multitudoq; in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quã suo quisq; studio consecutus esset, adiungeretur usus frequẽs, qui omniũ magistrorum præcepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quæ nũc quoq; sunt proposita præmia, uel ad gratiam, uel ad opes, uel ad dignitatem. ingenia uero (ut multis rebus possumus iudicare) nostrorũ hominum multum cæteris hominibus omnium gentiũ præstiterunt. Quibus de causis, quis non iure miretur, ex omni memoria ætatũ, temporum, ciuitatum, tam exiguum oratorum numerum inueniri? Sed nimirum maius est hoc quiddam, q̃ homines opinantur, et pluribus ex artibus, studijsq; collectum. Quis enim aliud in maxima discentiũ multitudine, summa magistrorum copia, præstantissimis hominum ingenijs, infinita causarũ uarietate, amplissimis eloquentiæ propositis præmijs esse causæ putet, nisi rei quãdam incredibilẽ magnitudinẽ, ac difficultatem? Est enim et scientia cõprehendẽda rerũ plurimarũ, sine qua uerborum uolubilitas inanis, atq; irridenda est, et ipsa oratio conformanda non solũ electione, sed etiam constructione uerborũ, et oẽs animorũ motus, quos hominũ generi rerũ natura tri-

buit penitus perno ſcendi, quod omnis uis, ratioq; dicendi in eorũ, qui audiunt, mentibus, aut ſedandis, aut excitandis exprimenda eſt. Accedat eodem oportet lepos quidam, facetiæq;, & eruditio libero digna, celeritasq;, & breuitas, et reſpondendi, et laceſcendi ſubtili uenuſtate, atq; urbanitate coniuncta. Tenẽda præterea eſt omnis antiquitas, exemplorumq; uis, neq; legum, aut iuris ciuilis ſcientia negligenda eſt. Nam quid ego de actione ipſa plura dicã? quæ motu corporis, quæ geſtu, quæ uultu, quæ uocis cõformatione, ac uarietate moderanda eſt, quæ ſola per ſe, ipſa quanta ſit, hiſtrionum leuis ars, et ſcena declarat. in qua cum omnes in oris, et uocis, et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quàm pauca ſint, fuerintq;, quos animo æquo ſpectare poſſimus? quid dicam de theſauro rerum omnium memoria? quæ niſi cuſtos inuentis, cogitatisq; rebus, et uerbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam ſi præclariſſima fuerint, in oratore peritura. Quamobrem mirari deſinamus, quæ cauſa ſit eloquentium paucitatis, cum ex illis rebus uniuerſis eloquentia conſtet, quibus in ſingulis elaborare permagnũ eſt, hortemurq; potius liberos noſtros, cæteroſq;, quorum gloria nobis, et dignitas cara eſt, ut animo rei magnitudinem complectantur, neq; ijs, aut præceptis, aut magiſtris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, ſed alijs quibuſdã ſe id, quod expetunt, conſequi poſſe confidant. Ac mea quidem ſententia nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atq; artium ſcientiam conſecutus. etenim ex rerũ cognitione effloreſcat, et redundet oportet oratio, quæ, niſi ſubeſt res ab oratore percepta, et cognita, inanem quandam habet elocutionem, et pene puerilem. Neq; uero ego hoc tantum oneris imponã noſtris præſertim oratoribus in hac tanta occupatione urbis, ac uitæ, nihil ut ijs putem licere neſcire, quanquam uis oratoris, profeſſioq; ipſa benedicendi hoc ſuſcipere, ac polliceri uidetur, ut omni de re, quæcunque ſit propoſita, ab eo ornate, copioſeq; dicatur. Sed quia non dubito, quin hoc pleriſq; immenſum, infinitumq; uideatur, et quod græcos homines non ſolum ingenio, et doctrina, ſed etiam otio, ſtudioq; abundantes partitionem quandam artium feciſſe uideo, neq; in uniuerſo genere ſingulos elaboraſſe, ſed ſepoſuiſſe à cæteris dictionibus eam partẽ dicendi, quæ in forenſibus diſceptationibus iudiciorum, aut deliberationum uerſaretur, et id unum genus oratori reliquiſſe, non complectar in his libris amplius, quã quod huic generi, re quæſita, et multum diſputata, ſummorum hominum propè conſenſu eſt tributum, repetamq; nõ ab incunabulis noſtræ ueteris, puerilisq; doctrinæ quẽdam ordinem

dam ordinem præceptorum, sed ea, quæ quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum, et omni dignitate principum disputatione esse uersata, non quo illa contemnam, quæ græci dicendi artifices, et doctores reliquerunt, sed, cum illa pateant, in promptúq; sint omnibus, neq; ea interpretatione mea, aut ornatius explicari, aut planius exprimi possint, dabis hãc ueniã mi frater, ut opinor, ut eorum, quibus summa dicendi laus à nostris hominibus concessa est, authoritatem græcis anteponam.

VM igitur uehementius inueheretur in causam principum consul Philippus, Drusíq; tribunatus pro senatus authoritate susceptus, infringi iã, ac debilitari uideretur, dicã memini ludorum romanorum diebus L. Crassum quasi colligendi sui causa, se in Thusculanum contulisse, uenisse eodem socer eius, qui fuerat Q. Mucius, dicebatur, & M. Antonius homo & consiliorum in rep. socius, & summa cum Crasso familiaritate coniunctus. exierant autem cum ipso Crasso adolescentes, & Drusi maxime familiares, & in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suæ collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum pl. petebat, & P. Sulpitius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur. hi primo die de temporibus illis, déq; uniuersa rep. quam ob causam uenerant, multum inter se usq; ad extremum tempus diei collocuti sunt, quo quidem in sermone multa diuinitus à tribus illis consularibus Cotta deplorata, & commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto ante uidissent. eo autem omni sermone confecto, tantã in Crasso humanitatem fuisse, ut cum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis, eáq; esset in homine iucunditas, et tantus in iocando lepos, ut dies inter eos curiæ fuisse uideretur, conuiuiũ Thusculani. Postero autem die, cũ illi maiores natu satis quiessent, in ambulationem uentum esse dicebat, tum Scæuolam duobus spatijs, tribus'ue factis dixisse, cur non imitamur Crasse Socratem illum, qui est in Phædro Platonis? nam me hæc tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quàm illa, cuius umbram secutus est Socrates, quæ mihi uidetur non tam ipsa aquula, quæ describitur, quàm Platonis oratione creuisse, sed quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abjceret in herba, atq; ita illa, quæ philosophi diuinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est æquius. Tum Crassum, Immo uero commodius etiam, puluinos'q; poposcisse, & omnes in ijs sedibus, quæ eram

ſub platano, conſedisſe dicebat. Ibi, ut ex priſtino ſermone relaxarentur animi omnium, ſolebat Cotta narrare, Craſſum ſermonem quendam de ſtudio dicendi intuliſſe. qui, cum ita eſſet exorſus. Non ſibi cohortandum Sulpitium, & Cottam, ſed magis utrunq; collaudandum uideri, quod tantam iam eſſent facultatem adepti, ut non æqualibus ſuis ſolum anteponerentur, ſed cum maioribus natu compararentur. Neq; uero mihi quicquam inquit præſtabilius uidetur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, uoluntates impellere, quo uelit, unde autem uelit, deducere. hæc una res in omni libero populo, maximeq; in pacatis, tranquillisq; ciuitatibus præcipue ſemper floruit, ſemper dominata eſt. Quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, uel ſolus, uel cum paucis facere poſſit? aut tam iucundum cognitu, atq; auditu, quàm ſapientiſſimis ſentẽtijs, grauibusq; uerbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamq; magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, ſenatus grauitatem unius oratione conuerti? quid tam porro regũ, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſuppliabus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? quid autem tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus uel tectus ipſe eſſe poſſis, uel prouocare improbos, uel te ulciſci laceſſitus? Age uero ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamq; meditaris, quid eſſe poteſt in otio aut iucundius, aut magis propriũ humanitatis, quàm ſermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim uno præſtamus uel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus. Quamobrem quis hoc non iure miretur, ſummeq; in eo elaborandum eſſe arbitretur, ut quo uno homines maxime beſtijs præſtent, in hoc hominibus ipſis anteeллat? Vt uero iam ad illa ſumma ueniamus, quæ uis alia potuit aut diſperſos homines unum in locum congregare, aut a fera, agreſtiq; uita ad hunc humanum cultum, ciuilemq; deducere, aut iam conſtitutis ciuitatibus, leges, iudicia, iura deſcribere? Ac ne plura, quæ ſint pene innumerabilia, conſecter, cõprehendam breui. ſic enim ſtatuo, perfectum oratoris moderatione, & ſapientia non ſolum ipſius dignitatem, ſed & priuatorum plurimorum, & uniuerſæ reip. ſalutem maxime cõtineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adoleſcentes, atq; in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, ut & uobis honori, & amicis utilitati, & reip. emolumento eſſe poſſitis. Tum Scæuola comiter, ut ſolebat, Cætera inquit aſſentior Craſſo, ne aut de C. Lælij ſoceri mei, aut

de huius

de huius generi, aut arte, aut gloria detrahã, sed illa duo Crasse ue reor, ut tibi possim concedere. Vnum, quod ab oratoribus ciuitates, & ab initio constitutas, & sæpe conseruatas esse dixisti. Alterũ, quod remoto foro, concione, iudicijs, senatu statuisti oratorẽ in omni genere sermonis, & humanitatis esse perfectum. Quis enim tibi hoc cõcesserit, aut inutio genus hominum in montibus, ac syluis dissipatum non prudentium consilijs compulsum potius, quàm diserto rum oratione delinitum, se oppidis, mœnibusq; sepsisse? aut uero reliquas utilitates aut instituendis, aut conseruandis ciuitatibus, non à sapientibus, & fortibus uiris, sed à disertis, & ornate dicẽtibus esse constitutas? An uero tibi Romulus ille, aut pastores, & conuenas congregasse, aut Sabinorum connubia coniunxisse, aut finitimorum uim repressisse eloquentia uidetur, non consilio, & sapientia singulari? Quid in Numa Pompilio? qd in Seruio Tullo? quid in cæteris regibus? quorũ multa sunt eximia ad constituendam remp. num quod eloquentiæ uestigiũ apparet? Quid exactis regibus? tametsi ipsam exactionem mente non lingua perfectam L. Bruti esse cernimus, sed deinceps omnia, non'ne plena consiliorum, inania uerborum uidemus? Ego uero, si uelim & nostræ ciuitatis exemplis uti, & aliarum, plura proferre possim detrimenta publicas rebus, quàm adiumenta per homines eloquentissimos importata, sed ut reliqua prætermittam, omnium mihi uideor, exceptis Crasse uobis duobus, eloquentissimos audisse Tiberium, & C. Sempronios, quorum pater homo prudens, & grauis, haud quaquam eloquens, & sæpe aliâs, & maxime censor saluti reip. fuit. atq; is non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atq; uerbo libertinos in urbanas tribus transtulit, quod nisi fecisset, remp. quam nunc uix tenemus, iandiu nullam haberemus. At uero eius filij diserti, & omnibus uel naturæ, uel doctrinæ præsidijs ad dicendum parati, cum ciuitatem uel paterno consilio, uel auitis armis florentissimam accepissent, ista præclara gubernatrice, ut ais, ciuitatum eloquentia remp. dissipauerunt. Quid leges ueteres, mosq; maiorum? Quid auspicia, quibus & ego, & tu Crasse, cum magna reip. salute præsumus? quid religiones, & cærimoniæ? quid hæc iura ciuilia? quæ iampridem in nostra familia sine ulla eloquentiæ laude uersantur, num aut inuentæ sunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? Equidem & Seruium Galbam memoria teneo diuinum hominem in dicendo, & M. Aemilium Porcinam, & Gn. ipsum Carbonem, quem tu adolescentulus perpulisti, ignarum legum, hæ-

sitantem in maiorum institutis, rudem in iure ciuili, & hæc ætas nostra, præter te Crasse, qui tuo magis studio, quàm proprio munere aliquo diserto rum, ius à nobis ciuile didicisti, quod interdum pudeat, iuris ignara est. Quod uero in extrema oratione quasi tuo iure simpsisti, oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissime posse uersari, id nisi hic in tuo regno essemus, nõ tulissem, multisq; præessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu consertũ uocarent, quod in alienas possessiones tã temere irruisses. Agerẽt enim tecum lege primum Pythagorei omnes, atq; Democritia, cæteriq; in suo genere physica, uindicarentq; ornati homines in dicendo, & graues, quibus cum tibi iusto sacramento cõtendere non liceret. Vrgerent præterea philosophorum greges, iam ab illo fonte, & capite Socrate, nihil te de bonis rebus in uita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione uitæ didicisse, nihil omnino quæsisse, nihil scire conuincerent, & cum uniuersi in te impetum fecissent, tum singulæ familiæ litem tibi intenderẽt, Instaret academia, quæ quicquid dixisses, id teipsum negare cogeret. Stoici uero nostri disputationum suarum, atq; interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam hæc ipsa, quæ propria oratorum putas esse adiumenta, atq; ornamenta dicendi, ab se petiuincerent oportere, ac non solũ meliora, sed etiam multo plura Aristotelẽ, Theophrastumq; de his rebus, quàm omnes dicẽdi magistros scripsisse ostenderent. Missos facio mathematicos, grammaticos, musicos, quorum artibus uestra ista dicendi uis ne minima quidem societate cõtingitur. Quamobrem ista tanta, tamq; multa profitenda Crasse non censeo, satis id est magnum, quod potes præstare, ut in iudicijs ea causa, quancunq; tu dicis, melior, & probabilior esse uideatur, ut in cõcionibus, ut in sententijs dicendis ad persuadendum tua plurimum ualeat oratio, deniq; ut prudentibus diserte, stultis etiam uere dicere uidearis. hoc amplius siquid poteris, non id mihi uidebitur orator, sed Crassus sua quadam propria non communi oratorum facultate posse.

Tum ille, Non sum inquit nescius Scæuola ista inter græcos dici, & disceptari solere. audiui enim summos homines, cum quæstor ex Macedonia uenissem Athenas florente academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Carneades, & Clitomachus, & Aeschines obtinebant, erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum illum Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimũ, & copiosissimum, uigebat auditor Panætij illius tui Mnesarchus, & Peripatetici Critolaus, & Diodorus. multi erant

præterea

præterea præclari in philoſophia, & nobiles, à quibus omnibus una pene repelli uoce oratorẽ à gubernaculis ciuitatum, excludi ab omni doctrina, rerumq; maiorum ſcientia, ac tantum in iudicia, & conciunculas, tanquam in aliquod piſtrinum detrudi, & compingi uidebam. Sed ego neq; illis aſſentiebar, neq; harum diſputationum inuentori, & principi longe omnium in dicendo grauiſſimo, & eloquẽtiſſimo Platoni, cuius tum Athenis diligentius legi cum Carneade Gorgiam, quo in libro in hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipſe eſſe orator ſummus uidebatur. uerbi enim cõtrouerſia tandiu torquet græculos homines cõtentionis cupidiores, quàm ueritatis. Nam ſiquis hunc ſtatuet eſſe oratorem, qui tantummodo in iure, aut in iudicijs poſſit, aut apud populũ, aut in ſenatu copioſe loqui, tamen huic ipſi multa tribuat, & concedat neceſſe eſt. neq; enim ſine multa pertractatione omnium rerum p. neq; ſine legum, moris, iuris ſcientia, neq; natura hominum incognita, ac moribus, in his ipſis rebus ſatis callide uerſari, & perite poteſt. qui autem hæc cognouerit, ſine quibus ne illa quidem minima in cauſis quiſquam recte tueri poteſt, quid huic abeſſe poterit de maximarum rerũ ſcientia? Sin oratoris nihil uis eſſe, niſi compoſite, ornate, copioſe eloq, quæro id ipſum, qui poſſit aſſequi ſine ea ſcientia, quam ei non concedis? dicẽdi enim uirtus, niſi ei, qui dicat, ea, de quibus dicit, pœpta ſint, extare non poteſt. Quamobrem ſi ornate locutus eſt, ſicut fertur, et mihi uidetur phyſicus ille Democritus, materies illa fuit phyſici, de qua dixit, ornatus uero ipſe uerborum oratoris putandus eſt. & ſi Plato de rebus à ciuilibus controuerſijs remotiſſimis diuinitus eſt locutus, quod ego cõcedo, ſi item Ariſtoteles, ſi Theophraſtus, ſi Carneades in rebus ijs, de qbus diſputauerunt, eloquentes, & in dicẽdo ſuaues, atq; ornati fuerunt, ſint hæ res, de quibus diſputant, in alijs quibuſdã ſtudijs, oratio quidẽ ipſa propria eſt huius unius rationis, de qua loquimur, & quærimus. Eterim uidemus ijſdẽ de rebus ieiune quoſdam, & exiliter, ut eum, quem acutiſſimum ferunt Chryſippum, diſputauiſſe, neq; ob eam rem philoſophiæ non ſatisfeciſſe, quod non habuerit hanc dicendi ex arte alienam facultatem. Quid ergo intereſt? aut quid diſcernes eorũ, quos nominaui, ubertatem in dicẽdo, & copiam ab eorum exilitate, qui hac dicendi uarietate, & elegãtia non utuntur? Vnum erit profecto, quod ij, qui bene dicunt, afferũt propriam, compoſitam orationem, & ornatam, & artificio quodã, & expolitione diſtinctam. hæc autem oratio, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta, & cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omniũ irriſione lu-

datur. quid est enim tam furiosum, quàm uerborum uel optimorũ, atq; ornatissimorum sonitus inanis nulla subiecta sententia, nec scientia? Quicquid erit igitur quacunq; ex arte, quocunq; de genere, id orator, si tanquam clientis causam didicerit, dicet melius, & ornatius, quàm ille ipse eius rei inuentor, atq; artifex. Nam, siquis erit, qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias, atq; causas, & quasi certarum rerum forensibus cancellis circunscriptã sciẽtiam, fatebor equidem in his magis assidue uersari hanc nostrã dictionem, sed tamen in ijs ipsis rebus permulta sunt, quæ isti magistri, q rhetoricã uocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim nescit maxmã uim existere oratoris in hominum mentibus, uel ad irã, aut ad odium, aut dolorem incitandis, uel ab hisce ijsdem permotionibus ad lenitatem, misericordiamq; reuocandis? quæ nisi q naturas hominum, uimq; omnem humanitatis, causasq; eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus ꝑspexerit, dicendo, quod uolet, perficere non poterit. Atqui totus hic locus philosophorum putatur proprius, neq; orator me authore, unquam repugnabit, sed, cum illis cognitionem rerum concesserit, quod in ea solum illi uoluerint elaborare, tractationem orationis, quæ sine illa sciẽtia nulla est, sibi assumet. Hoc enim est propriũ oratoris, quod sæpe iam dixi, oratio grauis, & ornata, et hominum sensibus, ac mentibus accommodata. quibus de rebus Aristotelem, & Theophrastum scripsisse fateor. Sed uide, ne hoc Scæuola totum sit a` me. nam ego, quæ sunt oratoris cũ illis cõmunia, nõ mutuor ab illis, isti, quæ de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. itaq; cæteros libros artis isti suæ nomine, hos rhetoricos & inscribunt, & appellant. Etenim, cũ illi in dicendo inciderint loci (quod ꝑsæpe euenit) ut de dijs immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi ciuium, de hominum, de gẽtium iure, de æquitate, de temperantia, de magnitudine anim, de omni uirtutis genere sit dicendũ, clamabunt credo omnia gymnasia, atq; omnes philosophorũ scholæ, sua hæc esse omnia propria, nihil omnino ad oratorem ꝑtinere, quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis consumendi otij causa differant, cum concesserо, illud tamen oratori tribuam, & daꝺo, ut eadẽ, de quibus illi tenui quodam, & exiguo sermone disputant, hic cum omni gratitate, & iucunditate explicet. hæc ego cum ipsis philosophis, tum Athenis differebã, cogebat enim me Marcus Marcellus hic noster, qui nunc ædilis curulis est, et profecto, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset, ac iam tum erat adolescentulus his studijs mirificè deditus. Iam ue-

ro de legibus instituendis, de bello, de pace, de socijs, de uectigalibus, de iure ciuium generatim in ordines, ætates q; descripto, dicant uel græci, si uolunt Lycurgum, aut Solonem, quanquam illos quidē cēsemus in numero eloquentium reponendos, scisse melius, quàm Hyperidem, aut Demosthenem, perfectos iam homines in dicendo, & perpolitos, uel nostros decemuiros, qui .XII. tabulas perscripserunt, quos necesse est fuisse prudentes, anteponant in hoc genere, & Ser. Galbæ, & socero tuo C. Lælio, quos constat dicendi gloria præstitisse, nunquam enim negabo esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis, atq; tractandis studium suum omne posuerunt, sed oratorem plenum, atq; perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit uarie, copioseq; dicere. Etenim sæpe in ijs causis, quas omnes proprias esse oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solum oratoribus concēditis, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum, & assumendum, quæro enim num possit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici sine rei militaris usu, aut sæpe etiam sine regionum terrestrium, aut maritimarū scientia? num apud populum de legibus iubēdis, aut uetandis, num in senatu de omni reip. genere dici sine summa rerum ciuilium cognitione, & prudentia? num admoueri possit oratio ad sensus animorum, atq; motus uel inflammandos, uel etiam extinguēdos, quod unum in oratore dominatur, sine diligentissima peruestigatione earum omnium rationum, quæ de naturis humani generis, ac moribus à philosophis explicantur? Atq; haud scio, an minus hoc uobis sim probaturus, equidem non dubito, quod sentio dicere, physica ista ipsa, quæ paulo ante, & mathematica, & cæterarum artium propria posuisti, scientiæ sunt eorum, qui illa profitentur, illustrare autem oratione siquis istas ipsas artes uelit, ad oratoris ei confugiendum est facultatem. Neq; enim si Philonem illum architectum, qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat perdiserte populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est architecti potius artificio disertum, quàm oratoris fuisse. Nec si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de naualium opere dicendum, non cum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio, copioseq; dixisset. neque uero Asclepiades is, quo nos medico, amicoq; usi sumus, tum, cum eloquentia uincebat cæteros medicos, in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinæ facultate utebatur, non eloquentiæ. Atque illud est probabilius, neque tamen uerum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquen-

tes. illud uerius, neq; quẽquam in eo diſertum eſſe poſſe, quod neſciat, neq;, ſi id optime ſciat, ignarúſq; ſit faciundæ, ac poliendæ orationis, diſerte id ipſum poſſe, de quo ſciat, dicere. Quamobrem, ſiquis uniuerſam, & propriam oratoris uim definire, complectíq; uult, is orator erit mea ſententia, hoc tam graui dignus nomine, qui quæcunq; res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, & compoſite, & ornate, & memoriter dicat cum quadam etiam actionis dignitate. Sin cuipiam nimis infinitũ uidetur, quod ita propoſui quacunq; de re, licet hinc quantum cuiq; uidebitur, circuncidat, atq; amputet, tamẽ illud tenebo, ſi, quæ cæteris in artibus, aut ſtudijs ſita ſint, orator ignoret, tantumq; ea teneat, quæ ſint in diſceptationibus, aut in uſu forenſi, tamen his de rebus ipſis ſi ſit ei dicendum, cum cognouerit ab ijs, qui tenent, quæ ſint in quaq; re, multo oratorẽ melius, quàm ipſos illos, quorum eæ ſunt artes, eſſe dicturum. Ita ſi de re militari dicendum huic erit Sulpitio, quæret à C. Mario affini noſtro, et cum acceperit, ita pronuntiabit, ut ipſi C. Mario penè hic melius, quàm ipſe ille ſcire uideatur. Sin de iure cuiili, tecum communicabit, teq; hominem prudentiſſimũ, et peritiſſimum, in ijs ipſis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte ſuperabit. Sin quæ res incaderit, in qua de natura, de uitijs hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum ſit, forſitan, ſi ei ſit uiſum (& ſi hæc quidem noſſe debet orator) cum Sex. Pompeio erudito homine in philoſophia communicabit. hoc profecto efficiet, ut quancunq; rem à quoque cognouerit, de ea re multo dicat ornatius, quàm ille ipſe, unde cognorit. Sed, ſi me audierit, quoniam philoſophia in tres partes eſt diſtributa, in naturæ obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in uitã, atq; mores, duo illa relinquamus, idq; largiamur inertiæ noſtræ, tertium, uero quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus. Quare hic locus de uita, et moribus totus eſt oratori perdiſcendus, cætera, ſi nõ didicerit, tamen poterit, ſi quando uolet, ornare dicendo, cum erunt ad eum delata, & tradita. Etenim ſi conſtat inter doctos, hominem ignarum aſtrologiæ ornatiſſimis, atq; optimis uerſibus Aratum de cœlo, ſtelliſq; dixiſſe, ſi de rebus ruſticis hominem ab agro remotiſſimum Nicandrum colophonium poëtica quadam facultate non ruſtica ſcripſiſſe præclare, quid eſt, cur non orator de rebus ijs eloquentiſſime dicat, quas ad certam cauſam, tempuſq; cognorit? Eſt enim finitimus oratori poëta, numeris aſtrictior paulo, uerborum autem licentia liberior, multis uero ornandi generibus ſocius, ac penè par,

in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circunscribat, aut definiat ius suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate, & copia uagari, qua uelit. Nanque illud quare Scæuola negasti te fuisse laturum, *nisi in meo regno esses, quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorẽ perfectum esse debere?* Nunquam mehercule hoc dicerem, *si eũ, quem fingo, meipsum esse arbitrarer, sed ut solebat* C. Lucilius *sæpe dicere homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quàm uolebat, familiaris, sed tamen et doctus, & perurbanus, sic sentio, nemnem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus ijs artibus, quæ sunt libero homine dignæ, perpolitus, quibus ipsis, si in dicendo non utimur, tamen apparet, atq; extat utrum simus earũ rerum rudes, an didicerimus, ut qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palæstræ, sed indicat ipse motus, didicerint ne palæstrã, an nesciant, et qui aliquid fingunt, & situm pictura nihil utuntur, tamen utrum sciant pingere, an nesciant, non obscurũ est, sic in orationibus hisce ipsis iudiciorum, concionum, senatus, etiam si propriæ cætere non adhibentur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantũmodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an addicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.* Tum ridens Scæuola, Non luctabor *inquit tecum* Crasse *amplius, id enim ipsum, quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut et mihi, quæ ego uellem, non esse oratoris, concederes, et ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueres, atque oratori propria traderes.* Hæc *cum ego prætor* Rhodum *uenissem, et cum summo illo doctore istius disciplinæ* Apollonio *ea, quæ à* Panætio *acceperam, contulissem, irrisit ille quidem, ut solebat philosophiam, atq; contempsit, multáq; non tam grauiter dixit, quàm facete, tua autem fuit oratio eiusmodi, non ut ullã artem, doctrinam'ue contemneres, sed ut omnes comites, ac ministras oratoris esse diceres, quas ego, siquis sit unus cõplexus omnes, idemq; si ad eas facultates istam ornatissimæ orationis adiunxerit, non possum dicere eum non egregium quendam hominem, atq; mirandum fore, sed is, siquis esset, aut si etiam unquam fuisset, aut uero si esse posset, tu esses unus profecto, qui & meo iudicio, & omnium uix ullam cæteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti.* Verum *si tibi ipsi nihil deest, quod in forensibus rebus, ciuilibusq; uersetur, quin scias, neque eam tamen scientiam, quam adiungis oratori, complexus es, uideamus, ne plus ei tribuas, quàm res, et ueritas ipsa cõcedat.* Hic Crassus, Memento *inquit me non de mea, sed de oratoris fa-*

aultate dixisse. Quid.n.nos aut didicimus, aut scire potuimus? qui ante ad agendum, quàm ad cognoscendum uenimus quos in foro, quos in ambitione, quos in rep. quos in amicorum negotijs res ipsa ante confecit, quã possemus aliquid de rebus tantis suspicari. Quod si tibi tantum in nobis uidetur esse, quibus etiam si ingeniũ, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe, & otium, & hercule etiam studium illud dicendi acerrimum defuit, quid censes, si ad alicuius ingenium uel maius, illa, quæ ego non attigi, accesserint, qualem illũ, & quantum oratorem futurum? Tum Antonius, Probas mihi inquit ista Crasse, quæ dicis, nec dubito, quin multo locupletior in dicẽdo futurus sit, siquis omnium rerum, atque artium rationem, naturam q; comprehenderit. Sed primum id difficile factu est, præsertim in hac nostra uita, nostris q; occupationibus, deinde illud etiã uerendum est, ne abstrahamur ab hac exercitatione, & consuetudine dicẽdi populari, & forensi. Aliud enim mihi quoddam genus orationis esse uidetur eorum hominum, de quibus pauloante dixisti, quamuis illi ornate, et grauiter, aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus est uerborum, & lætum, sed palæstræ magis, et olei, quàm huius ciuilis turbæ, ac fori. Nãq; egomet, qui serò, ac leuiter græcas literas attigissem, tamen, cũ proconsul in Ciliciam proficiscens, Athenas uenissem, complures tum ibi dies sum propter nauigandi difficultatem commoratus, sed cum quotidie mecum habere homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te modo sunt nominati, cum q; hoc, nescio quomodo, apud eos increbuisset, me in causis maioribus, sicuti te solere uersari, pro se quisque eorum, quantum quisque poterat, de officio, et ratione oratoris disputabat. Horum alij, sicut iste ipse Mnesarchus, hos, quos nos oratores uocaremus, nihil esse dicebat, nisi quosdam operarios lingua celeri, et exercitata, oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse nemnem, atque ipsam eloquentiam, quod ex benedicendi scientia constaret, unã quãdã esse uirtutem, et qui unam uirtutẽ haberet, omneis habere, eas q; ipsas esse inter se æqualeis, et pares, ita qui esset eloquens, eum uirtutes omnes habere, atq; esse sapientem. Sed hæc erat spinosa quædam, et exilis oratio, longé q; à nostris sensibus abhorrebat. Carneades uero multo uberius ijsdem de rebus loquebatur, non quo aperiret sententiam suam (hic enim mos erat patrius academiæ aduersari semper omnibus in disputando) sed tum maxime tamen hoc significabat, eos, qui rhetores nominarentur, et qui dicendi præcepta traderent, nihil planè tenere, neq; posse quenquam facultatem assequi

dicendi,nisi qui philosophorum inuenta didicisset. Disputabant contra diserti homines Athenienses in rep. causisq; uersati,in qbus erat etiam is,qui nuper Romæ fuit,Menedemus hospes meus,qui,cũ diceret esse quandam prudentiam,quæ uersaretur in perspiciẽdis rationibus constituendarum,& regendarum rerum publicarum,excitabatur homo promptus ab homine,abundanti doctrina,& quadã incredibili uarietate rerum, & copia. Omneis enim partes illius ipsius prudẽtiæ petendas esse à philosophia docebat,neq; ea,quæ statuerentur in rep.de dijs immortalibus,de disciplina iuuentutis, de iustitia,de patientia,de temperantia,de modo rerum omnium,cæteraq;,sine quibus ciuitates aut esse,aut bene moratæ esse non possent, usq̃ in eorum libris inueniri. Quod, si tantam uim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complecterentur,quærebat, cur de proemijs,& de epilogis,& de huiusmodi nugis (sic enim appellabat)referti essent eorumlibri.de ciuitatibus instituendis,de scribendis legibus,de æquitate,de iustitia,de fide,de frangendis cupiditatibus,confirmandis hominum moribus,litera in eorũ libris nulla inueniretur. Ipsa uero præcepta sic illudere solebat,ut ostenderet nõ modo eos illius expertes esse prudentiæ,quam sibi asciscerent,sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem,ac uiã nosse. Caput enim esse arbitrabatur oratoris,ut & ipsis,apud quos ageret,talis,qualem se ipse optaret,uideretur.id fieri uitæ dignitate,de qua nihil rhetorici isti doctores in præceptis suis reliquissent,et uti qui audirent, sic afficerentur animis,ut eos affici uellet orator,quod item fieri nullo modo posse,nisi cognosceret is,qui diceret,quot modis hominum mentes, & quibus rebus,& quo genere orationis in quanq; partẽ moueretur.hæc autem esse penitus in media philosophia retrusa,atq; abdita,quæ isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent. Eã Menedemus exemplis magis,quàm argumentis conabatur refellere, memoriter enim multa ex orationibus Demosthenis præclare scripta pronuncians, docebat illum in animis uel iudicum , uel populi in omnem partem dicendo permouendis,non fuisse ignarum,quibus ea rebus cõsequeretur,quæ negaret ille sine philosophia quenquam scire posse. Huic respõdebat,non se negare Demosthenem summam prudentiam summamq; uim habuisse dicendi,sed siue ille hoc ingenio potuisset, siue id,quod constaret,Platonis studiosus audiendi fuisset, non quid ille potuisset,sed quid isti docerent,esse quærendum. Sæpe etiam in eam partẽ ferebatur oratione,ut omnino disputaret,nullã artẽ esse dicẽdi,idq; cũ argumentis docuerat,qđ ita nati essemus,ut

& blandiri, & suppliciter insinuare ijs, à quibus esset petendum, & aduersarios minaciter terrere possemus, et rem gestam exponere, & id, quod intenderemus confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere, & ad extremum deprecari aliquid, et conqueri, quibus in rebus omnis oratorũ uersaretur facultas, & quod consuetudo, exercitatioq;, & intelligendi prudentiam acueret, et eloquendi celeritatem incitaret, Tum etiam exemplorum copia nitebatur, nam primum quasi dedita opera neminem scriptorem artis, ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, cum repeteret usque à cœracę nescio quo, & Thysia, quos artis illius inuentores, et principes fuisse constaret, eloquentissimos autem homines, qui ista nec didicissent, nec omnino scisse curassent, innumerabiles quosdam nominabat, in quibus etiam siue ille irridens, siue quod ita putaret, atq; ita audisset, me in illo numero, qui illa non didicissem, et tamen (ut ipse dicebat) possem aliquid in dicendo, proferebat. quorum ego illi alterum facile assentiebar, nihil me didicisse, in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipsum errare arbitrabar. Artem uero negabat esse ullã, nisi quæ cognitis, penitusq; perspectis, & in unum exitum spectantibus, et nunquam fallentibus rebus contineretur. Hæc autem omnia, quæ tractarẽtur ab oratoribus, dubia esse, & incerta, cum et dicerentur ab ijs, qui ea omnia non plane tenerent, et audirentur ab ijs, quibus non scientia esset tradẽda, sed exigui temporis, aut falsa, aut certe obscura opinio. Quid multa? sic mihi tum persuadere uidebatur, neq; artificium ullum esse dicendi, neq; quenquam posse, nisi qui illa, quæ à doctissimis hominibus in philosophia dicerẽtur, cognosset, aut callide, aut copiose dicere. Quibus dicere Carneades solebat ingenium tuum Crasse uehementer admirans, me sibi perfacilem in audiẽdo, te perpugnacem in disputando esse uisum. Tumq; ego hac eadem opinione adductus, scripsi etiã illud quodam in libello, qui me imprudente, & inuito excidit, et peruenit in manus hominum, disertos me cognosse nonnullos, eloquentẽ adhuc neminem, quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute, atq; dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere, eloquentem uero, qui mirabilius, et magnificẽtius augere posset, atq; ornare, quæ uellet, omneisq; omniũ rerũ, quæ ad dicendum pertinerent, fonteis animo, ac memoria contineret. Id si est difficile nobis, qui ante, quàm ad discendũ ingressi simus, obruimur ambitione, et foro, sit tamen in re positum, atq; natura. Ego.n. quantũ auguror coniectura, quantaq; ingenia in nostris hominibus esse uideo, non despero fore aliquem aliquando, qui et studio acrio-

re, quàm

re, quàm nos sumus, atq; fuimus, & otio, ac facultate discendi maiore, ac maturiore, & labore, atq; industria superiore, cum se ad audiendum, legendum, scribendumq; maiore opera dediderit, existat talis orator, qualem quærimus, qui iure non solum disertus, sed etiá eloquens dici possit, qui tamen mea sententia, aut hic est iam Crassus, aut siquis pari fuerit ingenio, pluráq;, quàm hic et audierit, & legerit, & scripserit, paulum huic aliquid poterit addere. Hoc loco Sulpitius, Insperanti mihi inquit, & Cottæ, sed ualde optanti utriq; nostrum cecidit, ut in istum sermonem Crasse delaberemini. nobis enim huc uenientibus iucundum satis fore uidebatur, si, cum uos de rebus alijs loqueremini, tamen nos aliquid ex sermone uestro memoria dignum excipere possemus, ut uero penitus in eam ipsam totius huius uel studij, uel artificij, uel facultatis disputationẽ pene intimam peruenireris, uix optandum nobis uidebatur. Ego enim, q ab ineunte ætate incensus essem studio utriusq; uestrum, Crassi uero etiam amore, cum ab eo nusquam discederem, uerbũ ex eo nunquã elicere potui de ui, ac de ratione dicendi, cum & per me ipsum egissem, & per Drusum sæpe tentassem, quo in genere tu Antoni (uere loquar) nunquam mihi percunctanti, aut quærenti aliquid defuisti, et persæpe me, quæ soleres in dicendo obseruare, docuisti. Nũc, quoniã uterq; uestrum patefecit earum rerum ipsarum aditum, quas quærimus, & quoniam princeps Crassus eius sermonis ordiendi fuit, date nobis hanc ueniam, ut ea, quæ sentitis de omni genere dicendi, subtiliter prosequamini. Quod quidem, si erit à uobis impetratum, magnam habebo Crasse huic palæstræ, & Thusculano tuo gratiã, & longe Academiæ illi, Ac Lycio tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam. Tum ille, Immo uero inquit Sulpiti rogemus Antonium, qui & potest facere id, quod requiris, & consueuit, ut te audio dicere, Nam me quidem semper à genere hoc toto sermonis refugisse, & tibi cupienti, atq; instanti sæpissime negasse, tute paulo ante dixisti, quod ego non superbia, neq; inhumanitate faciebam, neq; quo studio rectissimo, atq; optimo non obsequi uellẽ, præsertim, cum te unũ ex omnibus ad dicendum maxime natum, aptumq; cognossem, sed mehercule istius disputationis insolentia, atq; earum rerum, quæ quasi traduntur in arte, inscitia. Tum Cotta. Quoniam id, quod difficillimum nobis uidebatur, ut omnino de his rebus Crasse loquerere, assecuti sumus, de reliquo iam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia, quæ percunctati erimus, explicaris, dimiserimus. De his credo rebus inquit Crassus, ut in conditionibus scribi solet, quibus

ſciam,poterǒq;. Tum ille,Nanque quod tu non poteris,aut neſcies quis noſtrũ tam impudens eſt,qui ſe ſcire,aut poſſe poſtulet? Iam uero iſta conditione,dum mihi liceat negare poſſe,quod non potero, & fateri neſcire,quod neſciam,licet inquit Craſſus uestro arbitratu pũctemini. Atque inquit Sulpitius hoc primum ex te,de quo modo Antonius expoſuit,quid ſentias quærimus,exiſtimes'ne artẽ aliquam eſſe dicendi. Quid mihi nunc uos inquit Craſſus,tanquã alicui græculo otioſo,& loquaci,& fortaſſe docto,atq; erudito quæſtiunculam,de qua meo arbitratu loquar ponitis ? quando enim me iſta curaſſe,aut cogitaſſe arbitraminí,non ſemper irriſiſſe potius eorum hominum impudentiã,qui,cum in ſchola aſſediſſent,ex'magna hominum frequẽtia dicere iuberent,ſiquis quid quæreret.quod primum ferunt Leontinum feciſſe Gorgiam,qui permagnum quiddam ſi ſcipere,ac profiteri uidebatur,cum ſe ad omnia,de quibus quiſq; audire uellet,eſſe paratum denuntiaret.poſtea uero unlgo hoc facere cœperunt,hodieq; faciunt,ut nulla ſit res neq; tanta,neq; tam improuiſa,neq; tam noua,de qua ſe non omnia,quæ dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos.Quod ſi te Cottæ arbitrarer,aut te Sulpiti de ijs rebus audire uelle,adduxiſſem huc græcum aliquem,qui nos iſtiuſmodi diſputationibus delectaret,quod ne nunc quidem difficile factu eſt.eſt enim apud M.Piſonem adoleſcentem iam huic ſtudio deditum,ſummo hominem ingenio,noſtriq; cupidiſſimum,peripateticus Staſeas homo nobis ſane familiaris,&,ut inter homines peritos conſtare uideo,in illo ſuo genere omnium princeps. Quẽ tu inquit mihi Mutius Staſeam,quẽ peripateticum narras?gerendus eſt tibi mos adoleſcentibus Craſſe,qui nõ græci alicuius quotidianã loquacitatem ſine uſu, neq; ex ſcholis cãtilenam requirunt, ſed ex homine omnium ſapientiſſimo,atq; ex eo,qui non in libellis,ſed in maximis cauſis,& in hoc domicilio imperij,& gloriæ,ſit conſilio, linguaq; princeps,cuius ueſtigia perſequi cupiunt , cuius ſententiam ſaſcitantur. Equidem te cum in dicendo ſemper putaui deum,tum uero tibi nunquam eloquentiæ maiorem triũi laudem,quàm humanitatis,qua nunc te uti uel maxime decet,neq; defugere eam diſputationem,ad quam te duo excellentis ingenij adoleſcentes cupiũt accedere. Ego uero inquit,iſtis obſequi ſtudeo,neq; grauabor breuiter meo more,quid quaq; de re ſentiam dicere, ac primum illud (quoniam authoritatem tuam negligere Scæuola fas mihi eſſe non puto) reſpondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem uideri,ſed omnem eſſe contentionem inter homines doctos in uerbi

controuersia positam. Nam si ars ita definitur, ut paulo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis, planeq; cognitis, atq; ab opinionis arbitrio seiunctis, scientiaq; comprehensis, non mihi uidetur ars oratoris esse ulla. Sunt enim uaria, & ad uulgarē, popularemq; sensum accommodata omnia genera huius forensis nostræ dictionis. Sin autem ea, quæ obseruata sunt in usu, ac tractatione dicendi, hæc ab hominibus callidis, ac peritis animaduersa, ac notata, uerbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sint (id quod fieri potuisse uideo) non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac uulgari opinione ars esse uideatur. Sed sue est ars, siue artis quædam similitudo, non est quidem ea negligenda, uerum intelligendum est, alia quædam ad consequendā eloquentiā esse maiora. Tum Antonius uehementer se assentiri Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ij solerent, qui omnem uim dicendi in arte ponerent, neque rursum eam totam, sicut pleriq; philosophi facerent, repudiaret. Sed existimo inquit, gratum te his esse Crasse facturum, si ista exposueris, quæ putas ad dicendum plusquam ipsam artem posse prodesse. Dicam equidem quoniam instituisti, petamq; a' uobis inquit, ne has meas ineptias efferatis, quanquā moderabor ipse, ne, ut quidam magister, atq; artifex, sed quasi unus è' togatorū numero, atq; ex forensi usu homo mediocris, neq; omnino rudis uidear, non ipse aliquid a' me prompsisse, sed fortuito in sermonem uestrum inuasisse. Equidem cum peterem magistratus, solebam in prehensando dimittere a' me Scæuolam, cum ei ita dicerem, me uelle esse ineptum, id erat petere blandius, quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri, hunc autem esse unum hominem ex omnibus, quo præsente ego ineptus esse minime uellem, quem quidē nunc mearum ineptiarum testem, & spectatorem fortuna constituit. Nā quid est ineptius, quàm de dicendo dicere, cum id ipsum dicere nunquam sit non ineptum, nisi cum est necessarium. Pergit uero Crasse ingt Mutius, istam enim culpam, quam ueueris, ego præstabo. Sic igitur sentio, inquit Crassus, naturam primum, atq; ingenium ad dicendū uim afferre maximam, neq; uero istis, de qbus paulo ante dixit Antonius, scriptoribus artis, rationem dicendi, & uiam, sed naturā defuisse. Nam & animi, atq; ingenij celeres quidam motus esse debent, qui ad excogitandū acuti, & ad explicandū, ornandumq; sint uberes, & ad memoriā firmi, atq; diuturni, et siquis est, q hæc putet arte capi posse, qđ falsum est (præclare enim se res habeat, si hæc accēdi, aut cōmoueri arte possint, inseri qdē, & donari ab arte nō possunt,

omnia. sunt enim illa dona naturæ) quid de illis dicet, quæ certe cum ipso homine nascuntur? linguæ solutio, uocis sonus, latera, uires, conformatio quædam, et figura totius oris, & corporis? Neq; hæc ita dico, ut ars aliquid limare non possit, neq; enim ignoro, et quæ bona sint, fieri meliora posse doctrina, & quæ non optima, aliquo modo a cui tamen, & corrigi posse, sed sunt quidã, aut ita lingua hæsitantes, aut ita uoce absoni, aut ita uultu, motúq; corporis nasti, atq; agrestes, ut etiam si ingenijs, atq; arte ualeant, tamen in oratorum numerum uenire non possint. sunt autem quidam ita naturæ muneribus in hisdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, sed ab aliquo deo facti esse uideantur. Magnum quiddam est onus, atq; munus suscipere, atq; profiteri, se esse omnibus silentibus unum maximis de rebus magno in conuentu hominum audiendum. adest enim fere nemo, quin acutius, atq; acrius uitia in dicente, quàm recta uideat, ita quicqd est, in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda sint, obruit. Neq; hæc in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, siquid naturale forte non habeant, omnino à dicendi studio deterream. Quis enim non uideat C. Cælio æquali meo maximo honori fuisse homini nouo illam ipsam, quancunq; assequi potuerit, in dicendo mediocritatẽ? quis uestrum æqualem Q. Varium uastum hominem, atq; fœdum non intelligit illa ipsa facultate, quancunq; habet, magnam esse in ciuitate gratiam consecutum? sed, quia de oratore quærimus, fingendus est nobis oratione nostra detractis omnibus uitijs orator, atq; omni laude cumulatus. neq; enim, si multitudo litium, si uarietas causarum, si hæc turba, & barbaria forensis dat locum uel uitiosissimis oratoribus, ideirco nos hoc, quod quærimus, omittemus. Itaq; in ijs artibus, in quibus non utilitas quæritur necessaria, sed animi libera quædam oblectatio, quàm diligenter, & quàm propè fastidiose iudicamus? Nullæ enim lites, neq; controuersiæ sunt, quæ cogant homines, sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. Est igitur oratori diligenter prouidendum non uti illis satisfaciat, quibus necesse est, sed ut ijs ipsis admirabilis esse uideatur, quibus libere liceat iudicare. Ac si quæritis plane quid sentiam, enuntiabo. apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui, & tacendum putaui. Mihi etiam quiq; optime dicunt, quiq; id facillime, atq; ornatissime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, & in exordienda oratione perturbantur, pene impudentes uidentur, tametsi id accidere non potest, ut enim quisq; optime dicat, ita maxime dicendi difficultatem, uariosq; euentus orationis, hominumq;

hominum q; pertimescit, qui uero nihil potest dignum re, dignum no
mine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atq; edere, is mihi,
etiam si commouetur in dicendo, tamen impudens uidetur. non enim
pudendo, sed nõ faciendo id, quod non decet, impudentiæ nomen effu
gere debemus. Quem uero non pudet (id quod in pleriſq; uideo)
hunc ego non reprehensione solum, sed etiam pœna dignum puto.
Equidem *& in uobis animaduertere soleo, & me ipso sæpissime ex-*
perior, ut exalbescam in principijs dicendi, & tota mente, atq; omni-
bus artubus contremiscam. Adolescentulus *uero sic in initio accusa*
tionis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Quinto Maxi-
mo debuerim, quod continuo consilium dimiserit simul, ac me fra-
ctum, ac debilitatum metu uiderit. Hic *omnes assensi, significare in-*
ter sese, & colloqui cœperunt. fuit enim mirificus quidam in Craſ-
so pudor, q tamen non modo non obesset eius orationi, sed etiam pro
bitatis commendatione prodesset. Tum Antonius, *Sæpe, ut dicis,*
inquit, animaduerti Crasse, *& te, & cæteros summos oratores, quan*
quam tibi par nea sententia nemo unquam fuit, in dicendi exordio
permoueri. Cuius quidem rei cum causam quærerem, quid nam
esset, cur ut in quoq; oratore plurimum esset, ita maxime is pertime-
scæret, has causas inueniebam duas. unam quod intelligerent ij, quos
usus, ac natura docuisset, nonnunquam summis oratoribus non satis
ex sententia euentum dicendi procedere, ita nõ iniuria quotiescunq;
dicerent, id quod aliquando posset accidere, ne tum accideret, timere,
Altera *est hæc, de qua queri sæpe soleo, cæterarum hominum artium*
spectati, & probati, siquando aliquid minus bene fecerunt, quàm
solent, aut noluisse, aut ualetudine impediti non potuisse consequi id,
quod scirent, putantur. noluit, inquiunt, hodie agere Roscius, *aut cru*
dior fuit. oratoris peccatum, siquod est animaduersum, stultitiæ pec-
catum uidetur, stultitia autem excusationem non habet, q nemo ui-
detur aut q crudus fuerit, aut quod ita maluerit, stultus fuisse, quo
etiam grauius iudicium in dicendo subimus, quoties enim dicimus,
toties de nobis iudicatur, & qui semel in gestu peccauit, non conti-
nuo existimatur nescire gestum, cuius in dicendo aliquid reprehen-
sum est, aut æterna in eo, aut certe diuturna ualet opinio tarditatis.
Illud *uero, quod à te dictum est, esse permulta, quæ orator, nisi à na*
tura haberet, nõ multum à magistro adiuuaretur, ualde tibi assen-
tior, inq; eo uel maxime probaui summum illum doctorẽ Alabãden
sem Apollonium, *qui, cum mercede docæret, tamen non patiebatur*
eos, quos iudicabat non posse oratores euadere, operã apud sese per-

dere,dimittebatq; , & ad quancunq; artem putabat esse aptum ad eam impellere,atq; hortari solebat. Satis est enim cæteris artificijs percipiendis tantummodo simlẽ esse hominis,& id,quod tradatur,uel etiam inculcetur,siquis forte sit tardior,posse percipere animo,& memoria custodire,non quæritur mobilitas linguæ,non celeritas uerborum,non deniq; ea,quæ nobis non possumus fingere,facies,uultus,sonus. In oratore autem acumen dialecticorum,sententiæ philosophorum,uerba propè poëtarum,memoria iurisconsultorum,uox tragœdorum,gestus penè summorum actorum est requirendus. Quamobrẽ nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inueniri potest. quæ enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt,probantur,ea nisi omnia summa sunt in oratore probari non possunt. Tum Crassus, Atqui uide inquit in artificio,& opera quàm tenui,& leui quanto plus adhibeatur diligẽtiæ,quàm in hac re,quam constat esse maximam. Sæpe enim soleo audire Roscium,cum ita dicat,se adhuc reperire discipulum,quem quidem probaret,potuisse neminem,non quo non essent quidam probabiles,sed quia,si aliquid modo esset uitij,id ferre ipse non posset. Nihil est enim tam insigne,nec tam ad diuturnitatẽ memoriæ stabile,quàm id,in quo aliquid offenderis. Itaq;,ut ad hanc similitudinem huius histrionis,oratoriã laudem dirigamus,uidetis'ne,quàm nihil ab eo,nisi perfecte,nihil nisi cum summa uenustate fiat,nisi ita ut deceat,& uti omnes moueat , atq; delectet? itaq; hoc iandiu est consecutus , ut in quo quisq; artificio excelleret , is in suo genere Roscius diceretur . Hanc ego absolutionem,perfectionemq; in oratore desyderans,a' qua ipse longe absum,facio impudenter. mihi enim uolo ignosci,cæteris ipse non ignosco. nam qui non potest,q uitiose facit,quem deniq; non decet,hunc(ut Apollonius iubebat) ad id, quod facere possit,detrudendum puto. Num tu igitur inquit Sulpitius me aut hunc Cottam ius ciuile,aut rem militarem iubes discere? nam quis ad ista summa, atq; in omni genere perfecta potest peruenire? Tum ille,Ego uero inquit , quod in uobis egregiam quandam,ac præclaram indolem ad dicendum esse cognoui,ideo hæc exposui omnia,nec magis ad eos deterrendos,qui non possent, quàm ad uos,qui possetis,exacuendos accommodaui orationem meam,& quanquam in utroq; uestrum summum esse ingenium,studiumq; perspexi, tamen hæc, quæ sunt in specie posita , de quibus plura fortasse dixi,quàm solent græci dicere,in te Sulpiti diuina sunt. Ego enim nemnem nec motu corporis,neq; ipso habitu,

atque

atq; forma aptiorem, nec uocæ pleniorem, aut ſuauiorem mihi uideor audiſſe, quæ quibus à natura minora data ſunt, tamen illud aſſequi poſſunt, ut iis, quæ habeant mediocria, & ſcienter utantur, & ut ne dedecæat. id enim eſt maxime uitandum, & de hoc uno minime eſt facile præcipere, non mihi modo, qui ſicut unus paterfamilias his de rebus loquor, ſed etiam ipſi illi Roſcio, quem ſæpe audio dicere, caput eſſe artis decere, quod tamen unum id eſſe, quod tradi arte non poſſit. Sed, ſi placet ſermonem alio transferamus, & noſtro more aliquando, non rhetorico loquamur. Minime uero inquit Cotta. nunc enim te iam exoremus neceſſe eſt, quoniam retines nos in hoc ſtudio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quicquid eſt iſtud, quod tu in dicendo potes. neq; enim ſumus nimis auidi, iſta tua mediocri eloquentia contenti ſumus, idq; ex te quærimus, ut ne plus nos aſſequamur, quàm quantulum tu in dicendo aſſecutus es, quoniam, quæ à natura expetenda ſunt, ea dicis non nimis deeſſe nobis, quid præterea eſſe aſſumendum putes? Tum Craſſus arridens. Quid cenſes inquit Cotta, niſi ſtudium, & ardorem quendam amoris? ſine quo, cum in uita nihil quicquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo unquam aſſequetur. neq; uero uos ad eam rem uideo eſſe cohortandos, quos, cum mihi quoq; ſitis moleſti, nimis etiã flagrare intelligo cupiditate. Sed profecto ſtudia nihil proſunt perueniendi aliquo, niſi illud, quod eo, quo intendas ferat, deducatq;, cognoris. Quare, quoniam mihi leuius quoddam onus imponitis, neq; ex me de oratoris arte, ſed de hac mea, quantulacunq; eſt, facultate quæritis, exponam uobis non quandam aut perreconditam, aut ualde difficilem, aut magnificam, aut grauem rationem conſuetudinis meæ, qua quondam ſolitus ſum uti, cum mihi in iſto ſtudio uerſari adoleſcenti licebat. Tum Sulpitius. O diem Cotta nobis inquit, optatum, quod enim neq; precibus unq̃, nec inſidiando, nec ſpeculando aſſequi potui, ut quid Craſſus ageret meditandi, aut dicendi cauſa, non modo uidere mihi, ſed ex eius ſcriptore, & lectore Diphilo ſuſpicari licæret, id ſpero nos eſſe adeptos, omniaq; iam ex ipſo, quæ diu cupimus, cognituros. Tum Craſſus Atqui arbitror Sulpiti, cum audieris non tam te hæc admiraturum, quæ dixero, quàm exiſtimaturum tum, cum ea audire cupiebas, cauſam cur cuperes non fuiſſe. nihil enim dicam reconditum, nihil expectatione ueſtra dignum, nihil aut inauditum uobis, aut cuiq̃ nouũ. Nam principio illud, quod eſt homine ingenuo, liberaliterq; educato dignum, non negabo me iſta omniũ communia, & contrita præce-

pta didicisse. primum oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodate, deinde esse omnem orationem, aut de infinitæ rei quæstione sine designatione personarum, & temporum, aut de re certis in personis, ac temporibus locata. in utraq; autem re quicquid in controuersiam ueniat, in eo quæri solere, aut factum ne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam quo nomine uocetur, aut, quod nonnulli addunt, recte ne factum esse uideatur. existere autem controuersias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue qd sit scriptū, aut contrarie, aut ita, ut a sententia scriptum dissideat. his autem omnibus partibus subiecta quædam esse argumenta propria. sed causarum quæ sint a communi quæstione seiunctæ, partim in iudicijs uersari, partim in deliberationibus, esse etiam genus tertium, quod in laudandis, aut uituperandis hominibus poneretur, certosq; esse locos, quibus in iudicijs uteremur, in quibus æquitas quæritur, alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, q̃bus consilium daremus, alios item in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia referrẽtur. cumq; esset omnis oratoris uis, ac facultas in quinq; partes distributa, ut deberet reperire primum quid diceret, deinde inuenta non solum ordine, sed etiam momento quodam, atq; iudicio dispensare, atq; disponere, tum ea deniq; uestire, atq; ornare oratione, post memoria sepire, ad extremum agere cum dignitate, & uenustate. Etiam illa cognoram, & acceperam ante, quàm de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent, deinde rem demonstrandam, postea controuersiam constituendã, tum id, quod nos intenderemus, confirmandum, post, quæ cõtra dicerentur, refellẽda. extrema autem oratione, ea, quæ pro nobis essent amplificanda, & augenda, quæq; essent pro aduersarijs infirmanda, atq; frangenda. Audieram etiam, quæ de orationis ipsius ornamentis traderentur, in qua præcipitur primum, ut pure, & latine loquamur, deinde, ut plane, & dilucide, tum ut ornate, post ad rerum dignitatem apte, & quasi decore, singularumq; rerũ præcepta cognoram. Quin etiam, quæ maxime propria essent, naturæ tamen his ipsis artem adhiberi uideram, nam de actione, & de memoria quædã breuia, sed magna cum exercitatione præcepta gustaram. in his enim fere rebus omnis istorũ artificum doctrina uersatur, quam ego si nihil dicam adiuuare, mentiar. habet enim quædam quasi admonendum oratorem, quo quidq; referat, & quo intuens, ab eo quodcunq; sibi proposuerit, minus aberret. Verũ ego hanc uim intelligo esse in præceptis omnibus, non ut ea secuti oratores eloquẽtiæ laudem sine

dem sint adepti, sed quæ sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam obseruasse, atq; id egisse. sic esse non eloquentiã ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum. quod tamen, ut ante dixi, non eijcio. est enim etiam si minus necessarium ad benedicendum, tamen ad cognoscendũ non illiberale. Ea exercitatio quædã suscipiẽda uobis est, quãquam uos quidem iampridem estis in cursu, sed ijs, qui ingrediuntur ad studium, quiq; ea, quæ agẽda sunt in foro tanquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione, quasi ludicra prædiscere, ac meditari. Hanc ipsam inquit Sulpitius nosse uolumus, attamen ista, quæ abs te breuiter de arte decursa sunt, audire cupimus, quanquam sunt nobis quoq; non inaudita, uerum illa mox, nunc de ipsa exercitatione qd sentias, quærimus. Equidẽ probo ista Crassus inquit, quæ uos facere soletis, ut causa aliqua posita consimuli causarũ earũ, quæ in forũ deferuntur, dicatis quãmaxime ad ueritatẽ accõmodate. sed pleriq; in hoc uocem modo, neq; cã scienter, & uires exercent suas, & linguæ celeritatem incitant, uerborũq; frequentia delectantur. in quo fallit eos, qđ audierunt, dicendo homines, ut dicant efficere solere. uere enim etiã illud dicitur, peruerse dicere homines, peruerse dicendo facillime consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus & si utile est etiã subito sæpe dicere, tamen illud utilius sumpto spatio ad cogitandũ paratius, atq; accuratius dicere. Caput autem est, quod (ut uere dicam) minime facimus (est enim magni laboris, quem pleriq; fugimus) quamplurimum scribere, stylus optimus, & præstantissimus dicendi effector, ac magister, neq; iniuria, nam si subitam & fortuitam orationem cõmentatio, & cogitatio facile uincit, hãc ipsam profecto assidua, ac diligẽs scriptura superabit. omnes enim siue artis sunt loci, siue ingenij cuiusdam, atq; prudẽtiæ, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, inqrẽtibus nobis, omniq; acie ingenij contemplantibus, ostendunt se, & occurrunt, omnesq; sententiæ, uerbaq; omnia, quæ sunt cuiusq; generis, maximeq; illustria, sub acumen styli subeant, & succedant necesse est, tum ipsa collocatio, conformatioq; uerborum perficitur in scribendo, non poëtico, sed quodã oratorio numero, & modo. Hæc sunt, quæ clamores, & admurationes in bonis oratoribus efficiunt, neq; ea quisquam, nisi diu, multũq; scriptitarit, etiam si uehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur, & qui a scribẽdi consuetudine ad dicendũ uenit, hanc affert facultatem, ut etiam subito si dicat, tamen illa, quæ dicantur, simulia scriptorum esse uideantur, atq; etiam siquando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo discesserit, reliqua si-

milis oratio consequetur. Vt concitato nauigio cum remiges inhibue runt, retinet tamen ipsa nauis motum, & cursum suum intermisso impetu, pulsúq; remorum, sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum scriptorum similitudine, & ui concitata. In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem nostrum illum inimicum solitum esse uti sciebam, ut aut uersibus propositis quammaxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, uerbis alijs quammaxime possem lectis pronuntiarem, sed post animaduerti hoc esse in hoc uitij, quod ea uerba, quæ maxime cuiusq; rei propria, quæq; essent ornatissima, atq; optima occupasset, aut Ennius, si ad eius uersus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem, ita si ijsdem uerbis uterer, nihil prodesse, si alijs, etiam obesse, cum minus idoneis uti consuescerem. Postea mihi placuit, eoq; sum usus adolescens, ut summorum oratorum græcas orationes explicarem, quibus lectis, hoc assequebar, ut cum ea, quæ legerem græce, latine reddere, non solum optimis uerbis uterer, & tamen usitatis, sed etiam exprimerem quædam uerba imitando, quæ noua nostris essent, dummodo essent idonea. Iam uocis, & spiritus, & totius corporis, & ipsius linguæ motus, & exercitationes, non tam artis indigent, quàm laboris, quibus in rebus habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes uelimus esse. Intuendi nobis sunt non solũ oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem prauitatemq; ueniamus. Exercenda est etiã memoria ediscendis ad uerbum quamplurimis & nostris scriptis, & alienis. Atq; in ea exercitatione non sanè mihi displicet adhibere, si consueris etiam istam locorũ, simulachrorumq; rationem, quæ in arte traditur. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione, & umbratili mediũ in agmen, in puluerem, in clamorem, in castra, atq; aciem forensem. subeundus usus omnium, & periclitandæ uires ingenij, & illa cõmentatio inclusa in ueritatis lucem proferenda est. Legendi etiam poëtæ, cognoscenda historia, omnium bonarũ artium scriptores, ac doctores & legendi, & puolutandi, & exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, uituperandi, refellendi, disputandumq; de omni re in contrarias partes, & quicquid erit in quaq; re, quod probabile uideri possit, eliciendũ, atq; dicendũ. Perdiscendũ ius ciuile, cognoscendæ leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria cõsue

tudo, disciplina reip. iura sociorum, fœdera, factiones, causa imperij cognoscenda est, libandus est etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tanquam sale perspergatur omnis oratio. Effudi uobis omnia, quæ sentiebam, quæ fortasse, si quencunq; patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadē uobis percunctantibus respondisset. Hæc cum Crassus dixisset, silentium est consecutum, sed quanquā satis ijs, qui aderāt, ad id, quod erat propositum, dictum uidebatur, tamen sentiebant cælerius esse multo, quàm ipsi uellent, ab eo peroratum. Tum Scæuola, Quid est Cotta inquit, qd tacetis? nihil'ne uobis in mentem uenit, quod præterea à Crasso reqratis? Immo id mehercule inquit ipsum attendo, tantus enim cursus uerborum fuit, & sic euolauit oratio, ut eius uim, & incitationem aspexerim, uestigia, ingressumq; non uiderim, & tanquam in aliquā locupletem, ac refertam domum uenerim, non explicata uestē, neq; proposito argento, neq; tabulis, et signis propalā collocatis, sed his omnibus multis, magnificisq; rebus constructis, ac reconditis, sic modo in oratione Crassi diuitias, ac ornamēta eius ingenij p quædā inuolucra, atq; integumenta pspexi, sed ea cū cōtēplari cuperē, uix aspiciendi potestas fuit, ita neq; hoc possum dicere, me omnino ignorare qd possideat, neq; plane nosse, ac uidisse. Quin tu igitur facis idē inquit Scæuola, quod faceres, si in aliquā domum plenā ornamentorū illā uenisses, si ea sepositā, ut dicas, essent, tuq; ualde spectandi cupidus esses, non dubitares rogare domnū, ut proferri iuberet, præsertim si esset famliaris, similiter nunc petes à Crasso, ut eā copiam ornamentorū suorū, quam constructā uno in loco quasi p transennā prætereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat, et suo quicq; loco collocet. Ego uero inqt Cotta à te peto Scæuola, me enim, et hūc Sulpitiū impedit pudor ab homine omniū grauissimo, qui genus huiusmodi disputationis semper contempserit, hæc, quæ isti forsitan puerorum elementa uideantur exquirere. sed tu hoc nobis da Scæuola, & pfice, ut Crassus hæc, quæ coarctauit, et pangiste refersit in oratione sua, dilatet nobis, atq; explicet. Ego mehercule inqt Mutius, antea uestra magis hoc causa uolebā, quàm mea, neq; n. tātopere hāc à Crasso disputationē desyderabā, quātopere eius in causis oratione delector, nunc uero Crasse mea quoq; etiā causa rogo, ut quoniā tantū habemus otij, quantū iandiu nobis nó contigit, ne grauere exædificare id opus, qd instituisti. formā enim totius negotij opiniōe maiorē, meliorēq; uideo, quā uehemēter probo. Enim uero inqt Crassus, mirari satis nō queo etiā te hæc Scæuola desyderare, quæ neq; ego teneo

ati ij, qui docent, neq; sunt eius generis, ut si optime tenerem, digna essent ista sapientia, ac tuis auribus. An tu inquit ille, si de istis cõmunibus, & peruagatis uix huic ætati audiendum putas, etiam'ne illa negligere possumus, quæ tu oratori cognoscenda esse dixisti? de naturis hominum, de moribus, de rationibus ijs, quibus hominum mentes & incitarentur, & reprimerentur, de historia, de antiquitate, de administratione reip. deniq; de nostro ipso iure ciuili, hanc enim ego omnem scientiam, & copiam rerum in tua prudentia sciebã inesse, in oratoris uero instrumento tam lautam supellectilem nunquam uideram. Potes igitur inquit Crassus (ut alia omittam, quæ sunt immensa, & ad ipsum tuũ ius ciuile ueniam) oratores putare eos, quos multas horas expectauit, cum in campum properaret, & ridẽs, & stomachans Scæuola, cum Hypseus maxima uoce plurimis uerbis a M. Crasso prætore contenderet, ut ei, quem defendebat, causa cadere licëret, Gn. autem Octauius homo consularis non minus longa oratione recusaret, ne aduersarius causa caderet, ac ne is, pro quo ipse dicëret, turpi tutelæ iudicio, atq; omni molestia, stultitia aduersarij liberaretur. Ego uero istos inquit (memini enim mihi narrare Mutiũ) non modo oratoris nomine, sed ne foro qdẽ dignos putarẽ. Atq; non defuit illis patronis inquit Crassus, eloquentia, neq; dicendi ratio, aut copia, sed iuris ciuilis prudentia, quod alter plus lege agẽdo petebat, quàm quantum lex in. XII. tabulis permiserat, quod cum impetrasset, causa caderet, alter iniquum putabat, plus secum agi, quàm quod esset in actione, neq; intelligebat, si ita esset actum, litem aduersarium perditurum. Quid his paucis diebus? non'ne nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris urbani familiaris nostri sedẽtibus, homo ex numero diserторũ postulabat? ut illi, unde peteretur uetus, atq; usitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuisset, quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat, ut si ille inficiator, probasset iudici ante petitam esse pecuniam, quàm esset cœpta deberi, petitor rursus cum peteret, ne exceptione excluderetur, quod ea res in iudicium antea non uenisset. Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici potest, quàm eum, qui hanc personam susceperit, ut amicorum controuersias, causas'q; tueatur, laborantibus succurrat, ægris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis, tenuissimis'q; rebus ita labi, ut alijs miserandus, alijs irridendus esse uideatur? Equidem propinquum nostrum P. Crassum illum diuitem, & multis alijs in rebus elegantem hominem, & ornatum, & præcipue in hoc ferendum, & laudandum puto, quod cum Scæuolæ frater

esset. solitus est ei persæpe dicere, neq; illum in iure ciuili satis uli arti facere posse, nisi dicendi copiã assumpsisset, quod quidem hic, qui mecum consul fuit, filius eius est consecutus. neq; se ante causas amicorum tractare, atq; agere cœpisse, quàm ius ciuile didicisset. Quid uero ille. M. Cato? non ne et eloquentia tanta fuit, quantam illa tẽpora, atq; illa ætas in hac ciuitate ferre maximam potuit, & iuris ciuilis omnium peritissimus? Verecundius hac de re iandudũ loquor, quod adest uir in dicendo summus, quem ego unum oratorem maxime admiror, sed tamen idem hoc semper ius ciuile contempsit. Verũ, quoniam sententiæ, atq; opinionis meæ uoluistis esse participes, nihil occultabo, & quoad potero, uobis exponam, quid de quaq; re sentiam.

Antonij incredibilis quædam, et propè singularis, et diuina uis ingenij, uidetur etiam, si hac scientia iuris nudata sit, posse facile cæteris armis prudentiæ causas tueri, atq; defendere. quamobrem hic nobis sit sæptus, cæteros uero non dubitabo primum inertiæ condemnare sententia mea, post etiã impudentiæ. Nam uolitare in foro, hærere in iure, ac prætorum tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerũ obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate, ac iure certetur, iactare se in causis centumuiralibus, in quibus usucapionum, tutelarũ, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circunluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarumq; rerum innumerabiliũ iura uersentur, cum omnino, quid suum, quid alienum, quare deniq; ciuis, an peregrinus, seruus, an liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiæ. Illa uero deridenda arrogantia est in minoribus nauigijs rudem esse se confiteri, quinqueremes autem, aut etiã maiores gubernare didicisse. Tu mihi, cum in circulo decapiare aduersarij stipulatiuncula, & cum obsignes tabellas clientis tui, qbus id sit scriptũ, quo ille capiatur, ego tibi ullã causam maiorẽ committendã putem? citius hercule is, qui duorum scalmorum nauiculã in portu euerterit, in euxino ponto argonautarum nauẽ gubernarit. Quid sine paruæ quidem causæ sunt, sed sæpe maximæ, in quibus certatur de iure ciuili? quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia iuris audet accedere? Quæ potuit igitur esse causa maior, quàm illius militis? de cuius morte cum domũ falsus ab exercitu nuntius uenisset, et pater eius re credita testamentũ mutasset, & quem ei uisum esset, fecisset hæredem, essetq; ipse mortuus, res delata est ad centumuiros, cum miles domum reuenisset, egissetq; lege in hæreditatem paternam, testamento exhæres filius. Nempe in ea causa

quæsitum est de iure ciuili, posset'ne paternorum bonorum exhæres esse filius, quem pater testamento neq; hæredem, neq; exhæredem scripsisset nominatim. Quid qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumuiri iudicarunt? cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudij patricij eiusdem hominis hæreditatem, gente, ad se reduisse dicerent, non'ne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis, ac gentilitatis iure dicendum? Quid quod item in centumuiralı iudicio certatum esse accepimus? qui Romam in exilium ueniisset', cui Romæ exulare ius esset, si se ad aliquem quasi patronum applicuisset, intestatóq; esset mortuus, non'ne in ea causa ius applicationis obscurum sane', & ignotum patefactum in iudicio, atq; illustratum est a' patrono? Quid nuper, cum ego C. Sergij Auratæ contra hunc nostrum Antonium iudicio priuato causam defenderem, non'ne omnis nostra in iure uersata defensio est? cum enim Marius Cratidianus ædes Auratæ uendidisset, neq; seruire quandam earum ædium partem in mancipij lege dixisset, defendebamus quicquid fuisset incommodi in mancipio, id si uenditor scisset, neq; declarasset, præstare debere. Quo quidem in genere familiaris noster M. Bucauleius homo neq; meo iudicio stultus, & sibi ualde sapiens, & a' iuris studio non abhorrens, simuli in re quodam modo nuper erraiuit. nam, cum ædes L. Fusio uenderet, in mancipio lumina uti tum essent, ita recepit, Fusius autem, simulatq; ædificari cœptũ est, in quadã parte urbis, quæ modo ex illis ædibus conspici posset, egit statim cũ Bucauleio, quod cuicunq; particulæ cœli officeretur, quamuis esset procul, mutata lumina putabat. Quid uero clarissima M. Curij causa, & M. Coponij nuper apud centumuiros, quo concursu hominum, qua expectatione defensa est? cum Q. Scæuola æqualis, & collega meus homo omnium & disciplina iuris ciuilis eruditissimus, & ingenio, prudentiáq; acutissimus, & oratione maxime limatus, atq; subtilis, atque ut ego soleo dicere, iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus, ex scripto testamentorum iura defenderet, negaretq; nisi posthumus, & natus, & ante quàm in suam tutelam ueniisset, mortuus esset, hæredem eum esse non posse, qui esset secundum posthumum, & natum, & mortuum hæres institutus, ego autem defenderem hac eum mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut si filius non esset, qui in tutelam ueniret, M. Curius esset hæres, num destitit uterq; nostrum in ea causa, in authoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est in medio iure ciuili uersari? Omitto iam plura exempla causarum am-

pissimarum, quæ sunt innumerabilia, Capitis nostri sæpe potest accidere, ut causæ uersentur in iure. Etenim si C. Manaeum nobilissimum, atq; optimum uirum, ac consularem, cum propter inuidiam numantini fœderis pater patratus ex senatusconsulto Numantinus dedidisset, eumq; illi non recepissent, posteaq; Manaeus domum reueniisset, neq; in senatum introire dubitasset, P. Rutilius. M. filius Tribunus Pl. de senatu iussit educi, quod eum ciuem negaret esse, quia memoria sic esset proditum, quem pater suus, aut populus uendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. Quam possumus reperire ex omnibus rebus ciuilibus causam, contentionemq; maiorem, quàm de ordine, de ciuitate, de libertate, de capite hominis consularis? præsertim, cum hæc non in crimine aliquo, quod ille posset inficiari, sed in ciuili iure consisteret. Similiq; in genere inferiore ordine, siquis apud nos seruisset ex populo fœderato, seseq; liberasset, ac postea domum reueniisset, quæsitum est apud maiores nostros, num is ad suos postliminio rediisset, & amisisset hanc ciuitatem. Quid de libertate, quo iudicium grauius esse nullum potest? non'ne ex iure ciuili potest esse contentio? cum quæritur is, qui domini uoluntate census sit, si non sit conditum lustrum, sit'ne liber. Quid quod usu memoria patrum uenit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam uenisset, cum uxorem prægnantem in prouincia reliquisset, Romæq; alteram duxisset, neq; nuntium priori remisisset, mortuusq; esset intestato, & ex utraq; filius natus esset, mediocris'ne res in controuersiam adducta est? cum quæreretur de duobus ciuium capitibus, & de puero, qui ex posteriore natus erat, & de eius matre, quæ, si iudicaretur, certis quibusdam uerbis non nouis nuptijs fieri cum superiore diuortium, in concubinæ locum duceretur. Hæc igitur, & horum similia iura suæ ciuitatis ignorantem, erectum, & celsum alacri, & prompto ore, ac uultu huc, atq; illuc intuentem, uagari magna cum caterua toto foro, præsidium clientibus, atq; opem amicis, & prope cunctis ciuibus lucem ingenij, & consilij sui porrigentem, atq; tendentem, non'ne in primis flagitiosum putandum est? Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segniciem hominum, atq; inertiam. Nam, si esset ista cognitio iuris magna, ac difficilis, tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendū discendi laborem impellere. Sed ó Dij immortales non dicerem hoc audiente Scæuola, nisi ipse dicere soleret, nullius sibi artis faciliorem cognitionem uideri, qđ quidĕ certis de causis a plerisq; aliter existimatur,

primum, quia ueteres illi, qui huic scientiæ præfuerũt, obtinendæ, atq; augendæ potentiæ suæ causa per uulgari artem suam noluerunt, deinde posteaquam est editum expositis à Cn. Flauio primũ actionibus, nulli fuerunt, q illa artificiose digesta generatim componerẽt, nihil est enim, quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, q illa tenet, quorum artem instituere uult, habet illam scientiã, ut ex ijs rebus, quarum ars non dum sit, artem efficere possit. hoc uideo, dũ breuiter uoluerim dicere, dictũ à me esse paulo obscurius, sed experiar, & dicam, si potero, planius. Omnia ferè, quæ sunt cõclusa nunc artibus, dispersa, & dissipata quondam fuerunt, ut in musicis numeri, & uoces, & modi. In geometria lineamenta, formæ, interualla, magnitudines. In astrologia cœli cõuersio, ortus, obitus, motus q; syderũ. In grammatica poëtarum pertractatio, historiarũ cognitio, uerborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus, in hac denig; ipsa ratione dicendi excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere, ignota quondam omnibus, et diffusa late uidebantur. adhibita est igitur ars quædam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi assumunt, quæ rem dissolutam, diuulsam q; conglutinaret, & ratione quadam constringeret. Sit ergo in iure ciuili finis hic, legitimæ, atq; usitatæ in rebus, causis q; ciuium æqualitatis conseruatio. Tum sunt notanda genera, & ad certũ numerũ, paucitatem q; reuocãda. Genus autem id est, quod sui similes communione quadam, specie autem differẽtes, duas, aut plures complectitur partes. Partes autẽ sunt, quæ generibus ijs, ex q bus emanant, subijciũtur. Omnia q;, quæ sunt uel generum, uel partiũ nomina, definitionibus, quam uim habeãt, est exprimendũ. Est enim definitio earũ rerũ, quæ sunt eius rei propriæ, quam definire uolumus, breuis, & circunscripta quædam explicatio. His ego rebus exempla adiungerẽ, nisi apud quos hæc haberetur oratio, cernerem, nunc cõplectar, quod proposui, breui. Si enim aut mihi facere licuerit, quod iandiu cogito, aut alius quispiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut primum omne ius ciuile in genera digerat, quæ per pauca sint, deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat, tum propriã cuiusq; uim definitione declaret, perfectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam, atq; uberem, quàm difficilem, & obscuram. Atq; interea tamen, dum hæc, quæ dispersa sunt, cogũtur, uel passim licet carpẽtem, & colligentem undiq;, repleri ista iuris ciuilis scientia. Non ne uidetis eqtem romanum hominem acutissimo omniũ ingenio, sed minime cæteris artibus eruditum C. Aculeonem, q mecum uiuit, semper q;

ſemperq; uixit, ita tenere ius ciuile, uti cum ab hoc diſceſſeris, nemo de ijs, qui peritiſſimi ſunt, anteponatur? Omnia enim ſunt poſita ante oculos, collocata in uſu quotidiano, in congreſſione hominum, atq; in foro, neq; ita multis literis, aut uoluminibus magnis cõtinentur. cadẽ enim ſunt elata primũ a` pluribus, deinde paucis cõmutatis uerbis etiã ab ijſdem ſcriptoribus ſcripta ſunt ſæpius. accedit uero quo facilius capi, cognoſciq; ius ciuile poſſit (quod minime pleriq; arbitrantur) mira quædam in cognoſcendo ſuauitas, & delectatio. Nam ſiquem aliena ſtudia delectant, plurima eſt & in omni iure, & in pontificum libris, & in duodecim tabulis antiquitatis effigies, quod & uerborũ priſca uetuſtas cognoſcitur, & actionum genera quædã maiorũ conſuetudinem, uitamq; declarant. Siue quis ciuilẽ ſcientiã contempletur, quam Scæuola non putat oratoris eſſe propriã, ſed cuiuſdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc deſcriptis omnibus ciuitatis utilitatibus, ac partibus XII. tabulis cõtineri uidebitis. Siue quem iſta præpotens, & glorioſa philoſophia delectat, dicam audacius, hoſce habet fontes omniũ diſputationum ſuarum, qui iure ciuili, & legibus continentur. ex his enim & dignitatem maxime expetendã uidemus, cum uerus, iuſtus, atq; honeſtus labor honoribus, præmijs, atq; ſplendore decoratur, uitia autem hominum, atq; fraudes, damnis, ignominijs, uinculis, uerberibus, exilijs, morte multantur, et docemur non infinitis, concertationumq; plenis diſputationibus, ſed authoritate, nutuq; legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Fremant omnes licet, dicã qđ ſentio, bibliothecas mehercule omniũ philoſophorum unus mihi uidetur XII tabularum libellus, ſiquis legum fontes, & capita uiderit, & authoritatis pondere, et utilitatis ubertate ſuperare. Ac ſi nos, id quod maxime debet, noſtra patria delectat, cuius rei tanta eſt uis, ac tanta natura, ut Ithacam illã in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulũ affixam ſapientiſſimus uir immortalitati anteponeret, quo amore tandẽ inflammati eſſe debemus in eiuſmodi patriam, quæ una in omnibus terris domus eſt uirtutis, imperij, dignitatis? cuius primum nobis mens, mos, diſciplina nota eſſe debet, uel qa eſt patria parens omniũ noſtrum, uel quia tanta ſapientia fuiſſe in iure conſtituendo putanda eſt, quanta fuit in his tantis opibus imperij comparandis. Percipietis etiam illã ex cognitione iuris lætitiã, & uoluptatem, quod quantum præſtiterint noſtri maiores prudẽtia cæteris gentibus, tum facillime intelligetis, ſi cum illorũ Lycurgo, et Dracone, & Solone noſtras leges cõferre uolueritis.

Incredibile est enim, quàm sit omne ius ciuile præter hoc nostrum inconditum, ac penè ridiculũ, de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cũ hominum nostrorũ prudentiã cæteris hominibus, & maximè græcis antepono. His ego de causis dixerã Scæuola, ijs, qui perfecti oratores esse uellent, iuris ciuilis cognitionem esse necessariam. Iam uero ipsa per sese quantum afferat ijs qui ei præsunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? Itaq; ut apud græcos infimi homines mercedula adducti ministros se præbent in iudicijs oratoribus, ij, qui apud illos πραγματικοὶ uocãtur, sic in nostra ciuitate cõtra amplissimus quisq;, & clarissimus uir, ut ille, qui propter hãc iuris ciuilis scientiã sic appellatus à summo poëta est.

Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus,

Multíq; præterea, qui cum ingenio sibi authore dignitatẽ reperissent, perfecerunt, ut in respõdendo iure authoritate plus etiam, q̃ ipso ingenio ualerent. Senectuti uero celebrandæ, et ornandæ, quod honestius potest esse perfugium, quàm iuris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidiũ iam inde ab adolescentia comparaui non solũ ad causarum usum forensem, sed etiam ad decus, atq; ornamentũ senectutis, ut cum me uires (quod ferè iam tempus aduentat) deficere cœpissent, ista, ab solitudine domũ meã uindicarem. Quid est. n. præclarius, q̃ honoribus, & reip. muneribus perfunctum senẽ posse suo iure dicere id, quod apud Enniũ dicat ille Pythius Apollo, se esse eũ, unde sibi, si non populi, & reges, at omnes sui ciues consiliũ expetãt.

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotesq; consili
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum ciuitatis. Testis est huiusce Q. Mutij ianua, et uestibulum, quod in eius infirmissima ualetudine, afflictáq; iam ætate maxima quotidie frequẽtia ciuium, ac summorũ hominum splendore celebratur. Iã illa non longã orationem desyderant, quamobrẽ existimẽ publica quoq; iura, quæ sunt propria ciuitatis, atq; imperij, tum monimenta rerũ gestarũ, & uetustatis exempla oratori nota esse debere. Nam ut in rerum priuatarũ causis, atq; iudicijs depromenda sæpe oratio est ex iure ciuili, et iaircò, ut ante diximus, oratori iuris ciuilis scientia necessaria est, sic in causis publicis iudicatorũ, cõcionum senatus, omnis hæc et antiquitatis memoria, & publici iuris authoritas, & regendæ reip. ratio, ac scientia, tanquã aliqua materies ijs oratoribus, q uersantur in rep. subiecta esse debent. Non. n. causidicum nescio quem, neq;

proclamatorem,

proclamatorem,aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus,sed eum uirum,qui primũ sit eius artis antistes,cuius cum ipsa natura magnã homini facultatẽ daret,tamen esse deus putatur,ut et ipsum, quod erat hominis proprium,non partum per nos,sed diuinitus ad nos delatum uideretur,deinde qui possit nõ tam cãduceo,quàm nomine oratoris ornatus incolumis uel inter hostiũ tela uersari,tum q scelus,fraudemq; nocentis possit dicendo subiçere odio cuiũ,supplicióq; constringere, idemq; ingenij præsidio innocentiam, iudicior ũ pœna liberare,idemq; languentem,labentemq; populũ aut ad decus excitare,aut ab errore deducere,aut inflãmare in improbos,aut incitatum in bonos,mitigare,q deniq; quencunq; in animis hoium motum res,et causa postulet,eum dicẽdo uel excitare possit,uel sedare, Hanc uim siquis existimat aut ab ijs,qui de dicendi ratione scripserunt,expositã esse,aut a me posse exponi tam breui,uehementer errat,neq; solũ inscientiã meam,sed ne rerum quidem magnitudinem pspicat. Equidem uobis,quoniã ita uoluistis,fontes,unde hauriretis, atq; itinera ipsa ita putaui esse demonstranda,non ut ipse dux essem, quod & infinitum est,& non necessariũ,sed ut cõmonstrarẽ tantũ uiã,&,ut fieri solet,digitũ ad fontes intenderẽ. Mihi uero inqt Mutius satis,superq; abs te uidetur istorũ studijs,si modo sunt studiosi esse factum.nam ut Socratem illũ solitum aiunt dicere,perfectũ sibi opus esse,siqs satis esset concitatus cohortatione sua ad studiũ cognoscẽdæ,percipiendæq; uirtutis,qbus enim id psuasum esset,ut nihil mallent se esse,quàm bonos uiros,ijs reliquam facilem esse doctrinã,sic ego intelligo,si in hæc,quæ patefecit oratione sua Crassus,intrare uolueritis,facillime uos ad ea,quæ cupitis,puenturos ab hoc aditu,ianuaq; patefacta. Nobis uero inqt Sulpitius,ista sunt pgrata,perq; iucunda,sed pauca etiã requirimus,in primisq; ea,quæ ualde breuiter a te Crasse de ipsa arte percursa sunt,cũ illa te & non contẽnere,& didicisse confiterere,ea si paulo latius dixeris,expleris omnẽ expectationẽ diuturni desyderij nostri.nã nunc qbus studẽdũ rebus esset,accepimus,quod ipsum est tamen magnum,sed uias earũ rerum, rationemq; cupimus cognoscere. Quid si inqt Crassus,quoniam ego quo facilius uos apud me tenerẽ,uestræ potius obsecutus sum uolutati,quàm aut consuetudini,aut naturæ meæ,petimus ab Antonio, ut ea,quæ continet,neq; adhuc protulit,ex qbus unũ libellũ sibi excidisse iandudũ questus est,explicet nobis, & illa dicendi mysteria enuntiet? Vt uidetur inqt Sulpitius.nã Antonio dicẽte etiã qd tu intelligas sentiemus. Peto igitur inqt Crassus a te,quoniã id no-

bis Antoni hominibus id ætatis oneris ab horum adoleſcentium ſtudijs imponitur, ut exponas quid ijs de rebus, quas a te quæri uides, ſentias. Deprehẽſum equidem me inquit Antonius, plane uideo, atq; ſentio, non ſolum quod ea requirũtur a me, quorum ſum ignarus, atq; inſolẽs, ſed quia qđ in cauſis ualde fugere ſoleo, ne tibi Craſſe ſuccedam, id me nunc iſti uitare non ſinunt, uerũ hoc ingrediar ad ea, quæ multis audacius, quod idem mihi ſpero uſu eſſe uenturũ in hac diſputatione, quod in dicẽdo ſolet, ut nulla expectetur ornata oratio. neq; enim ſum de arte dicturus, quã nunq̃ didici, ſed de mea conſuetudine, ipſáq; illa, quæ in commẽtariũ meũ retuli, ſunt eiuſmodi, nó aliqua mihi doctrina tradita, ſed in rerũ uſu, cauſisq; tractata, quæ ſi uobis hominibus eruditiſſimis non probabuntur, ueſtrã iniquitatẽ accuſatote, qui ex me ea quæſieritis, quæ ego neſcirẽ, meã facilitatem laudatote, cum uobis non meo iudicio, ſed ueſtro ſtudio inductus non grauate reſpondero. Tum Craſſus, Perge modo inquit Antoni, nullum eſt enim periculũ, ne quid tu eloquare, niſi ita prudẽter, ut neminem noſtrũ pœnitеat ad hũc te ſermonẽ impuliſſe.

Ego uero inquit pergam, & id faciam, quod in principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo, ut qd illud ſit, de quo diſputetur, explanetur, ne uagari, & errare cogatur oratio, ſi ij, q̃ inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud, de quo agitur, intelligent. Nã ſi forte quæreretur, quæ eſſet ars imperatoris, conſtituendũ putarem principio, quis eſſet imperator, qui cum eſſet conſtitutus adminiſtrator quidem belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidijs faciẽdis, atq; uitandis, de reliqs rebus, quæ eſſent propriæ belli adminiſtrandi, quarũ qui eſſent animo, & ſcientia cõpotes, eos eſſe imperatores dicerem, utereŕq; exẽplis Africanorũ, et Maximorum, Epamnundam, atq; Annibalem, atq; eius generis homines nominarẽ. Si autem quæreremus, q̃s eſſet is, qui ad remp. moderandam uſum, & ſcientiam, & ſtudium ſuum contuliſſet, definirem hoc modo. Qui quibus rebus utilitas reip. pararetur, augeretuŕq;, teneret, ijśq; uteretur, hunc reip. rectorẽ, & conſilij publici authorem eſſe habendum, prædicareḿq; Publium Lentulum principẽ illum, & Tiberiũ Gracchum patrem, & Quintum Metellum, & Publiũ Africanum, & C. Læliũ, & innumerabiles alios cũ ex noſtra ciuitate, tum ex cæteris. Sin autẽ quæreretur, quiſnam iuris conſultus uere nominaretur, eum dicerẽ, q̃ legum, & conſuetudinis eius, qua priuati in ciuitate uterẽtur, & ad reſpondẽdũ, et ad agendum,

dum,& ad cauendum peritus esset,& ex eo genere Sextum Aelium M.Manilium.P.Mutium nominarem.Atq; ut iam ad leuiora artiũ studia ueniam,si musicus,si grammaticus, si poëta quæratur,possim similiter explicare,quid eorũ quisq; profiteatur,& quo nõ amplius ab quoq; sit postulandum. Philosophi deniq; ipsius,qui de sua ui, ac sapientia unus omnia pene profitetur,est tamen quædam descriptio,ut is,qui studeat omnium rerum diuinarum,atq; humanarum uim,naturam,causasq; nosse, & omnem bene uiuendi rationẽ tenere,& persequi,nomine hoc appelletur. Oratorem autem, quoniam de eo quærimus,equidem non facio eundem,quem Crassus,qui mihi uisus est omnem omnium rerum,atq; artium scientiam comprehendere uno oratoris officio,ac nomine,atq; eum puto esse,qui & uerbis ad audiendũ iucundis,& sententijs ad probandũ accommodatis utì possit in causis forensibus,atq; communibus,hũc ego appello oratorẽ, eumq; esse præterea instructum uoce,& actione,& lepore quodã uolo.Crassus uero mihi noster uisus est oratoris facultatem nõ illius artis terminis,sed ingenij sui finibus immensis pene describere.nã et ciuitatum regendarũ oratori gubernacula sententia sua tradidit, in quo per mihi murũ uisum est Scæuola te hoc illi concedere, cum sæpissime tibi senatus breuiter,impoliteq; dicẽti maximis sit de rebus assensus,M.uero Scaurus,quẽ non longe ruri apud se esse audio, uir regendæ reip.scientissimus,si audierit hanc authoritatẽ grauitatis,& consilij sui uindicari a te Crasse,quod eam oratoris propriam esse dicas,iam credo huc ueniat,et hãc loquacitatem nostram uultu ipso,aspectuq; conterreat,qui,quanquã est in dicẽdo minime contemnendus,prudentia tamen rerũ magnarum magis,quàm dicẽdi arte nititur.Neq; uero,siquis utrunq; potest,aut ille consilij publici author, ac senator bonus,ob eã ipsam causam orator est,aut hic disertus,aut eloquens,si est idem in procuratione ciuitatis egregius,aliquam sciẽtiam dicendi copia est consecutus.multũ inter se distant istæ facultates,longeq; sunt diuersæ,atq; seiunctæ,neq; eadem ratione,ac uia M.Cato.P.Africanus.Q.Metellus.C.Lælius,qui omnes eloquẽtes fuerunt,orationẽ suam,& reip.dignitatem exornabant.neq; enim est interdictum aut a rerum natura,aut a lege aliqua,atq; more, ut singulis hominibus ne amplius,q̃ singulas artes nosse liceat.Quare non etsi eloquentissimus Athenis Pericles,idemq; in ea ciuitate plurimos annos princeps consilij publici fuit,icirco eiusdem hominis, atq; artis utraq; facultas existimanda est.nec si Publius Crassus idẽ fuit eloquẽs,et iuris peritus,ob eã causam inest in facultate dicẽdi iu-

ris ciuilis scientia. nam si quisq; ut in aliqua arte, & facultate excellens, aliam quoq; artem sibi assumpserit, is perficiet, ut quod præterea sciet, id eius, in quo excellet, pars quædam esse uideatur. licet ista ratione dicamus, pila bene, & duodecim scrupis ludere, proprium esse iuris ciuilis, quoniam utrunq; eorũ P. Mutius optime fecerit, eademq; ratione dicantur, & quos φυσικοὺς græci nominant, ijdẽ poëtæ, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit. at hoc ne philosophi quidem ipsi, qui omnia sicut propria sua esse, atq; a' se possideri uolunt, dicere audent, geometriam, aut musicam philosophi esse, quia Platonem omnes in illis artibus præstantissimum fuisse fateãtur. Ac si iam placet, omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est sic potius dicere, ut quoniã dicendi facultas non debeat esse ieiuna, atq; nuda, sed aspersa, atq; distincta multarum rerum iucunda quadam uarietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa uidisse, multa animo, & cogitatione, multa etiam legendo percurrisse, neq; ea, ut sua possedisse, sed ut aliena libasse. fateor enim callidum quendam hunc, & nulla in re tironem, ac rudem, nec peregrinum, atq; hospitem in agendo esse debere. Neq; uero istis tragœdijs tuis, quibus uti philosophi maxime solent, Crasse perturbor, quod ita dixisti nemnem posse, eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflãmatas restinguere, cũ eo maxime uis oratoris, magnitudoq; cernatur, nisi qui rerũ omnium naturam, mores hominum, atq; rationes penitus perspexerit, in quo philosophia sit oratori necessario percipiẽda, quo in studio hominum ingeniosissimorum otiosissimorum totas ætates uidemus esse contritas, quorum ego copiam, magnitudinemq; cognitionis, atq; artis non modo non contemno, sed etiam uehementer admiror, nobis tamen, qui in hoc populo, foroq; uersamur, satis est ea de moribus hominum & scire, & dicere, quæ non abhorrent ab hominũ moribus. Quis enim unquam orator magnus, et grauis, cum iratũ aduersario iudicem facere uellet, hæsitauit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, feruor ne mentis, an cupiditas puniẽdi doloris? quis cum cæteros animorum motus aut iudicibus, aut populo dicendo mouere, atq; agitare uellet, ea dixit, quæ a' philosophis dicta solent? qui partim omnino motus negãt in animis ullos esse debere, quiq; eos in iudicũ mẽtibus cõcitent scelus eos nefariũ facere, partim q tolerabiliores uolunt esse, et ad ueritatẽ uitæ propius accedere, per mediocres, ac potius leues motus debere esse dicunt. Orator autem omnia hæc, quæ putantur in cõmuni uitæ cõsuetudine mala, ac molesta, et fugiẽda, multo maiora, et acerbiora uerbis facit. itemq; ea, quæ

uulgo

uulgo expetenda, atq; optabilia uidentur, dicendo amplificat, atque ornat, neq; uult ita sapiens inter stultos uideri, uti qui audiant, aut illum ineptum, aut græculum putent, aut etiam si ualde probent ingenium, oratoris sapientiam admirentur, se esse stultos moleste ferant, sed ita peragrat per animos hominum, ita sensus, mentesq; pertractat, ut non desyderet philosophorum descriptiones, neque exquirat oratione, summum illud bonum in animo ne sit, an in corpore? uirtute, an uoluptate definiatur? an hæc inter se iungi, copulariq; possint? an uero, ut quibusdam uisum, nihil certum sciri, nihil plane cognosci, & percapi possit? quarum rerũ fateor magnã, multiplicemq; esse disciplinam, & multas, copiosas, uariasq; rationes. Sed aliud quiddã longe aliud Crasse quærimus. acuto homine nobis opus est, et natura, usuq; callido, qui sagaciter peruestiget, quid sui caues, ijq; homines, qbus aliquid dicendo persuadere uelit, cogitent, sentiant, opinentur, expectent. Teneat oportet uenas cuiusq; generis, ætatis, ordinis, & eorũ, apud quos aliquid aget, aut erit acturus, mentes, sensusq; degustet. Philosophorũ autem libros reseruet sibi ad huiusmodi thusculani requiem, atque otium, ne si quando ei dicendum erit de iustitia, & fide, mutuetur a Platone, qui, cum hæc exprimenda uerbis arbitraretur, nouam quandam finxit in libris ciuitatem, usq; eo illa, quæ dicenda de iustitia putabat, a uitæ consuetudine, & a ciuitatum moribus abhorrebant. Quod si ea probarentur in populis, atq; in ciuitatibus, quis tibi Crasse concessisset clarissimo uiro, & amplissimo principi ciuitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum ciuium, quæ dixisti? Eripite nos ex miserijs, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest explcri, nolite sinere nos cuiquam seruire, nisi uobis uniuersis, quibus & possumus, & debemus. Omitto miserias, in quibus, ut illi aiunt, uir fortis esse non potest, omitto fauces, ex quibus te eripi uis, ne iudicio iniquo exorbeatur sanguis tuus, quod sapienti negant accidere posse, seruire uero non modo te, sed uniuersum senatum, cuius tum causam agebas, ausus sit dicere? potest ne uirtus Crasse seruire istis authoribus, quorum tu præcepta oratoris facultate complecteris? quæ & semper, & sola libera est, quæq; etiam, si corpora capta sint armis, aut constricta uinculis, tamen suum ius, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat. Quæ uero addidisti non modo senatum seruire posse populo, sed etiam debere, quis hoc philosophus tam mollis, tam languidus, tam eneruatus, tam omnia ad uoluptatem corporis, doloremq; referens probare

posset? senatum seruire populo, cui populus ipse moderandi, et regendi sui potestatem quasi quasdam habenas tradidisset? Itaq; hæc, cũ a' te diuinitus ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus homo doctus, et philosophiæ deditus, non parũ commode, sed etiam turpiter, et flagitiose dicta esse dicebat. Idem Q. Seruium Galbam, quem homnẽ probe commemminisse se aiebat pergrauiter reprehẽdere solebat, quod is L. Scribonio quæstionem in eum ferente, populi misericordiã concitasset, cum M. Cato Galbæ grauis, atq; acer inimicus aspere apud populum R. & uehementer esset locutus, quam orationem in originibus suis exposuit ipse. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, qđ is C. Sulpitij Galli propinqui sui Q. pupillum filiũ ipse pene' in humeros suos extulisset, qui patris clarissimi recordatione, & memoria fletum populo moueret, et duos filios suos paruos tutelæ populi cõmendasset, ac se tanq̃ in procinctu testamentum faceret sine libra, atq; tabulis populum R. tutorem instituere dixisset illorum orbitati. Itaq; cum & inuidia, et odio populi tum Galba premeretur, his quoq; eũ tragœdijs liberatum, ferebat, quod item apud Catonẽ scriptum esse uideo, nisi pueris, & lacrymis usus esset, pœnas eum daturum fuisse. Hæc Rutilius ualde uituperabat, et huic humilitati dicebat uel exiliũ fuisse, uel mortem anteponendã. Neq; uero hoc solũ dixit, sed ipse & sensit, & fecit. nam cum esset ille uir exemplum, ut scitis, innocentiæ, cumq; illo nemo neq; integrior' esset in ciuitate, neq; sanctior, non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidẽ, aut liberius causam dicã suam, quam simplex ratio ueritatis ferebat. paulum huic Cottæ tribuit partium disertissimo adolescenti sororis suæ filio. dixit item causam illam quadã ex parte. Q. Mutius more suo, nullo apparatu pure, & dilucide, quod si tu tunc Crasse dixisses, qui subsidium oratori ex illis disputationibus, quibus philosophi' utuntur, ad dicendi copiam petendum esse paulo ante dicebas, & si tibi pro P. Rutilio non philosophorum more, sed tuo licuisset dicere, q̃uis scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt pestiferi caues, supplicioq; digni, tamẽ omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus euellisset uis orationis tuæ. nunc talis uir amissus est, dum causa ita dicitur, ut si in illa commentitia Platonis ciuitate res ageretur. nemo ingemuit, nemo inclamauit patronorũ, nihil cuiq̃ doluit, nemo est questus, nemo remp. implorauit, nemo supplicauit, Quid multa? pedẽ nemo in illo iudicio supplosit. credo, ne stoicis renuntiaretur. Imitatus est homo Romanus, & consularis ueterem illum Socratem, qui cũ omniũ sapientissimus esset, sanctissimeq; uixisset, ita in iudicio capitis pro se ipse dixit,

ipſe dixit, ut non ſupplex, aut reus, ſed ut magiſter, aut dominus uideretur eſſe iudicũ. quin etiã, cum ei ſcriptam orationem diſertiſſimus orator Lyſias attuliſſet, quam, ſi ei uideretur, ediſceret, ut ea pro ſe in iudicio uteretur, non multus legit, & commode ſcriptam eſſe dixit, ſed inquit, ut ſi mihi calceos ſicyonios attuliſſes, non uterer, q̃uis eſſent habiles, & apti ad pedem, quia non eſſent uiriles, ſic illã orationem diſertam ſibi, & oratoriam uideri, fortem, et uirilẽ non uideri. Ergo ille quoq; damnatus eſt, neq; ſolum primis ſententijs, quibus tantum ſtatuebant iudices damnarent, an abſoluerent, ſed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis reo damnato, ſi fraus capitalis non eſſet, quaſi pœnæ æſtimatio, ex ſententia cũ iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quaſi æſtimationem commeruiſſe ſe maxime confiteretur, quod cum interrogatus Socrates eſſet, reſpondit ſeſe meruiſſe, ut ampliſſimus honoribus, et præmijs decoraretur, & ut ei uictus quotidianus in prytaneo publicæ præberetur, qui honos apud græcos maximus hẽretur, cuius reſponſo ſic iudices exarſerũt, ut capitis hominem innocentiſſimũ condemnarent, qui quidem ſi abſolutus eſſet (quod mehercule, etiam ſi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenij magnitudinem, uellem) quo nam modo iſtos philoſophos ferre poſſemus, qui nunc, cum ille damnatus eſt nullam aliam ob culpam, niſi propter dicendi inſcitiam, tamen a' ſe oportere dicunt peti præcepta dicendi? quibus cum ego non pugno, utrum ſit melius, aut uerius, tantum dico et aliud illud eſſe atq; hoc, & hoc ſine illo ſummum eſſe poſſe. Nam, quod ius ciuile Craſſe tam uehementer amplexus es, uideo quid cgeris, tũ cum dicebas uidebam. Primum Scæuolæ te dedidiſti, quẽ omnes amare meritiſſimo pro eius eximia ſuauitate debemus, cuius artem cum indotatam eſſe, atq; incomitatam, et incomptam uideres, uerborum eam dote locupletaſti, & ornaſti, Deinde quod in ea tu plus operæ, laboriſq; conſumpſeras, cum eius ſtudij tibi & hortator, et magiſter eſſet dom, ueritus es, niſi iſtam artem oratione exaggeraſſes, ne operam perdidiſſes, ſed ego ne cum iſta quidem arte pugno, ſit ſanè tanta, quantam tu illam eſſe uis, etenim ſine controuerſia & magna eſt, & late patet, & ad multos pertinet, et ſummo in honore ſemper fuit, & clariſſimi ciues ei ſtudio etiam hodie præſunt. ſed uide Craſſe ne dum nouo, & alieno ornatu uelis ornare iuris ciuilis ſcientiam, ſuo quoq; eam conceſſo, & tradito ſpolies, atque denudes. Nam ſi ita diceres, qui iuris conſultus eſſet, eſſe eum oratorem, itẽq; qui eſſet orator, iuris eundem eſſe conſultũ, præclaras duas artes cõ-

*ſtituere*s, *atq; inter ſe pares*, *& eiuſdem ſocias dignitatis*, *nunc uero iuris conſultum ſine hac eloquentia*, *de qua quærimus fateris eſſe poſſe*, *fuiſſeq; plurimos*, *oratorem negas*, *niſi illam ſcientiam aſſumpſerit*, *eſſe poſſe*, *ita & tibi iuris conſultus ipſe per ſe nihil*, *niſi leguleius quidam cautus*, *& acutus*, *præco actionum*, *cantor formularũ*, *auceps ſyllabarum*. Sed *quia ſæpe utitur orator ſubſidio iuris in cauſis*, *icirco iſtam iuris ſcientiam eloquentiæ tanquam ancillulam*, *pediſſequãq; adiunxiſti*. Quod *uero impudentiam admiratus es eorum patronorum*, *qui aut cum parua neſcirent*, *magna profiterentur*, *aut ea*, *quæ maxima eſſent in iure ciuili*, *tractare auderent in cauſis*, *cum ea neſcirent*, *nunquamq; didiciſſent*, *utriuſq; rei facilis eſt*, *& prompta defenſio*. Nam *neq; illud eſt mirandum*, *qui quibus uerbis coemptio fiat*, *neſciat*, *eundem eius mulieris*, *quæ coemptionem fecerit*, *cauſam poſſe defendere*. Nec *ſi parui nauigij*, *& magni eadem eſt in gubernando ſcientia*, *icirco qui quibus uerbis heraſcæri oporteat*, *neſciat*, *idem heraſcundæ familiæ cauſam agere non poſſit*. Nam *quod maximas centumuirales cauſas in iure poſitas protuliſti*, *quæ tandem earum cauſa fuit*, *quæ ab homine eloquenti iuris imperito nõ ornatiſſime potuerit dici? quibus quidẽ in cauſis omnibus ſicut in ipſa* M. Curij, *quæ abs te nuper eſt dicta*, *& in* C. Hoſtilij Mancini *controuerſia*, *atq; in eo puero*, *qui ex altera natus erat uxore*, *non remiſſo nuntio ſuperiori*, *fuit inter peritiſſimos hominesſumma de iure diſſenſio*. Quæro *igitur qd adiuuerit oratorẽ in his cauſis iuris ſcientia? cum hic iuris conſultus ſuperior fuerit diſceſſurus*, *qui eſſet non ſuo artificio*, *ſed alieno*, *hoc eſt non iuris ſcientia*, *ſed eloquentia ſuſtentatus*. Equidem *hoc ſæpe audiui cum ædilitatem* P. Craſſus *peteret*, *eumq; maior natu*, *etiam conſularis*, Seruius Galba *aſſectaretur*, *quod* Craſſi *filiam* C. *filio ſuo deſpondiſſet*, *accęſſiſſe ad* Craſſum *conſulendi cauſa quendam ruſticanum*, *qui*, *cum* Craſſum *ſeduxiſſet*, *atq; ad eum retuliſſet*, *reſponſumq; ab eo uerum magis*, *quàm ad ſuam rem accommodatum abſtuliſſet*, *ut eum triſtem* Galba *uidit*, *nomine appellauit*, *quæſiuitq;*, *qua de re ad* Craſſum *retuliſſet*, *ex quo ut audiuit*, *commotumq; ut uidit hominem*, *ſuſpenſo inquit animo*, *& occupato* Craſſum *tibi reſpondiſſe uideo*. *deinde ipſum* Craſſum *manu prehendit*, *& heus tu inquit*, *quid tibi in mentem uenit ita reſpondere? tum ille fidenter homo peritiſſimus confirmare*, *ita ſe rem habere*, *ut reſpondiſſet*, *nec dubium eſſe poſſe*. Galba *autem alludens uarie*, *& copioſe multas ſimulitudines afferre*, *multaq; pro æquitate contra ius dicere*, *atque*

illum cum disserendo par esse non posset, quanquam fuit Crassus in numero disertorum, sed par Galbæ nullo modo, ad authores confugisse, & id, quod ipse diceret, & in P. Mutij fratris sui libris, & in sex. Aelij commentarijs scriptum protulisse, ac tamen concessisse Galbæ disputationem sibi probabilẽ, & propè uerã uideri. Attamen, quæ causæ sunt eiusmodi, ut de earum iure dubium esse non possit, omnino in iudicium uocari non solent. Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quàm ei filius natus est, hæreditatem petit? nemo, quia constat agnascendo rumpi testamentum. ergo in hoc genere iuris iudicia nulla sunt. Licet igitur impune oratori omnẽ hanc partem iuris in controuersijs ignorare, quæ pars sine dubio multo maxima est. In eo autem iure, quod ambigitur inter peritissimos, non esse difficile oratori eius partis, quancunq; defendet, authorem aliquẽ inuenire, à quo cum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis, uiribusq; torquebit. Nisi uero, bona uenia huius optimi uiri dixerim Scæuolæ, tu libellis, aut præceptis soceri tui causam M. Curij defendisti, non'ne arripuisti patrocinium æquitatis, & defensionem testamentorum, ac uoluntatis mortuorum? Ac mea quidem sententia (frequens cum te audiui, atq; affui) multo maiorem partem sententiarũ sale tuo, & lepore, & politissimis facetijs pellexisti, cum & illud nimium acumen illuderes, & admirarere ingenium Scæuolæ, qui excogitasset nasci prius oportere, quàm emori, cumq; multa colligeres, & ex legibus, & ex senatusconsultis, & ex uita, ac sermone communi non modo acute, sed etiam ridicule, ac facete, ubi, si uerba non rem sequeremur, confici nihil posset. Itaque hilaritatis plenum iudicium, ac lætitiæ fuit, in quo quid tibi iuris ciuilis exercitatio profuerit, non intelligo, dicendi uis egregia summa festiuitate, & uenustate coniuncta profuit.

Ipse ille Mutius paterni iuris defensor, & quasi patrimonij propugnator sui, quid in illa causa, cum contra te diceret, attulit, quod de iure ciuili depromptum uideretur? quam legem recitauit? quid patefecit dicendo, quod fuisset imperitis occultius? nempe eius omnis oratio uersata est in eo, ut scriptum plurimum ualere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes, cum in eiusmodi causis aliâs scriptum, aliâs æquitatem defendere docentur. Et credo in illa militis causa si tu, aut hæredẽ, aut militem defendisses, ad hostilianas te actiones non ad tuã uim, & oratoriam facultatem contulisses, tu uero uel si testamentum defenderes, sic ageres, ut omne omniũ testamentorum ius in eo iudi-

ao positum uideretur,uel si causam ageres militis,patrem eius,ut soles,dicendo à mortuis excitasses,statuisses ante oculos,complexus esset filium,flensq; eum centumuiris commendasset, lapides mehercule omnes flere,ac lamentari coegisset,ut totum illud,uti lingua nuncupasset,non in.XII.tabulis,quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum uideretur. Nam,quod inertiam accusas adolescentium, qui istam artem primum facillimam non ediscant,quæ quàm sit facilis,illi uiderint,qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit,ita subnixi ambulant,deinde etiam tu ipse uideris,qui eam artem facilem esse dicas,quam concedis adhuc artem omnino non esse,sed aliquando,siquis aliam artem didicerit,ut hãc artem efficere posset,tum esse illam artem futurã,deinde quod sit plena delectationis,in qua tibi remittunt omnes istam uoluptatem, & ea se carere patiuntur,nec quisquam est eorum,qui,si iam sit ediscendum sibi aliquid,non Teucrum Pacuuij malit,quàm manlianas uenalium uendendorum leges ediscere. Tu autem,quod amore patriæ censes,nos nostrorum maiorum inuenta nosse debere,nõ uides ueteres leges,aut ipsas sua uetustate consenuisse,aut nouis legibus esse sublatas. Quod uero uiros bonos iure ciuili fieri putas,qa legibus & præmia proposita sint uirtutibus, & supplicia uitijs,equidem putabam uirtutem hominibus(si modo tradi ratione possit)instituẽdo,& persuadendo non minis,& ui,ac metu tradi.nam ipsum q̃dem illud etiã sine cognitione iuris,quàm sit bellum cauere malum, scire possumus. De me autẽ ipso,cui uni tu concedis,ut sine ulla iuris scientia tamen causis satisfacere possem,tibi hoc Crasse respondeo,neq; me unquam ius ciuile didicisse,neq; tamen in ijs causis, quas in iure possem defendere,unquam istã scientiam desyderasse. Aliud est enim esse artificem cuiusdam generis,atq; artis,aliud in cõmuni uita,& uulgari hominum consuetudine non hebetem,nec rudẽ.cui nostrũ non licet fundos nostros obire?aut res rusticas,uel fructus causa,uel delectationis inuisere?tamen nemo tam sine oculis,tam sine mente uiuit,ut qd sit sementis,ac messis,quid arborũ putatio,ac uitium,quo tẽpore anni,aut quo modo ea fiant,omnino nesciat.Num igitur,sicui fundus inspiciẽdus,aut si mandandũ aliquid procuratori de agricultura,aut imperandũ uillico sit,Magonis Carthaginiensis sunt libri perdiscendi? an hac communi intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non ijdem in iure ciuili,præsertim cum in causis,& in negotijs, & in foro conteramur, satis instructi esse possimus ad hoc duntaxat, ne in nostra patria peregrini, atque aduenæ esse

uideamur? Ac si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile credo sit cum hoc Scæuola cõmunicare, quanquam ipsi omnia, quorum negotium est consulta ad nos, et exquisita deferunt. An uero si de re ipsa, si de finibus, cum in rem præsentem non uenimus, si de tabulis, et præscriptionibus controuersia est, contortas res, et sæpe difficiles necessario pdiscimus? si leges nobis, aut si hominum peritorũ responsa cognoscenda sunt, ueremur'ne ea, si ab adolescentia iuri ciuili minus studuerimus, non queamus cognoscere? Nihil'ne igitur prodest oratori iuris ciuilis scientia? non possum negare, prodesse ullã scientiam, ei præsertim, cuius eloquentia copia rerũ debeat esse ornata, sed multa, & magna, & difficilia sunt ea, quæ sunt oratori necessaria, ut eius industriã in plura studia distrahere nolim. Quis neget, opus esse oratori in hoc oratorio motu, statuq; Roscij gestum, et uenustatem? tamen nemo suaserit studiosis dicendi adolescentibus in gestu discendo histrionum more elaborare. Quid est oratori tam necessarium, quàm uox? tamen me authore nemo dicendi studiosus græcorũ more, & tragœdorum uoci seruiet, q et annos complures sedẽtes declamitant, & quotidie ante quàm pronuntient, uocem cubantes sensim excitant, eandemq; cum egerunt, sedentes ab acutissimo sono usq; ad grauissimum sonum recipiunt, & quasi quodãmodo colligunt, hoc nos si facere uelimus, ante condemnentur ij, quorũ causas receperimus, quàm toties, quoties pscribitur, Pæanem, aut Munionẽ citarimus. Quod si in gestu, q multum oratorẽ adiuuat, & in uoce, quæ una maxime eloquentiam uel commendat, uel sustinet, elaborare nobis non licet, ac tantum in utroq; assequi possumus, quantum in hac acie quotidiani muneris spatij nobis datur, quanto minus est ad iuris ciuilis pdiscendi occupationem descendẽdũ? quod & summatim percipi sine doctrina potest, & hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem, quod uox, & gestus subito sumi, & alicunde arripi non potest, iuris utilitas ad quanq; causam, quamuis repẽte uel a' peritis, uel de libris deprom potest. Itaq; illi disertissimi homines ministros habent in causis iuris peritos, cũ ipsi sint pitissimi, & q, ut abs te paulo ante dictũ est, pragmatici uocãtur, in quo nostri omnino melius multo, quod clarissimorũ hominũ authoritate leges, & iura tecta esse uoluerunt, sed tamen nõ fugisset hoc græcos homines, si ita necesse esse arbitrati essent, oratorẽ ipsum erudire in iure ciuili, non ei pragmaticũ adiutorẽ dare. Nam quod dicis senectutẽ a' solitudine uindicari iuris ciuilis scientia, fortasse etiã pecuniæ magnitudine, sed nos non quid nobis utile, uerũ quid oratori necessa-

rium sit quærimus, quanquam, quoniã multa ad oratoris simlitudinem ab uno artifice summus, solet idem Roscius dicere, se quo plus sibi ætatis accederet, eo tardioris tibicinis modos, & cantus remissiores esse facturum. Quod si ille astrictus certa quadam numerorũ moderatione, & pedum, tamen aliquid ad requiẽ senectutis excogitat, quanto facilius nos non laxare modos, sed totos mutare possumus? Neq; enim hoc te Crasse fallit, quàm multa sint, & quàm uaria genera dicẽdi, & quod haud sciam, an tu primus ostenderis, q iãdiu multo dicas remissius, & lenius, quàm solebas, neq; minus, hæc tamen tua grauissima sermonis lenitas, quàm illa summa uis, & contentio probatur, multíq; oratores fuerunt, ut illũ Scipionẽ audimus, & Lælium, qui omnia sermone conficerent paulo intentiore, nunquã ut Seruius Galba lateribus, aut clamore contenderẽt. Quod si iam hoc facere non poteris, aut noles, uereris'ne tua domus talis & uiri, & cuius, si a' litigiosis hominibus nõ colatur, a' cæteris deseratur? Equidẽ tantũ absum ab ista sententia, ut non modo non arbitrer subsidiũ senectutis in eorũ, qui consultum ueniant multitudine esse ponendũ, sed tanquam portum aliquem expectem istam, quam tu times, solitudinẽ. Subsidiũ enim bellissimũ existimo esse senectuti otium. Reliqua uero etiam si adiuuant, historiã dico, & prudentiam iuris publici, & antiquitatis iter, et exẽplorum copiam, siquando opus erit, a' uiro optimo, & istis rebus instructissimo familiari meo Lógo mutuabor. Neq; repugnabo, quo minus (id quod modo hortatus es) omnia legant, omnia audiant, in omni rẽcto studio, atq; humanitate uersentur, sed mehercule nõ ita multum spatij mihi uidetur, si modo ea facere, et persequi uolent, quæ a' te Crasse præcepta sunt, q mihi prope' etiã nimis duras leges imponere uisus es huic ætati, sed tamen ad id, quod cupiũt adipiscendũ prope' necessarias. Nã & subitæ ad propositas causas exercitationes, et accuratæ, & meditatæ cõmentationes, ac stylus ille tuus, quẽ tu uere dixisti pfectorẽ dicẽdi esse, ac magistrũ, multi sudoris est, et illa orationis suæ cũ scriptis alienis cõparatio, et de alieno scripto, subita, uel laudãdi, uel uituperãdi, uel cõprobandi, uel refellendi causa, disputatio, nõ mediocris cõtentionis est uel ad memoriã, uel ad imitandum. Illud uero fuit horribile, qđ mehercule uereor, ne maiorẽ uim ad deterrendũ habuerit, quàm ad cohortandũ. uoluisti enim in suo genere unum quenq; nostrũ quasi quendam esse Roscium, dixistíq; non tam ea, quæ recta essent, probari, quàm quæ praua sunt fastidijs adhærescere, quod ego non tam fastidiose in nobis, quàm in hi-

ſtrionibus ſpectari puto. Itaq; nos raucos ſæpe attentiſſime audiri uideo, tenet enim res ipſa, atq; cauſa, at Aeſopum, ſi paulum irrauſerit, explodi. A' quibus enim nihil, præter uoluptatem aurium, quæritur, in ijs offenditur, ſimulatq; immmuitur aliquid de uoluptate. In eloquentia autem multa ſunt, quæ teneant, quæ ſi omnia ſumma non ſunt, & pleraq; tamen magna ſunt, neceſſe eſt ea ipſa, quæ ſunt, mirabilia uideri. Ergo ut ad primum illud reuertar, ſit orator nobis is, qui ut Craſſus deſcripſit, accommodate ad pſuadēdū poſſit dicere, is autem concludatur in ea, quæ ſunt in uſu cuitatum uulgari, ac forenſi, remotiſq; cæteris ſtudijs, quamuis ea ſunt ampla, atq; præclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes, & dies urgeatur, imteturq; illum, cui ſine dubio ſumma uis dicendi conceditur, Athenienſem Demoſthenem, in quo tantum ſtudium fuiſſe, tantusq; labor dicatur, ut primum impedimenta naturæ diligentia, induſtriaq; ſuperaret, cūq; ita balbus eſſet, ut eius ipſius artis, cui ſtuderet, primā literam non poſſet dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. deinde cum ſpiritus eius eſſet anguſtior, tantum continenda anima in dicendo eſt aſſecutus, ut una continuatione uerborū (id quod eius ſcripta declarant) binæ ei contentiones uocis, & remiſſiones continerentur, qui etiam (ut memoriæ proditū eſt) coniectis in os calculis, ſumma uoce uerſus multos uno ſpiritu pronuntiare conſueſcebat, neq; is conſiſtens in loco, ſed inambulans, atq; aſcenſu ingrediens arduo. Hiſce ego cohortationibus Craſſe ad ſtudium, & ad laborem incitandos iuuenes uehementer aſſentior, cætera, quæ collegiſti ex uarijs, & diuerſis ſtudijs, & artibus, tametſi ipſe es omnia conſecutus, tamē ab oratoris proprio officio, atq; munere ſeiūncta eſſe arbitror. Hæc cum Antonius dixiſſet, ſanè dubitare uiſus eſt Sulpitius, & Cotta, utrius oratio propius ad ueritatem uideretur accedere. Tum Craſſus, Operarium nobis quendam Antonij oratorem facis, atq; haud ſcio, an aliter ſentias, & utare tua illa murifica ad refellendū conſuetudine, qua tibi nemo unquam præſtitit, cuius quidē ipſius facultatis exercitatio oratorum propria eſt, ſediā in philoſophorū conſuetudine uerſatur, maximeq; corū, qui de omnire propoſita in utranq; partem ſolent copioſiſſime dicere. Verū ego non ſolum arbitrabar, his præſertim audientibus, à me informari oportere, qualis eſſe poſſet is, qui habitaret in ſubſellijs, neq; quicq̄ amplius afferret, quàm quod cauſarum neceſſitas poſtularet, ſed maius quiddam uidebam, cum cenſebam oratorē, præſertim in noſtra rep. nullius ornamenti expertem eſſe oportere, tu autem quoniam

exiguis quibuſdã finibus totum oratoris munus circundediſti, hoc facilius nobis expones ea, quæ abs te de officijs, præceptisq; oratoris quæſita ſunt, ſed opinor ſecundũ hunc diẽ, ſatis enim multa à nobis hodie dicta ſunt. Nunc & Scæuola, quoniam in Thuſculanum ire conſtituit, paulum requieſcet, dum ſe calor frangat, & nos ipſi, quoniam id temporis eſt, ualetudini demus operam. Placuit ſic omnibus.

Tum Scæuola, Sane inquit uellem non conſtituiſſe in Thuſculanum me hodie uenturum eſſe Lælio. libenter audirem Antonium, & cum exurgeret ſimul arridens, neq; enim inquit, tam mihi molestus fuit, quod ius noſtrum ciuile peruellit, quàm iucundus, quod ſe id neſcire confeſſus eſt.

M. TVLLII CICERONIS DE ORATORE LIBER SECVNDVS.

AGNA Nobis pueris Quinte frater, ſi memoria tenes, opinio fuit. L. Craſſum non plus attigiſſe doctrinæ, quàm quantũ prima illa puerili inſtitutione potuiſſet. M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem, atq; ignarum fuiſſe, erantq; multi, qui, quanquã ita ſe rem habere arbitrarentur, tamen quo facilius nos incenſos ſtudio diſcendi à doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi de illis oratoribus prædicarẽt, ut ſi homines non eruditi ſummam eſſent prudentiam, atq; incredibilem eloquentiam conſecuti, inanis omnis noſter eſſe labor, et ſtultum in nobis erudiendis patris noſtri optimi, ac prudentiſſimi uiri ſtudiũ uideretur. Quos tum ut pueri refutare domeſticis teſtibus patre, & C. Aculeone propinquo noſtro, & L. Cicerone patruo ſolebamus, quod de Craſſo pater, et Aculeo, quo cum erat noſtra materterra, quem Craſſus dilexit ex omnibus plurimum, & patruus, qui cũ Antonio in Ciliciã profectus unà deceſſerat, multa nobis de eius ſtudio, doctrinaq; ſæpe narrauit, cumq; nos cũ conſobrinis noſtris Aculeonis filijs, & ea diſcerenus, quæ Craſſo placerent, et ab his doctoribus, qbus ille uteretur, erudiremur, etiam illud ſæpe intellexiimus (cum eſſemus eiuſmodi, quod uel pueri ſentire poteramus) illum & græce ſic loqui, nullã aut noſſe aliam linguã uideretur, & doctoribus noſtris ea ponere in pũctando, eaq; ipſum omni in ſermone tractare, ut nihil eſſe ei nouũ, nihil inauditũ uideretur. De Antonio uero,

uero, quanquam sæpe ex humanissimo homine patruo nostro accepe
ramus, quemadmodum ille uel Athenis, uel Rhodi se doctissimorum
hominum sermonibus dedidisset, tamen ipse adolescentulus quantum
illius ineuntis ætatis meæ patiebatur pudor, multa ex eo sæpe quæsi
ui. Non erit profecto tibi, quod scribo, hoc nouũ (nam iam tum ex me
audieb as) mihi illum ex multis, uarijsq; sermonibus, nullius rei, quæ
quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare possem, ru-
dem, aut ignarum esse uisum. Sed fiunt hoc in utroq; eorum, ut Cras-
sus non tam existimari uellet non didicisse, quàm illa despicere, et no
strorum hominum in omni genere prudentiam græcis anteferre. An
tonius autem probabiliorẽ hoc populo orationem fore cẽsebat suã,
si omnino didicisse nunquam putaretur, atq; ita se uterq; grauiorem
fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem græcos uideretur.
Quorum cõsilium quale fuerit, nihil sanè ad hoc tempus, illud au
tem est huius institutæ scriptionis, ac temporis, nemnem eloquentia
non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidẽ sapientia flo
rere unquam, & præstare potuisse. Etenim cæteræ ferè artes seipsæ
per se tuentur singulæ, benedicere autem, quod est scienter, & perite,
& ornate dicere, nõ habet definitam aliquam regionem, cuius termi
nis septa teneatur. Omnia quæcunq; in hominum disceptationem ca
dere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut elo-
quentiæ nomen relinquendum est. Quare equidem & in nostra ci
uitate, & in ipsa Græcia, quæ semper hæc summa duxit, multos &
ingenijs, & magna laude dicendi sine summa rerum omnium scien
tia fuisse fateor, talem uero existere eloquentiã, qualis fuerit in Cras-
so, & Antonio, non cognitis rebus omnibus, quæ in tantam pruden-
tiam pertinerent, tantamq; dicendi copiam, quanta in illis fuit, non
potuisse confirmo. Quo etiã fit libentius, ut eum sermonem, quem
illi quondã inter se de his rebus habuissent, mandarem literis, uel ut
illa opinio, quæ semper fuisset, tolleretur, alterũ non doctissimum, al-
terũ planè indoctum fuisse, uel ut ea, quæ existimarẽ à summis ora
toribus de eloquentia diuinitus esse dicta, custodirẽ literis, si ullo mo
do assequi, complectiq; potuissem, uel mehercule etiam ut laudẽ eo-
rum iam propè senescentem, quantum ego possem, ab obliuione ho-
minum, atq; à silentio uindicarem. Nam si ex scriptis cognosci ipsi
suis potuissent, munus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum,
sed cum alter non multum, quod quidem extaret, & id ipsum adole
scens, alter nihil admodum scripti reliquisset, deberi hoc à me tantis
hominum ingenijs putaui, ut cum etiam nunc uiuam illorũ memo-

riam tenerenus, hanc immortalem redderem, si possem. Quod hoc etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia non de Seruij Galbæ, aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid uelim, nullius memoria iam refellente, sed edo hæc ijs cognoscenda, q̃ eos ipsos, de quibus loquor, sæpe audierunt, ut duos summos uiros, ijs, qui neutrum illorum uiderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti sint, uiuorum, & præsentium, memoria teste commendemus. Nec uero te carissime frater, atque optime, rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor ut erudiã. Quid enim tua potest oratione aut subtilius, aut ornatius esse? sed quoniam siue iudicio, ut soles dicere, siue, ut ille pater eloquentiæ de se Isocrates scripsit ipse, pudore à dicendo, & timiditate ingenua quadam refugisti, siue, ut ipse iocari soles, unum putasti satis esse, non modo in una familia rhetorem, sed penè in tota ciuitate, non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod merito propter eorũ, qui de dicendi ratione disputarunt, ieiunitatem bonarũ artium possit illudi. Nihil enim mihi quidem uidetur in Crassi, & Antonij sermone esse præteritum, quod quisquam summus ingenijs, acerrimis studijs, optima doctrina, maximo usu cognosci, ac pœpi potuisse arbitraretur, quod tu facillime poteris iudicare, qui prudentiam, rationem q; dicendi per te ipsum, usum autem per nos percipere uoluisti. Sed quo citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omissa nostra adhortatione, ad eorum, quos proposuimus, sermonem, disputationem q; ueniamus. Postero igitur die, quàm illa erant acta hora ferè secunda, cum etiam tum in lecto Crassus esset, et apud eũ Sulpitius sederet. Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Iulio fratre uenit, quod ubi audiuit commotus Crassus surrexit, omnes q; admirati maiorem aliquam esse causam eorum aduentus suspicati sunt. Qui cum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent, quid uos tandem Crassus? nunquid nam inquit noui? Nihil sane inquit Catulus, etenim uides esse ludos, sed uel tu nos ineptos licet inquit, uel molestos putes, cum ad me in Thusculanũ inquit heri uesperi uenisset Cæsar de Thusculano suo, dixit mihi à se Scæuolam hinc euntem esse conuentũ, ex quo mira quædam se audisse dicebat, te, quẽ ego toties omni ratione tentans ad disputandum elicere non potuissem, permulta de eloquentia cum Antonio disseruisse, & tanquam in schola propè ad græcorum consuetudinem disputasse. Ita me frater exoranit me ipsum non quidem à studio audiendi nimis abhorrentẽ,

sed mihercule

ſed mehercule,uerẽtem tamen,ne moleſti uobis interueniremus,ut huc ſecum ueniremꝰ Etenum Scæuolã ita dicere aiebat bonam partem ſermonis in hunc diem eſſe dilatam,hoc ſi tu cupidius factum exiſtimas,Cæſari attribues,ſi familiarius,utriq; noſtrum, nos quidẽ,niſi forte moleſti interuenimus,ueniſſe delectat. Tum Craſſus,Equidẽ quæcunq; cauſa uos huc attuliſſet,lætarer,cum apud me uiderem homines mihi cariſſimos,& amiciſſimos,ſed tamen uere dicam,quæuis mallem fuiſſet,quàm iſta,quam dicis.ego enim(ut quemadmodum ſentio loquar)nunquam mihi munus,quàm heſterno die placui,magis adeo id facilitate,quàm alia ulla culpa mea contigit,qui dum obſequor adoleſcentibus,me ſenem eſſe ſum oblitus,feciq; hoc,quod ne adoleſcens quidem feceram,ut ijs de rebus,quæ doctrina aliqua continerentur,diſputarẽ.Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune,quod tranſactis iam meis partibus ad Antoniũ audiendũ ueniſtis. Tum Cæſar,Equidem inquit Craſſe ita ſum cupidus te in illa longiore, ac perpetua diſputatione audiendi,ut ſi id mihi munus contingat,uel hoc ſim quotidiano tuo ſermone contentus. Itaq; experiar equidem illud,ut ne Sulpitius familiaris meus,aut Cotta plus quàm ego apud te ualere uideantur,et te exorabo profecto,ut mihi quoq;,& Catulo tuæ ſuauitatis aliquid impertias.Sin tibi id munus libebit,non te urgebo,neq; committam,ut dum uereare,ne tu ſis ineptus,me eſſe iudices. Tum ille,Ego mehercule inquit Cæſar ex omnibus latinis uerbis huius uerbi uim uel maximam ſemper putaui. quem enim nos ineptum uocamus,is mihi uidetur ab hoc nomen habere ductũ,quod non ſit aptus,idq; in ſermonis noſtri conſuetudine perlate patet. Nã qui aut tempus quid poſtulet non uidet,aut plura loquitur,aut ſe oſtentat,aut eorum,qbus cum eſt,uel dignitatis,uel cõmodi rationẽ non habet,aut denuq; in aliquo genere aut inconcinnus,aut multus eſt,is ineptus dicitur.Hoc uitio cumulata eſt eruditiſſima illa græcorũ natio,itaq; quod uim huius mali græci non uident,ne nomen qdẽ ei uitio impoſuerũt,ut enim quæras omnia,quomodo græci ineptũ appellent non reperies. Omniũ autẽ ineptiarũ,quæ ſunt innumerabiles, haud ſcio an ulla ſit maior,quã ut illi ſolent quocunq; in loco, quoſcunq; inter homines uiſum eſt,de rebus aut difficillimis,aut non neceſſarijs argutiſſime diſputare,hoc nos ab iſtis adoleſcentibus facere inuiti,& recuſantes heri coacti ſumus. Tum Catulus, Ne græci qdẽ inquit Craſſe,qui in ciuitatibus ſuis clari,et magni fuerunt,ſicuti tu es,nosq; omnes in noſtra rep.uolumus eſſe,horum græcorum,qui ſe inculcant auribus noſtris,ſimiles fuerunt,nec tamen in otio ſer-

mones huiuſmodi, diſputationeſq; fugiebant. Ac ſi tibi uidentur q temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent inepti, ſicut debent uideri, num tandem aut locus hic non idoneus uidetur, in quo porticus hæc ipſa, ubi inambulamus, & palæſtra, & tot locis ſeſſiones, gymnaſiorum, & græcarum diſputationum memoriam quodã modo commouent? aut importunum tempus in tanto otio, quod et raro datur, & nunc peroptato nobis datum eſt? aut homines ab hoc genere diſputationis alieni? qui omnes hi ſumus, ut ſine his ſtudijs nullã uitam eſſe ducamus? Omniã iſta inquit Craſſus ego alio modo interpretor, qui primum palæſtram, & ſedes, & porticus, etiam ipſos Catule græcos, exercitationis, & delectationis cauſa, non diſputationis inueniſſe arbitror. Nam & ſeculis multis ante gymnaſia inuẽta ſunt, quàm in his philoſophi garrire cœperunt, & hoc ipſo tempore cum omnia gymnaſia philoſophi teneãt, tamen eorum auditores diſcum audire, quàm philoſophum malunt, qui ſimul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus, et grauiſſimis diſputantem philoſophum omnes unctionis cauſa relinquunt. ita leuiſſimam delectationem grauiſſimæ, ut ipſi ferunt, utilitati anteponunt. Otiũ autem, quod dicis eſſe, aſſentior, uerum otij fructus eſt non contentio animi, ſed relaxatio. Sæpe ex ſocero meo audiui, cum is diceret ſocerum ſuum Lælium ſemper ferè cum Scipione ſolitum ruſticari, eoſq; incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, cum rus ex urbe tanquam ex uinculis euolauiſſent. Non audeo dicere de talibus uiris, ſed tamen ita ſolet narrare Scæuola, conchas eos, & umbilicos ad Caietam, & ad Lucrinum legere conſueſſe, & ad omnem animi remiſſionem, ludumq; deſcendere. Sic enim ſe res habet, ut quemadmodum uolucres uidemus procreationis, atque utilitatis ſuæ cauſa fingere, et conſtruere nidos, eaſdem autem, cum aliquid effecerint, leuandi laboris ſui cauſa paſſim, ac libere ſolutas opere uolitare, ſic noſtri animi forenſibus negotijs, atque urbano opere defeſſi, geſtiunt, ac uolitare cupiunt uacui cura, atque labore. Itaque illud, quod ego in cauſa curiana Scæuolæ dixi, non dixi ſecus, ac ſentiebam. Nam ſi inquam Scæuola nullum erit teſtamentum recte factum, niſi quod tu ſcripſeris, omnes ad te ciues cum tabulis ueniemus, omnium teſtamenta tu ſcribes unus. quid igitur inquam quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando deniq; nihil ages? Tum illud addidi, mihi enim liber eſſe non uidetur, qui non aliquando nihil agit, in qua permaneo Catule ſententia, meq;, cum huc ueni, hoc ipſum nihil agere, & planè ceſſare delectat. Nam quod addidiſti

tertium,

tertium, uos eos esse, qui uitam insuauem sine his studijs putaretis, id me non modo non hortatur ad disputandum, sed etiam deterret. Nam ut C. Lucilius homo doctus, & perurbanus dicere solebat, ea, quæ scriberet, neq; ab indoctissimis, neq; ab doctissimis legi uelle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quàm ipse de se, quo etiã scripsit, Persium non curo legere, hic enim fuit, ut nouamus, omnium fere nostrorũ hominum doctissimus, Lælium Decimum uolo, quẽ cognouimus uirũ bonum, & nõ illiteratum, sed nihil ad Persiũ, sic ego, si iam mihi disputandum sit de his nostris studijs, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud uos. malo enim nõ intelligi orationem meam, quàm reprehendi. Tum Cæsar, equidẽ inquit Catule iam mihi uideor nauasse operam, quod huc uenerim, nam hæc ipsa recusatio disputationis disputatio quædam fuit mihi quidẽ perjucunda. Sed cur impedimus Antonium, cuius audio esse partes, ut de tota eloquentia differat, quemq; iandudum Cotta, & Sulpitius expectant. Ego uero inquit Crassus, neq; Antonium uerbum facere patiar, & ipse obmutescam, nisi prius à uobis impetraro.

Quid nam inquit Catulus? Vt hic sitis hodie. Tum cum ille dubitaret, quod ad fratrẽ promiserat. Ego inquit Iulius pro utroq; respondeo, sic faciemus, atq; ista quidem conditione, uel ut uerbum nullum faceres, me teneres. Hic Catulus arrisit, & simul præcisa inquit mihi quidem dubitatio est, quoniam neq; domi imperatam, & hic, apud quem eram futurus, sine mea sententia tam facile promisit. Tum omnes oculos in Antonium coniecerunt, et ille. Audite uero, audite inquit, hominem enim audietis de schola, atq; à magistro, & græcis literis eruditum, & eo quidem loquor confidentius, quod Catulus auditor accessit, cui non solum nos latini sermonis, sed etiam græci ipsi solent suæ linguæ subtilitatem, elegantiamq; cõcedere. Sed tamen quoniam hoc totum, quicquid est, siue artificiũ, siue studium dicendi, nisi accessit os nullum potest esse, docebo uos discipuli id, quod ipse non didici, quid de omni genere dicendi sentiam.

Hic posteaquam arriserunt, Res mihi uidetur esse inquit, facultate præclara, arte mediocris. Ars enim earum rerum est, quæ sciuntur. Oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur. Nam & apud eos dicimus, qui nesciunt, & ea dicimus, quæ nescimus ipsi, itaq; & illi aliâs aliud ijsdem de rebus & sentiunt, & iudicant, & nos contrarias sæpe causas dicimus, non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum, cum alterutri necesse sit falsum dicere, sed etiam ut uterq; nostrum eadem de

re aliâs aliud defendat, cum plus uno uerum esse non possit. Vt igitur in eiusmodi re, quæ mendacio nixa sit, quæ ad scientiá non sæpe perueniat, quæ opiniones hominum, & sæpe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse, cur audiatis. Nos uero & ualde quidem Catulus inquit putamus, atq; eo magis, quod nulla mihi ostentatione uideris esse usurus. exorsus es enim non glorioſe magis, ut tu putas a' ueritate, quàm a' nescio qua dignitate. Vt igitur de ipso genere sum confessus inquit Antonius, artem esse non maximam, sic illud affirmo, præcepta posse quædá dari peracuta ad pertractandos animos hominum, & ad excipiendas eorum uoluntates. huius rei scientiam siquis uolet magnam quandam artem esse dicere, nõ repugnabo. Etenim, cum pleriq; temere, ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquã callidius id faciant, non est dubiũ, quin siquis animaduerterit, quid sit, quare alij melius, quàm alij dicant, id possit notare. Ergo id q toto in genere fecerit, is si non plane' artem, at quasi artẽ quandã inuenerit. Atq; utinam ut mihi illa uidere uideor in foro, atq; in causis, ita nunc quemadmodum ea reperirentur, possim uobis exponere. Sed de me uidero. nunc hoc propono, quod mihi ꝑsuasi, quamuis ars non sit, tamen nihil esse perfecto oratore præclarius. nã ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata, & libera ciuitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius ꝓcipi possit. Quis enim cantus moderatæ orationis pronũtiatione dulcior inueniri potest? qd carmen artificiosa uerborum conclusione aptius? qui actor in imitanda, q̃ orator in suscipiẽda ueritate iucundior? quid autem subtilius, quàm acutæ, crebræq; sententiæ? quid admirabilius, quàm res splẽdore illustrata uerborum? quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata oratio? Neq; enim ulla non propria oratoris est res, quæ q̃dem ornate dici, grauiterq; debeat. Huius est in dando consilio de maximis rebus cũ dignitate explicata sententia, eiusdẽ & languentis populi incitatio, & effrenati moderatio. Eadem facultate fraus hominum ad ꝓniciem, et integritas ad salutem uocatur. Quis cohortari ad uirtutem ardentius? quis a' uitijs acrius reuocare? q̃s uitupe rare improbos asperius? quis laudare bonos ornatius? q̃s cupiditatem uehementius frangere accusando potest? quis mœrorẽ leuare mitius consolãdo? Historia uero testis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magistra uitæ, nũtia uetustatis, qua uoce alia nisi oratoris, immortalitati cõmendatur? Nam siqua est ars alia, quæ uerborũ aut faciendorum,

nendorum, aut deligendorum ſcientiam profiteatur, aut ſi quiſquam dicatur, niſi orator, formare orationem, eamq; uariare, et diſtinguere quaſi quibuſdam uerborũ, ſententiarumq; inſignibus, aut ſi uia ulla niſi ab hac una arte, traditur aut argumentorum, aut ſententiarum, aut deniq; deſcriptionis, atq; ordinis, fateamur aut hoc, quod hæc ars profiteatur alienum eſſe, aut cum aliqua alia arte eſſe cõmune, ſed ſi in hac una eſt ea ratio, atq; doctrina, non ſiqui aliarũ artium bene locuti ſunt, eo minus id eſt huius unius, ſed ut orator de ijs rebus, quæ cæterarum artium ſunt, ſi modo eas cognorit (ut heri Craſſus dicebat) optime poteſt dicere. ſic cæterarum artium homines ornatius illa ſua dicunt, ſi quid ab hac arte didicerunt. Neq; *enim ſi de ruſticis rebus agricola quiſpiam, aut etiam, id quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diſerte dixerit, aut ſcripſerit, ideirco illius artis putanda ſit eloquẽtia, in qua quia uis magna eſt in hominum ingenijs, eo multi etiam ſine doctrina aliquid omniũ generum, atq; artium conſequuntur, ſed quod cuiuſq; ſit proprium, & ſi ex eo iudicari poteſt, cum uideris quid quæq; doceant, tamẽ hoc certius nihil eſſe poteſt, quàm quod omnes artes aliæ ſine eloquentia ſuũ munus præſtare poſſunt, orator ſine ea nomen ſuũ obtinere non poteſt, ut cæteri, ſi diſerti ſint, aliqd ab hoc habeant, hic niſi domeſticas ſe inſtruxerit copijs, aliunde dicendi copiam petere non poſſit.* Tum Catulus, Et ſi *inquit* Antoni *minime impediendus eſt interpellatione iſte curſus orationis tuæ, patiere tamen, mihiq; ignoſces. nõ enim poſſum, quin exclamem, ut ait ille in trinumo, ita mihi uim oratoris cũ exprimere ſubtiliter uiſus es, tum laudare copioſiſſime, quod quidem eloquentem uel optime facere oportet, ut eloquentiam laudet. debet enim ad eam laudandam ipſam illam adhibere, quam laudat.* Sed *perge porrò. tibi enim aſſentior, ueſtrum eſſe hoc totum diſerte dicere, idq; ſiquis in alia arte faciat, eum aſſumpto aliunde uti bono non proprio nec ſuo.* Et Craſſus, Nox te *inquit nobis* Antoni *expoliuit, hominemq; reddidit, nam heſterno ſermone unius cuiuſdam operis, ut ait* Cæcilius, *remigem aliquem, aut baiulum nobis oratorem de ſcripſeras, inopem quendam humanitatis, atq; inurbanum.* Tum Antonius, Heri *enim inquit hoc mihi propoſueram, ut ſi te refelliſſem, hos à te diſcipulos abducerem, nunc* Catulo *audiente, & Cæſare uideor debere non tam pugnare tecum, quàm quid ipſe ſentiam dicere.* Seqtur *igitur, quoniã nobis eſt hic, de quo loquimur, in foro, atq; in oculis ciuium conſtituendus, ut uideamus, quid ei negotij demus, cuiq; eum muneri uelimus eſſe præpoſitum.* Nam Craſſus heri *cum*

uos Catule, & Cæsar non adessetis, posuit breuiter in artis distributione idem, quod græci pleriq; posuerunt, neq; sane quid ipse sentiret, sed quid ab illis dicëretur, ostendit, duo prima genera quæstionũ esse, in quibus eloquentia uersaretur, unum infinitum, alterum certum. Infinitum mihi uidetur id dicere, in quo aliqd generatim quæreretur, hoc modo, expetenda ne esset eloquentia. expetendi ne honores. Certum autem, in quo quid in personis, & in constituta re, & definita quæreretur, cuiusmodi sunt, quæ in foro, atq; in cuiũ causis, disceptationibusq; uersantur. ea mihi uidentur aut in lite ordinãda, aut in consilio dando esse posita, nam illud tertium, quod & a Crasso tactum est, & ut audio, ille ipse Aristoteles, qui hæc maxime illustrauit, adiunxit, etiam si opus est, tamen minus est necessarium.

Quid nam inqt Catulus? an laudationes? id enim uideo poni genus tertium. Ita inquit Antonius, & in eo quidem genere scio & me, & omnes, qui affuerunt, delectatos esse uehementer, cum abs te est Popilia mater uestra laudata, cui primum mulieri hunc honorẽ in nostra ciuitate tributum puto. sed non omnia, quæcunq; loquimur, mihi uidẽtur ad artem, & ad præcepta esse reuocanda. Ex his enim fontibus, unde omnia ornate dicendi præcepta sumentur, licebit etiã laudationem ornare, neq; illa elementa desyderare, quæ ut nemo tradat, quis est, qui nesciat, quæ sint in homine laudanda? positis enim ijs rebus, quas Crassus in illius orationis suæ, quam contra collegã censor habuit, principio dixit, quæ natura, aut fortuna darẽtur hominibus, in ijs rebus se uincã posse animo æquo pati, quæ ipsi sibi homines parare possent, in ijs rebus se pati uinci non posse. Qui laudabit quẽpiam, intelliget exponenda sibi esse fortunæ bona. Ea sunt, generis, pecuniæ, propinquorũ, amicorũ, opum, ualetudinis, formæ, uiriũ, ingenij, cæterarumq; rerũ, quæ sunt aut corporis, aut extraneæ, si habuerit, bene his usum. si non habuerit, sapienter caruisse. si amiserit, moderate tulisse. deinde quid sapienter is, quẽ laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denicq; cum aliqua uirtute aut fecerit, aut tulerit. Hæc, & quæ sint eius generis facile uidebit, qui uolet laudare quẽpiam, & qui uituperare, contraria. Cur igitur dubitas inquit Catulus, facere hoc tertium genus, quoniam inest in ratione rerum? non enim si est facilius, eo de numero quoq; est excerpendum. Quia nolo inquit omnia, quæ cadunt aliquando in oratorem, quamuis exigua sint, ea sic tractare, quasi nihil possit dici sine præceptis suis. nam & testimonium sæpe dicendum est, ac nonnunquam etiam accuratius,

tius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium seditiosum ciuem, et turbulẽ tum, explicaui in eo testimonio dicẽdo, omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno pl. pro rep. restitissem, quæq; ab eo contra rẽp. facta arbitrarer, exposui, diu retentus sum, multa audiui, multa respondi, num igitur placet cum de eloquentia præcipias, aliqd etiã de testimoniis dicendis quasi in arte tradere? Nihil sane` inquit Catulus necesse est. Quid si (quod sæpe summis uiris accidit) mandata sint exponenda, aut in senatu ab imperatore, aut ad imperatorẽ, aut ad regem, aut ad populum aliquem a` senatu? num quia genere orationis in huiusmodi causis accuratiore est utendum, iccirco etiam pars hæc causarum numeranda uidetur, aut propriis præceptis instruenda? Minime uero inqt Catulus, non enim decrit homini diserto in eiusmodi rebus facultas ex cæteris rebus, & causis comparata. Ergo item inquit illa, quæ sæpe diserte agenda sunt, & quæ ego paulo ante (cum eloquentiã laudarem) dixi oratoris esse, neq; habent suum locum ullum in diuisione partium, neq; certum præceptorum genus, & agenda sunt non minus diserte, quàm quæ in lite dicuntur, obiurgatio, cohortatio, consolatio, quorum nihil est, quod non summa dicendi ornamenta desyderet, sed ex artificio res istæ præcepta non quærunt. Plane` inquit Catulus assentior. Age uero inqt Antonius, qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Siut græci scripserunt, summi, inqt Catulus, si ut nostri, nihil opus est oratore. satis est non esse mendacẽ. Atqui ne nostros contemnas inquit Antonius, græci ipsi sic initio scriptitarũt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio, cuius rei, memoriæq; publicæ retinendæ causa, ab initio rerum romanarum usq; ad P. Mutium Pontificẽ Max. res omnes singulorũ annorũ mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatq; in albũ, et proponebat tabulam dom, potestas ut esset populo cognoscendi, ij, qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hãc similitudinem scribẽdi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monimenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumq; rerum reliquerunt. Itaq; qualis apud græcos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit, aliiq; permulti, talis noster Cato, & Pictor, & Piso, q neq; tenent, quibus rebus ornatur oratio (modo enim huc ista sunt importata) & dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudẽ putant esse breuitatem. Paululum se erexit, & addidit historiæ maiorem sonum uocis uir optimus Crassi familiaris Antipater, cæteri nõ exornatores rerũ, sed tantummodo narratores fuerunt. Est inqt

Catulus,ut dicis,sed iste ipse Cœlius neque distinxit historiam uarietate locorum,neque uerborum collocatione,& tractu orationis leui, & æquabili perpoliuit illud opus,sed ut homo,neq; doctus, neq; maxime aptus ad dicendum sicut potuit,dolauit,uicit tamen,ut dicis,superiores. Minime mirũ inqt Antonius,si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est,Nemo enim studet eloquentiæ nostrorum hominum,nisi ut in causis,atque in foro eluceat.apud græcos autem eloquentissimi homines remotià causis forensibus,cum ad cæteras res illustres,tum ad scribendam historiam maxime se applicauerunt. Nanq; & Herodotum illum,qui princeps genus hoc ornauit,in causis nihil omnino uersatum esse accepimus.atqui tanta est eloquentia, ut me quidem(quantum ego græce scripta intelligere possum)magno pere delectet,& post illum,Thucydides omneꝝ dicendi artificio mea sententia facile uicit, qui ita creber est rerum frequentia, ut uerborum propè numerum sententiarũ numero cõsequatur.ita porro uerbis aptus,& pressus,ut nescias utrum res oratione,an uerba sententijs illustrentur. atqui ne hunc quidem,quanquam est in rep.uersatus,ex numero accepimus eorũ,qui causas dictitarunt,& hos libros tum scripsisse dicitur,cum à rep.remotus,atq; id quod optimo cuiq; Athenis accidere solitum est,in exilium pulsus esset.Hũc cõsecutus est Syracusius Phylliſtus,qui cum Dionysij tyranni familiarissimus esset,otiũ suum cõsumpsit in historia scribenda, maximeq; Thucydidem est,sicut mihi uidetur,imitatus.Postea uero quasi exclarissima rhetoris officina duo præstantes ingenio Theopompus,et Ephorus ab Isocrate magistro impulsi se ad historiam contulerunt,causas omnino nunquam attigerunt.Deniq; etiã à philosophia profectus princeps Xenophon socraticus ille,post ab Aristotele Callisthenes comes Alexandri scripsit historiam,& hic quidem rhetorico penè more,ille autem superior leniore quodã sono est usus, & qui illum impetum oratoris nõ habeat,uehemens fortasse minus,sed aliquanto tamen est,ut mihi quidẽ uidetur,dulcior.Minimus natu horũ omniũ Timæus,quãtum autem iudicare possum,longe eruditissimus,& rerum copia,& sententiarũ uarietate abundantissimus,& ipsa compositione uerborum non impolitus,magnam eloquentiam ad scribẽdum attulit,sed nullum usum forensem. Hæc cum ille dixisset, quid est inquit Catule Cæsar,ubi sunt,qui Antonium græce negant scire? qđ historicos nominauit? quàm scienter? quàm proprie de uno quoq; dixit? Id mehercule inqt Catulus admirans illud iã mirari desino,quod multo magis ante mirabar,hunc cũ hæc nesciret,

in dicendo posse tantum. Atqui Catule inqt Antonius, *non ego utilitatem aliquam ad dicendū aucupans, horum libros, & nonnullos alios, sed delectationis causa, cū est otium, legere solco. Quid ergo est? fatebor, aliqd tamen, ut cum in sole ambulē, etiam si aliam ob causam ambulē, fieri natura tamen ut colorer, sic cū istos libros ad Misenum (nam Romæ uix licet) studiosius legerim, sentio orationem meā illorū cantu quasi colorari. Sed ne latius hoc uobis patere uideatur, hæc dūtaxat in græcis intelligo, quæ ipsi, qui scripserunt, uoluerunt à uulgo intelligi. In philosophos uestros siquando incidi, decæptus indicibus librorū, quod sunt fere inscripti de rebus notis, & illustribus, de uirtute, de iustitia, de honestate, de uoluptate, uerbum prorsus nullū intelligo, ita sunt angustis, & concisis disputationibus illigati. Poëtas omnino quasi alia quadam lingua locutos non conor attingere. cū his me (ut dixi) oblecto, qui res gestas, aut q orationes scripserunt suas, aut qui ita loquuntur, ut uideantur uoluisse esse nobis, q non suimus eruditissimi, famuliares.* Sed illuc redeo, *uidetis' ne quātum munus sit oratoris historia? haud scio, an flumine orationis, & uarietate maximum, neq; eā reperio usquā separatim instructam rhetorūpræceptis. sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit primam esse historiæ legē, nequid falsi dicere audeat, deinde nequid uere non audeat, nequa suspicio gratiæ sit in scribēdo, nequa simultatis. Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exædificatio posita est in rebus, & uerbis. rerū ratio ordinem tēporum desyderat, regionum descriptionem, uult etiā, quoniā in rebus magnis, memoriáq; dignis consilia primum, deinde acta, postea euentus expectantur, & de consilijs significari, quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari, non solum quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo, & cum de euentu dicatur. ut causæ explicentur omnes, uel casus, uel sapientiæ, uel temeritatis, hominumq; ipsorum non solū res gestæ, sed etiā qui fama, ac nomine excellant, de cuiusq; uita, atq; natura. Verborū autē ratio, & genus orationis fusum, atq; tractum, & cum lenitate quadā æquabili profluens sine hac iudiciali asperitate, & sine sententiarū forensium aculeis prosequendum est.* Harum *tot, tantarumq; rerum uidetis' ne nulla esse præcepta, quæ in artibus rhetorum reperiantur?* In eodem *silentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes, consolationes, præcepta, admonita, quæ tractanda sunt omnia disertissime, sed locum suum in illis artibus, quæ traditæ sunt, habent nullum.*
Atq; *in hoc genere illa quoq; est infinita sylua, qđ oratori pleriq; (ut*

etiam Crassus ostendit) duo genera ad dicendum dederunt, Vnum de certa, definitaq; causa, quales sunt, quæ in litibus, quæ in deliberationibus uersantur, addat siquis uolet etiam laudationis. Alterum, quod appellant omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore, & sine persona quæstionem. hoc quid, & quantum sit, cum dicunt, intelligere mihi non uidentur. Si enim est oratoris quæcunq; res infinite posita sit, de ea posse dicere, dicendū erit ei quanta sit solis magnitudo, quæ forma terræ. de mathematicis, de musicis rebus nō poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, recusare. Deniq; ei, qui profitetur esse suum non solū de ijs controuersijs, quæ temporibus, & personis notæ sunt, hoc est de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quæstionibus dicere, nullum potest esse genus orationis, quod sit exceptum. Sed si illam quoq; partem quæstionum oratori uolumus adiungere uagam, & liberam, & late patentem, ut de rebus bonis, aut malis. expetendis, aut fugiendis. honestis, aut turpibus. utilibus aut inutilibus. de uirtute. de iustitia. de continentia. de prudentia. de magnitudine animi. de liberalitate. de pietate. de amicitia. de fide. de officio. de cæteris uirtutibus, contrarijsq; uitijs dicendum oratori putemus, itemq; de rep. de imperio. de re militari. de disciplina ciuitatis. de hominum moribus, assumamus eā quoq; partem, sed ita ut sit circunscripta modicis regionibus. Equidem omnia, quæ pertinent ad usum ciuium. morem hominum. quæ uersantur in consuetudine uitæ. in ratione reip. in hac societate ciuili. in sensu hominum communi. in natura. in moribus, cōprehendē da esse oratori puto, si munus, ut separatim de his rebus philosophorum more respondeat, at certe, ut in causa prudenter possit intexere. His autem ipsis de rebus, ut ita loquatur, uti ij, qui iura. qui leges. qui ciuitates constituerunt, locuti sunt, simpliciter, & splendide sine ulla serie disputationum, & sine ieiuna concertatione uerborum. Hoc loco, nequa sit admiratio, si tot, tantarumq; rerum nulla a me præcepta ponentur, sic statuo, ut in cæteris artibus cum tradita sunt ciuiusq; artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sint, tradi non necesse esse. ut in pictura. qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum ciuiusuis uel formæ, uel ætatis etiam si non didicerit pingere, neq; esse periculum, qui leonem, aut taurum pingat egregie, ne idem in multis alijs quadrupedibus facere non possit, neq; est omnino ars ulla, in qua omnia, quæ illa arte effici possunt, a doctore tradantur. sed qui primarum, & certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua perse-

quuntur. similiter arbitror in hac siue ratione, siue exercitatione dicendi, qui illam uim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut de rep. aut de ipsius rebus, aut de ijs, contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua statuẽdi potestate audiant, ad suum arbitrium mouere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quæsiturum esse quid dicat, quàm Polycletum illũ, cum Herculem fingebat, quemadmodum pellem, aut hydram fingeret, etiam si hæc nunquã separatim facere didicisset. Tum Catulus, Præclare mihi uideris Antoni posuisse ante oculos, quid discere oporteret eum, qui orator esset futurus, quid etiam si non didicisset, ex eo, quod didicisset, assumeret. deduxisti enim totum hominem in duo solum genera causarũ, cætera innumerabilia exercitationi, & simulitudini reliquisti, sed uideto, ne in istis duobus generibus hydra tibi sit, & pellis, Hercules autem, et alia opera maiora ne in illis rebus, quas prætermittis, relinquantur. non enim mihi munus operis uidetur de uniuersis generibus rerũ, quàm de singulorum causis, ac multo etiã maius de natura deorum, quàm de hominum litibus dicere. Non est ita inquit Antonius, dicam enim tibi Catule nõ tam doctus, quàm (id quod est maius) expertus. Omnium cæterarum rerũ oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti, neq; inexercitato, neq; communium literarum, & politioris humanitatis experti, in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atq; haud sciam, an de humanis operibus longe maximum, in quibus uis oratoris plerunq; ab imperitis exitu, & uictoria iudicatur, ubi adest armatus aduersarius, q sit & feriẽdus, & repellendus. ubi sæpe is, qui rei domnus futurus est, alienus, atq; iratus, aut etiã amicus aduersario, & inimicus tibi est, cum aut docendus is est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam, oratiõe moderãdus. in quo sæpe beneuolentia ad odium, odium autem ad beneuolentiã deducendũ est. q tanquam machinatione aliqua, tum ad seueritatẽ, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiã, tum ad lætitiam est cõtorquendus. omnium sententiarum grauitate, omnium uerborũ ponderibus est utendũ. accedat oportet actio uaria. uehemens. plena animi. plena spiritus. plena doloris. plena ueritatis. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut tanquam Phidias Mineruæ signum efficere possit, non sanè quemadmodum in clypeo idem ille artifex minora illa opera facere discat, laborabit. Tum Catulus, Quo ista maiora, ac mirabiliora feci sti, eo me maior expectatio tenet, qbusnã rationibus, qbus'ue præceptis ea tãtauis cõparetur, non

quo mea quidem iam interfit (neq; enim ætas id mea desyderat, & aliud quoddam genus dicendi nos secuti sumus, qui nunquam sententias de manibus iudicum ui quadã orationis extorsimus, ac potius placatis eorum animis, tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus) sed tamen ista tua, nullum ad usum meum, tantum cognoscendi studio adductus, requiro. Nec mihi opus est græco aliquo doctore, q mihi peruulgata præcepta decantet, cum ipse nunquam forum, nunquam ullum iudicium aspexerit, ut peripateticus ille dicitur Phormio. cum Annibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum uenisset exul, proq; eo, quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, ut eum, quem dixi, si uellet audiret, cumq; is se nõ nolle dixisset, locutus esse dicatur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari. tum cum cæteri, qui illum audierant, uehementer essent delectati, quærebant ab Annibale quidnam ille ipse de illo philosopho iudicaret. hic pœnus, non optime græce, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes sæpe uidisse, sed qui magis, quàm Phormio deliraret, ui disse neminem. Neq; mehercule iniuria, quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quàm Annibali, qui tot annos de imperio cum Populo R. omnium gentium uictore certasset, græcum homunc, qui nunquam hostem, nunquam castra uidisset, nunquam deniq; minimam partem ullius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi præcipiunt, uidentur. quod enim ipsi experti non sunt, id docent cæteros, sed hoc minus fortasse errant quod non te, ut Annibalem, sed pueros, aut adolescentulos docere conantur. Erras Catule inquit Antonius, nam egomet in multos iam Phormiones incidi. quis enim est istorum græcorum, qui quenquam nostrum quicquam intelligere arbitretur? ac mihi quidẽ non ita molesti sunt, facile omnes perpetior, & perfero, nam aut aliquid afferunt, quod mihi non displiceat, aut efficiunt, ut me non didicisse minus pœniteat, dimitto autem eos non tam contumeliose, quàm philosophum illum Annibal, & eo fortasse plus habeo etiam negotij, sed tamen est eorum doctrina, quantum ego iudicare possum, perridicula. Diuidunt enim totam rem in duas partes, in causæ controuersiam, & in quæstionis. Causam appellant rem positam in disceptatione rerum, & controuersia. Quæstionẽ autem rem positam in infinita dubitatione. de causa præcepta dant. de altera parte dicendi, mirum silentium. Deinde quinq; faciunt quasi membra eloquentiæ, inuenire quid dicas, inuenta dispo-

nere, deinde ornare uerbis, post memoriæ mandare, tum ad extremum agere, ac pronuntiare. rem sane non reconditam. Quis enim hoc non sua sponte uiderit, nemnem posse apte dicere, nisi & quid diceret, & quibus uerbis, et quo ordine diceret, haberet, & ea meminisset? Atq; hæc ego non reprehendo, sed ante oculos posita esse dico, ut eas item quatuor, quinq;, sex'ue partes, uel etiam septem (quoniam aliter ab alijs digeruntur) in quas est ab his omnis oratio distributa. Iubent enim exordiri, ita ut eum, qui audiat, beneuolum nobis faciamus, & docilem, & attentum. Deinde rẽ narrare, ita ut uerisimilis narratio sit, ut aperta, ut breuis. Post autem diuidere causam, aut proponere. nostra cõfirmare argumentis, ac rationibus, deinde contraria refutare. Tum autem alij conclusionem orationis, & quasi perorationem collocant. alij iubent ante quàm peroretur ornandi, aut augendi causa digredi, deinde concludere, ac perorare, Nec hæc quidẽ reprehendo. sunt enim cocinne distributa, sed tamen, id quod necesse fuit hominibus expertibus ueritatis, nõ perite. Quæ enim præcepta principiorum, & narrationum esse uoluerunt, ea in totis orationibus sunt conseruanda. Nam & ego mihi beneuolum iudicem facilius facere possum, cum sum in cursu orationis, quàm cũ omnia sunt inaudita. docilem autem non cum polliceor me demonstraturum, sed tum, cum doceo, & explano. attentum uero crebro tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denuntiatione efficere possumus. Iam uero narrationem, quod iubent uerisimilem esse, & apertam, et breuem, recte nos admonent, quod hæc narrationis magis putant esse propria, quàm totius orationis, ualde mihi uidentur errare, omnino'q; in hoc omnis est error, qđ existimant artificiũ esse hoc quoddã nõ dissimile cæterorũ, cuiusmodi de ipso iure ciuili hesterno die Crassus componi posse dicebat, ut genera rerũ primũ exponerentur, in quo uitiũ est, si genus ullũ prætermittatur, deinde singulorũ generũ ꝑtes, in quo et deesse aliquã ꝑtem, et superare mendosum est. tum uerborũ omniũ definitiones, in ꝗbus neq; abesse ꝗquam decet, neq; redundare. Sed hoc si in iure ciuili, si etiã in paruis, aut mediocribus rebus doctores assequi possunt, non idẽ sentio tanta hac in re, tamq; immensa posse fieri. Sin autem ꝗ arbitrãtur, deducendi sunt ad eos, qui hæc docent, omnia iam explicata, & ꝑpolita assequẽtur. sunt. n. innumerabiles de his rebus libri, neq; abditi, neq; obscuri. Sed uideant qduelint, ad ludendũ ne, an ad pugnãdũ arma sint sumpturi. aliud enim pugna, et acies, aliud ludus, cam pusq; noster desyderat. attamẽ ars ipsa ludicra armorũ, et gladiatori,

& muliti prodeſt aliquid,ſed animus acer,et præſens,et acutus idẽ, atq; uerſutus inuictos uiros efficat non difficilius arte coniuncta. Quare ego tibi oratorem ſic iam inſtituã,ſi potuero,ut quid efficere poſſit ante perſpiciam.Sit enim mihi tinctus literis.audierit aliqd. legerit.iſta ipſa præcepta acceperit,tentabo qd deceat.quid uoce.qd uiribus.quid ſpiritu.quid lingua efficere poſſit. Si intelligam poſſe ad ſummos peruenire,non ſolum hortabor,ut elaboret,ſed etiam,ſi uir quoq; mihi bonus uidebitur,obſecrabo. tantum ego in excellente oratore,& eodẽ uiro bono pono eſſe ornamenti uniuerſæ ciuitati. Sin uidebitur,cũ omnia ſumma fecerit,tamẽ ad mediocris oratoreus eſſe uenturus,permittam ipſi quid uelit,moleſtus magnopere non ero.Sin plane abhorrebit,& erit abſurdus,ut ſe contineat,aut ad aliud ſtudiũ transferat,admonebo.nam neq; is,qui optime poteſt deſerendus ullo modo eſt a cohortatione noſtra,neq; is,qui aliquid poteſt,deterrendus,quod alterũ diuinitatis mihi cuiuſdã uidetur,alterum uel non facere,quod non optime poſſis,uel facere, quod non peſſime facias,humanitatis,tertium uero illud,clamare contra quàm deceat,& q̃ poſſit , hominis eſt, ut tu Catule, de quodam declamatore dixiſti,ſtultitiæ ſuæ quamplurimos teſtes domeſtico præconio colligentis.De hoc igitur,qui erit talis,ut cohortandus,adiuuandusq; ſit,ita loquamur,ut ei tradamus ea duntaxat,quæ nos uſus docuit, ut nobis ducibus ueniat eo,quo ſine duce ipſi peruenimus,quoniã meliora docere non poſſumus.Atq; ut a familiari noſtro exordiar, hunc ego Catule Sulpitium primum in cauſa parua adoleſcentu lũ audiui,uoce,& forma,& motu corporis,& reliquis rebus aptis ad hoc munus de quo quærimus,oratione autẽ celeri,& concitata, quod erat ingenij,& uerbis efferueſcentibus,& paulo nimium redundantibus,quod erat ætatis,nõ ſum aſpernatus,uolo enim ſe efferat in adoleſcente fœcunditas,nam facilius ſicut in uitibus reuocantur ea,quæ ſeſe nimium profuderunt,quàm ſi nihil ualet materies, noua ſarmenta cultura excatantur,ita uolo eſſe in adoleſcente,unde aliqd amputẽ,non enim poteſt in eo eſſe ſucus diuturnus,quod nimis celeriter eſt maturitatẽ aſſecutum.Vidi ſtatim indolem,neq; dimiſi tempus,& eũ ſum cohortatus,ut forũ ſibi ludũ putaret eſſe ad diſcendũ,magiſtrũ autem,quẽ uellet,eligeret,me quidem ſi audiret, L.Craſſum quod iſte arripuit,& ita ſeſe facturũ confirmauit,atq; etiã addidit,gratiæ ſcilicet cauſa,me quoq; ſibi magiſtrũ futurũ.Vix annus interceſſerat ab hoc ſermone cohortationis meæ,cũ iſte accuſauit C.Norbanũ defendẽte me,nõ eſt credibile quid intereſſe mihi ſit

uiſum inter eum,qui tum erat,& qui anno ante fuerat,omnino in illud genus eum Craſſi magnificum,atq; præclarum natura ipſa ducẽat,ſed ea non ſatis proficere potuiſſet,niſi eodem ſtudio,atq; imitatione incidiſſet,atq; ita dicere conſueſſet,ut tota mente Craſſum, atq; omni animo intueretur.Ergo hoc ſit Primum in præceptis meis,ut demonſtremus,quem imitetur,atq; ita,ut quæ maxime excellant in eo, quem imitabitur,ea diligentiſſime perſequatur,tum accedat exercitatio,qua illum,quem ante delegerit,imitando effingat,atq; ita exprimat,ut multos imitatores ſæpe cognoui,qui aut ea,quæ facilia ſunt, aut etiam illa,quæ inſignia,ac penè uitioſa, conſectentur imitando. nihil eſt facilius,quàm amictum imitari alicuius,aut ſtatum,aut motum.ſi uero etiam uitioſe aliquid eſt,id ſumere,et in eo uitioſum eſſe, non magnum eſt,ut ille,qui nunc etiam amiſſa uoce furit in rep.Fuſius,neruos in dicendo C.Fimbriæ,quos tamen habuit ille,non aſſequitur,oris prauitatem,& uerborum latitudinem imitatur,ſed tamen ille nec deligere ſciuit,cuius potiſſimum ſimilis eſſet,et in eo ipſo, quem delegerat,imitari etiam uitia uoluit.Qui autem ita faciet,ut oportet,primum uiglet neceſſe eſt in deligendo,deinde quẽ probauit,in eo quæ maxime excellẽt,ea diligentiſſime proſequatur.Quid enim cauſæ cenſetis eſſe,cur ætates extulerint ſingulæ ſingula propè genera dicendi?quod non tam facile in noſtris oratoribus poſſumus iudicare,quia ſcripta,ex quibus iudicium fieri poſſet,non multa ſanè reliquerunt,quàm in græcis,ex quorum ſcriptis,cuiuſq; ætatis, quæ dicendi ratio,uoluntasq; fuerit,intelligi poteſt.Antiquiſſimi ferè ſunt,quorum quidem ſcripta conſtent,Pericles,atque Alcibiades, & eadem ætate Thucydides,ſubtiles,acuti,breues, ſententijs magis, quàm uerbis abundantes,non potuiſſet accidere, ut unũ eſſet omniũ genus,niſi aliquẽ ſibi proponerent ad imitandũ.Conſecuti ſunt hos Critias,Theramenes,Lyſias.multa Lyſiæ ſcripta ſunt,nonnulla Critiæ,de Theramene audiuimus,omnes etiam tum retinebant illũ Periclis ſuccum,ſed erant paulo uberiore filo.Ecce tibi exortus eſt Iſocrates magiſter iſtorum omnium,cuius è ludo,tanq; ex equo troiano,innumeri principes exierunt,ſed eorũ partim in pompa,partim in acie illuſtres eſſe uoluerunt.Itaque & illi,Theopompus,Ephorus, Phylliſtus,Naucrates,multiq; alij naturis differunt, uoluntate autem ſimiles ſunt inter ſeſe, & magiſtri,& ij,qui ſe ad cauſas contulerunt,ut Demoſthenes,Hyperides,Lycurgus, Aeſchines, Dinarchus, aliiq; complures,& ſi inter ſe pares non fuerunt,tamen ſunt omnes in eodem ueritatis imitandæ genere uerſati,quorum quandiu mãſit

imitatio, tandiu genus illud dicendi, studiumq; uixit. postaquã extinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est, & euanuit, alia quædam dicendi molliora, ac remissiora genera uiguerunt. Inde Demochares, quem aiunt sororis filium fuisse Demosthenis, tum Phalereus ille Demetrius omnium istorũ mea sententia politissimus, aliiq; eorum simles extiterunt. quæ si uolemus usq; ad hoc tempus persequi, intelligemus, ut hodie Alabandensem illũ Meneclẽ, et eius fratrem Hieroclem, quos ego audiui, tota imitetur Asia. Sic semper fuisse aliquem, cuius se simles pleriq; esse uellent. Hãc igitur similitudinem qui imitatione assequi uolet, tum exercitationibus crebris, atq; magnis, tum scribendo maxime persequatur. quod si hic noster Sulpitius faceret, multo eius oratio esset pressior, in qua nũc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quædã, quæ stylo depascenda est. Hic Sulpitius, Me quidem inquit recte mones, idq; mihi gratum est, sed ne te quidẽ Antoni multum scriptitasse arbitror. Tum ille. Quasi uero inquit nõ ea præcipiam alijs, quæ mihi ipsi desunt, sed tamen ne tabulas quidem conficere existimor, uerum, & in hoc ex re familiari mea, et in illo ex eo, quod dico, quantulum id cunq; est, quid faciã iudicari potest. Atq; esse tamen multos uidemus, qui nemnem imitentur, & suapte natura, quod uelint sine cuiusquam similitudine consequantur, quod & in uobis animaduerti recte potest Cæsar, & Cotta, quorũ alter inusitatum quidem nostris oratoribus leporem quendam, & salẽ, alter acutissimum, & subtilissimum dicendi genus est consecutus. Neq; uero uester æqualis Curio patre mea sententia uel eloquentissimo tẽporibus illis, quenquam mihi magnopere uidetur imitari, qui tamen uerborum grauitate, & elegantia, et copia suam quandam expressit quasi formã, figuramq; dicendi, quod ego maxime potui iudicare in ea causa, quam ille contra me apud centumuiros pro fratribus Cossis dixit. In qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet. Verũ ut aliquando ad causas deducamus illum, quem constituimus, & eas quidem, in qbus plusculum negotij est, iudiciorum, atq; litium (riserit aliquis fortasse hoc præceptum. est enim non tam acutum, quàm necessarium, magisq; monitoris non fatui, quàm eruditi magistri). Hoc enim primum præcipiemus, quascunq; causas erit acturus, ut eas diligenter, penitusq; cognoscat. Hoc in ludo non præcipitur. faciles enim causæ ad pueros deferuntur. Lex peregrinum uetat in murum ascendere, ascendit, hostes repulit, accusatur. nihil est negotij huiusmodi causam cognoscere.

ſcere. recte igitur nihil de cauſa diſcenda præcipunt. hæc eſt. n. in ludo cauſarum ferè formula. At uero in foro, tabulæ, teſtimonia, pacta, conuenta, ſtipulationes, cognationes, affinitates, decreta, reſponſa, uita denique eorũ, qui in cauſa uerſantur, tota cognoſcenda eſt. quarum rerum negligentia pleraſque cauſas, et maxime priuatas (ſunt enim multo ſæpe obſcuriores) uidemus amitti. Ita nonnulli dum operam ſuam multi exiſtimari uolunt, ut toto foro uolitare, & à cauſa ad cauſam ire uideantur, cauſas dicunt incognitas. in quo eſt illa quidem magna offenſio, uel negligentiæ, ſuſceptis rebus, uel pfidiæ, receptis, ſed etiã illa maior opinione mea, quod nemo poteſt de ea re, quam non nouit, non turpiſſime dicere. ita dũ inertiæ uituperationem, quæ maior eſt, contemnunt, aſſequuntur etiam illam, quam magis ipſi fugiunt, turpitudinis. Equidem ſoleo dare operam, ut de ſua quiſque re me ipſe doceat, & ut nequis alius adſit, quo liberius loquatur, & agere aduerſarij cauſam, ut ille agat ſuam, & quicquid de ſua re cogitarit, in medium proferat, itaque cum ille diſceſſit, tres perſonas unus ſuſtineo ſumma animi æquitate, meam, aduerſarij, iudicis, qui locus eſt talis, ut plus habeat adiumenti, quàm incommodi, hunc iudico eſſe dicendum. ubi plus mali, quàm boni reperio, id totum abiudico, atque reijcio. ita aſſequor, ut alio tempore cogitem quid dicam, & alio dicam, quæ duo plerique ingenio freti ſimul faciunt, ſed certe ijdem illi melius aliquanto dicerent, ſi aliud ſumendum ſibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent. Cum rem penitus, cauſamq; cognoui, ſtatim occurrit animo, quæ ſit cauſa ambigui. nihil eſt enim, quod inter homines ambigatur, ſiue ex crimine cauſa conſtet, ut facinoris, ſiue ex controuerſia, ut hæreditatis, ſiue ex deliberatione ut belli, ſiue ex pſona, ut laudis, ſiue ex diſputatione, ut de ratione uiuendi, in quo non aut quid factum ſit, aut fiat, futurumue ſit quæratur, aut quale ſit, aut quid uocetur. Ac noſtræ ferè cauſæ, quæ qdem ſunt criminum, plerunq; inficiatione defenduntur. Nam & de pecunijs repetundis, quæ maximæ ſunt, neganda ferè ſunt omnia, & de ambitu raro illud datur, ut poſſis liberalitatẽ, ac benignitatem ab ambitu, atque largitione ſeiungere, de ſicarijs, de ueneficijs, de peculatu inficiari neceſſe eſt. Id eſt igitur genus primum cauſarum in iudicijs, ex controuerſia facti. In deliberationibus plerunque ex futuri, raro etiam ex inſtantis, aut facti. Sæpe autem, res non ſit, necne, ſed qualis ſit quæritur, ut cum L. Opimij cauſam defendebat apud populum audiente me C. Carbo conſul, nihil de C. Gracchi nece negabat, ſed id iure pro ſalute patriæ factum eſſe dice-

bat,ut eidẽ Carboni Tribuno pl.alia tum mente remp.cõpeſſenti P. Africanus de Tiberio Graccho interroganti reſpõderat,iure cæſum uideri.Iure autem omnia defenduntur,quæ ſunt eius generis,ut aut oportuerit,aut licuerit,aut necæſſe fuerit,aut imprudentia , aut caſu facta eſſe uideantur. Iam quid uocetur quæritur,cũ quo uerbo qd appellandum ſit contenditur,ut mihi ipſi cum Sulpitio fuit in Norbani cauſa ſumma contentio.pleraq; enim de ijs,quæ ab iſto obijciebantur,cum confiterer,tamen ab illo maieſtatem immunutam negabam, ex quo uerbo lege apuleia tota illa cauſa pendebat.Atque in hoc genere cauſarum nonnulli præcipiunt , ut uerbum illud , quod cauſam facit,lucide,breuiter uterque definiat,quod mihi quidem perquam puerile uideri ſolet.alia eſt enim cum inter doctos homines,de ijs ipſis rebus,quæ uerſantur in artibus,diſputatur,uerborum definitio,ut cum quæritur quid ſit ars,quid ſit lex , quid ſit ciuitas . In quibus hoc præcipit ratio,atque doctrina,ut uis eius rei,quàm definias,ſic exprimatur,ut neque abſit quicquam,neque ſuperſit , quod quidem in illa cauſa neque Sulpitius fecit,neque ego facere conatus ſum.nam quantum uterque noſtrum potuit omni copia dicendi dilatauit,quid eſſet maieſtatem minuere.Etenim definitio primum reprehenſo uerbo uno,aut addito,aut dempto ſæpe extorquetur è manibus,deinde genere ipſo doctrinam redolet,exercitationemq; pene puerilem,tum & in ſenſum,& in mentem iudicis intrare non poteſt.ante enim præterlabitur,quàm percepta eſt. Sed in eo genere, in quo,quale ſit quid,ambigitur,exiſtit etiam ex ſcripti interpretatione ſæpe contentio,in quo nulla poteſt eſſe,niſi ex ambiguo controuerſia.nam illud ipſum,cum ſcriptum à ſententia diſcrepat,genus quoddam habet ambigui,quod tum explicatur , cum ea uerba, quæ deſunt,ſuggeſta ſunt,quibus additis,defenditur , ſententiam ſcripti perſpicuam fuiſſe,& ex contrarijs ſcriptis ſiquid ambigitur,nõ nouum genus naſcitur,ſed ſuperioris generis cauſa duplicatur,idq; aut nũquam diiudicari poterit,aut ita diiudicabitur,ut referendis præteritis uerbis id ſcriptum,quodcunq; defendimus,ſuppleatur, ita fit, ut unũ genus in ijs cauſis,quæ propter ſcriptum ambiguntur, relinquatur,ſi eſt ſcriptum aliqd ambigue.Ambiguorum autem cumplura genera ſunt,quæ mihi uidentur ij melius noſſe,qui dialectici appellantur,ij autem noſtri ignorare,qui nõ minus noſſe debeant,tum illud eſt frequentiſſimum in omni conſuetudine uel ſermonis,uel ſcripti,cum ideirco aliquid ambigitur,quod aut uerbum, aut uerba ſint prætermiſſa.Iterũ autem peccant,cum genus hoc cauſarum, quod in

ſcripti

ſcripti interpretatione uerſatur, ab illis cauſis, in quibus qualis quæq; res ſit diſceptatur, ſeiungunt. nuſquam enim tam quæritur, quale ſit genus ipſum rei, quàm in ſcripto, quod totum a' facti controuerſia ſeparatum eſt. Ita tria ſunt omnino genera, quæ in diſceptationem, et controuerſiam cadere poſſunt, quid fiat, factum, futurum'ue ſit, aut quale ſit, aut quomodo nomnetur. nam illud quidem, quod quidam græci adiungunt, recte'ne factum ſit, totum in eo eſt, quod quale ſit, quærimus. Sed iam ad inſtitutum reuertar meum. Cum igitur accepto cauſæ genere cognitam rem tractare cœpi, nihil prius conſtituo, quàm quid ſit illud, quo mihi referenda ſit omnis illa oratio, quæ ſit, propria quæſtionis, & iudicij, deinde illa duo diligentiſſime cõſydero, quorum alterum commendationem habet noſtram, aut eorũ, quos defendimus, alterum eſt accommodatum ad eorũ animos, apud quos dicamus, ad id, quod uolumus, commouendos. Ita ratio omnis dicẽdi tribus ad perſuadendũ rebus eſt nixa, ut probemus uera eſſe ea, quæ defendimus, ut conciliemus nobis eos, qui audiunt, ut animos eorũ ad quẽcunq; cauſa poſtulabit motum, uocemus. Ad probandum autem duplex eſt oratori ſubiecta materies, una rerum earum, quæ non excogitantur ab oratore, ſed in re poſita, ratione tractantur, ut tabulæ, teſtimonia, pacta, conuenta, quæſtiones, leges, ſenatuſconſulta, res iudicatæ, decreta, reſponſa ſunt, & reliquæ, ſi quæ ſunt, quæ non ab oratore pariuntur, ſed ad oratorẽ a' cauſa, atq; a' reis deferuntur. Altera eſt, quæ tota in diſputatione, & argumentatione oratoris collocata eſt, ita in ſuperiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inueniendis cogitandũ eſt. Atq; iſti quidẽ, qui docent, cum cauſas in plura genera ſecuerunt, ſingulis generibus, argumentorum copiam ſuggerunt, quod etiã ſi ad inſtituendos adoleſcentulos magis aptum eſt, ut ſimulac poſita ſit cauſa, habeant quo' ſe referant, unde ſtatim expedita poſſint argumenta depromere, tamen & tardi ingenij eſt riuulos conſectari, fontes rerum non uidere, etiam ætatis eſt, uſuſq; noſtri a' capite, quod uelimus arceſſere, & unde omnia manant uidere. & primũ genus illud earũ rerum, quæ ad oratorẽ deferuntur, meditatũ nobis in ꝑpetuum ad omnem uſum ſimilium rerum eſſe debebit. nam pro tabulis, & contra tabulas, & pro teſtibus, & contra teſtes, pro quæſtionibus, & contra quæſtiones, & item de cæteris rebus eiuſdem generis uel ſeparatim dicere ſolemus de genere uniuerſo, uel definite de ſingulis tẽporibus, hominibus, cauſis, quos qdẽ locos (uobis hoc Cotta, & Sulpiti dico) multa commẽtatione, atq; meditatione paratos, atq; expeditos habere debetis. Lon-

gum est enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare, aut infirmare testes, tabulas, quæstiones oportet. Hæc sunt omnia ingenij uel mediocris, exercitationis autem uel maximæ, artem quidē, et præcepta dūtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornētur. itemq; illa, quæ sunt alterius generis, quæ tota ab oratore pariūtur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illustrem, perpolitamq; desyderant. Itaq; cum hæc duo nobis quærenda sint in causis, primum quid, deinde quomodo dicamus, alterum quod totum arte tinctum uidetur, tametsi artem requirit, tamen prudētiæ est pene mediocris, quid dicendum sit uidere, alterum est, in quo oratoris uis illa diuina, uirtusq; cernitur, ea, quæ dicēda sunt, ornate, copiose, uarieq; dicere. Quare illā partem superiorem, quoniam semel ita uobis placuit, non recusabo, quo minus perpoliam, atq; conficiam, quantum cōsequar, uos iudicabitis, quibus ex locis ad eas tres res, quæ ad fidē faciendā solæ ualēt, ducatur oratio, ut et concilietur animi, & doceantur, et moueantur. hæc sunt enim tria numero. ea uero quemadmodum illustrentur, presto est, qui omnes docere possit, qui hoc primus in nostros mores induxit, qui maxime auxit, qui solus effecit. Nanq; ego Catule, dicam enim non reuerens assentandi suspicionem, neminem esse oratorem paulo illustriorem arbitror, neq; græcum, neq; latinum, quem ætas nostra tulerit, quem non & sæpe, & diligenter audierim. Itaq; siqd est in me, quod iā sperare uideor, quoniam quidem uos his ingenijs homines tantū operæ mihi ad audiēdum datis, ex eo est, quod nihil quisquam unq̄ me audiente egit orator, quod nō in memoria mea penitus insederit. Atq; ego is, qui sum, quantuscunq; sum, adiudicandus oībus auditis oratoribus, sine ulla dubitatione, sic statuo & iudico, neminem omnium tot, et tanta, quāta sint in Crasso, habuisse ornamēta dicendi. Quāobrē, si uos quoq; hoc idem existimatis, nō erit, ut opinor, iniqua partitio si cū ego hūc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, creauero, aluero, cōfirmauero, tradam eum Crasso & uestiendum, & ornandum. Tum Crassus, Tu uero inq̄t Antoni perge, ut instituisti. neq; enim boni est, neq; liberalis parentis, quem procreauerit, & eduxerit, eum non et uestire, & ornare, præsertim cū te locupletem esse negare non possis. quod enim ornamentum, quæ uis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit? q̄ in causa peroranda non dubitauit excitare reum consularē, & eius diloricare tunicam, et iudicibus cicatrices aduersas senis imperatoris ostendere? qui idem hoc causante Sulpitio cum hominē seditiosum, furiosumq; defenderet, non dubitauit seditiones ipsas ornare, ac demonstrare

monstrare grauissimis uerbis, multos sæpe impetus populi non iniustos esse, quos præstare nemo possit. multas etiã è rep. seditiones sæpe esse sectas, ut cum reges essent exacti, ut cũ tribunitia potestas esset constituta, illam Norbani seditionem ex luctu ciuium, et ex Cepionis odio, qui exercitum amiserat, neq; reprimi potuisse, & iure esse conflatam. Potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam nouus, sine quadã incredibili ui, ac facultate dicendi tractari? Quid ego de Gn. Manlij? quid de Q. Regis commiseratione dicam? quid de alijs innumerabilibus? in quibus hoc nõ maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare, sed hæc ipsa, quæ nunc ad me delegare uis, ea semper in te exima, & præstãtia fuerunt. Tum Catulus, Ego uero inqt in uobis hoc maxime admirari soleo, quod cum inter uos in dicendo dissimillimi sitis, ita tamen uterq; uestrum dicat, ut ei nihil neque à natura denegatum, neq; à doctrina non delatum esse uideatur. Quare Crasse neq; tu tua suauitate nos priuabis, ut, siquid ab Antonio aut prætermissum, aut relictum sit, nõ explices, neq; te Antoni, siquid non dixeris, existimabimus, non potuisse potius, quàm à Crasso dici maluisse.

Hic Crassus, Quin tu inquit Antoni omittis ista, quæ proposuisti, quæ nemo horum desyderat, quibus ex locis ea, quæ dicenda sint in causis reperiãtur, quæ, quanquam abs te nouo quodã modo, præclaréq; dicuntur, sunt tamen & re faciliora, & præceptis peruagata, illa deprome nobis, unde afferas, quæ sæpissime tractas, semperq; diuinitus. Depromam equidem inquit Antonius, &, quo facilius id à te exigam, quod peto, nihil tibi à me postulanti recusabo. Meæ totius orationis, & istius ipsius in dicendo facultatis, quãmodo Crassus in cœlum uerbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi, una cõciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia uim desyderat. nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione uoluntatis propẽdeat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars, in qua rerum ipsarum explicatio, ac defensio posita est, uidetur omnem huius generis quasi doctrinam continere, de ea primum loquemur, & pauca dicemus. pauca enim sunt, quæ usu iam tractata, & animo quasi habere notata uideamur. Ac tibi sapienter monenti L. Crasse libenter assentiemur, ut singularum causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus, aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem & causam,

et orationem disputatio ducatur. Neq; enim quoties uerbum aliquod est scribendum nobis, toties eius uerbi literæ sunt cogitatione cõquirendæ, nec quoties causa dicenda est, toties ad eius causæ seposita argumenta reuolui nos oportet, sed habere certos locos, qui ut literæ ad uerbum scribendum, sic illi ad causam explicandã, statim occurrant. Sed hi loci ei demũ oratori prodesse possunt, qui est uersatus in rebus, uel usu, quem ætas deniq; affert, uel auditione, et cogitatione, quæ studio, & diligentia præcurrit ætatem. Nam si tu mihi quãuis eruditum hominem adduxeris, quamuis acrem, & acutum in cogitando, quamuis ad pronuntiandũ expeditum, si erit idẽ in cõsuetudine ciuitatis, in exemplis, in institutis, in moribus, ac uoluntatibus ciuium suorũ hospes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed nouato & iterato, quo meliores fœtus possit, et grandiores edere. subactio autem est usus, auditio, lectio, literæ. Ac primũ naturam causæ uideat, quæ nunquam latet, factum'ne sit quæratur, an quale sit, an quod nomen habeat, quo pspecto, statim occurrit naturali quadã prudentia, nõ his subductionibus, quas isti docent, qd faciat causam, id est quo sublato controuersia stare nõ possit, deinde qd uenat in iudiciũ, quod isti sic iubent quærere. Interfecit Opimius Gracchũ, quid facit causam? quod reip. causa, cũ ex senatusconsulto ad arma uocasset. hoc tolle, causa non erit. at idipsum negat cõtra leges licuisse Decius. ueniet igitur in iudiciũ, licuerit'ne ex senatusconsulto seruandæ reip. causa. Perspicua sunt hæc quidẽ, & in uulgari prudentia sita. sed illa quærenda, quæ ab accusatore, & defensore argumenta, ad id, quod in iudiciũ uenit, spectantia, debeãt afferri. Atq; hic illud uidendum est, in quo summus est error istorũ magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc qdem ad dicendum magnopere pertineat, sed tamen ut uideatis, quàm sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi uidentur, hebes, atq; impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum, unum appellant, in quo sine personis, atq; temporibus de uniuerso genere quæratur, alterum, quod personis certis, & tẽporibus definiatur, ignari omnes controuersias ad uniuersi generis uim, & naturam referri. nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimij persona, nihil Decij. de ipso enim uniuerso genere infinita quæstio est, num pœna uideatur esse afficiendus, qui ciuem ex senatusconsulto patriæ conseruandæ causa interfecerit, cum id per leges non licæret. Nulla deniq; est causa, in qua id,

quod

quod in iudicium uenit, ex reorum personis, ac non generum ipso-
rum uniuersa disputatione quæratur. Quinetiam in ijs ipsis, ubi de
facto ambigitur, œperit'ne contra leges pecunias P. Decius, argumẽ-
ta & criminum, & defensionis reuocentur oportet ad genus, & ad
naturam uniuersam, quod sumptuosus, de luxuria, quod alieni appe
tens, de auaritia, quod seditiosus, de turbulentis, & malis ciuibus,
quod à multis arguitur, de genere testium, contráq; quæ pro reo di-
centur, omnia necessario à tempore, atque homine ad communes re-
rum, & generum summas reuoluentur. Atque hæc forsitan homi
ni non omnia, quæ sunt in natura rerum œleriter animo comprehẽ
denti, permulta uideantur, quæ ueniant in iudicium tum cum de fa
cto quæratur, sed tamen criminum est multitudo non defensionum,
aut locorum infinita. Quæ uero, cum de facto non ambigitur, quæ-
runtur qualia sint, ea si ex reis numeres, & innumerabilia sunt, &
obscura, si ex rebus, ualde & modica, & illustria. Nam si Man-
cini causam in uno Mancino ponimus, quotiescunque is, quem pater-
patratus dediderit, receptus non erit, toties causa noua nascetur. Sin
illa controuersia causam facit, uideatur'ne ei, quem paterpatratus de
diderit, si is non sit receptus, postliminium esse, nihil ad artem dicen-
di, nec ad argumenta defensionis Mancini nomen pertinet. Ac si-
quid affert præterea hominis aut dignitas, aut ĩdignitas, extra quæ
stionem est, & ea tamen ipsa oratio ad uniuersi generis disputatio-
nem referatur necesse est. Hæc ego non eo consilio disputo, ut homi-
nes eruditos redarguam, quanquam reprehendendi sunt, qui in ge-
nere definiendo istas causas describunt in personis, & in tẽporibus
positas esse. nam & si incurrunt tempora, & personæ, tamen intel-
ligendum est, non ex ijs, sed ex genere quæstionis pendere causas.
Sed hoc nihil ad me. nullum enim nobis œrtamen cum istis esse de-
bet. tantum satis est intelligi, ne hoc quidem eos consecutos, quod in tã
to otio, etiam sine hac forensi exercitatione, efficere potuerunt, ut ge
nera rerũ discernerent, eáq; paulo subtilius explicarent. Verum
hoc (ut dixi) nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad
uos Cotta noster, & Sulpiti, quomodo nunc se istorum artes ha-
bent, pertimescenda est multitudo causarum. est enim infinita. Si in
personis ponitur, quot homines tot causæ, sin ad generum uniuersas
quæstiones referuntur, ita modicæ, & paucæ sunt, ut omnes eas di
ligentes, & memores, & sobrij oratores percursas animo, & propè
decantatas habere debeant. nisi forte existimatis à M. Curio cau-
sam didicisse L. Crassum, & ea re multum attulisse, quamobrem

posthumo non nato Curium tamen hæredem Coponij esse oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, neque ad causæ uim, ac naturam nomen Coponij, ac Curij pertinuit. in genere erat uniuerso rei negotijq;, non in tempore, ac nominibus omnis quæstio, cum scriptū ita sit, Si mihi filius gignitur, isq; prius moritur, & cætera, tum ut mihi ille sit hæres. Si natus filius non sit, uideatur'ne is, qui filio mortuo institutus hæres sit, hæres esse. perpetui iuris, & uniuersi generis quæstio non hominum nomina, rationem dicendi, & argumentorum fontes desyderat. In quo etiam isti nos iurisconsulti impediunt, à discendoq; deterrent. Video enim in Catonis, & Bruti libris nominatim ferè referri, quid alicui de iure, uiro, aut mulieri respõderint. credo ut putaremus in hominibus non in re, consultationis, aut dubitationis causam aliquam fuisse, ut, quod homines essent innumerabiles, debilitati à iure cognoscendo uoluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abijceremus. Sed hæc Crassus aliquãdo nobis expediet, & exponet descripta generatim. est enim, ne forte nescias, heri nobis ille hoc Catule pollicitus, se ius ciuile, quod nunc diffusum, & dissipatum est, in certa genera coacturum, & ad artem facile redacturum. Et quidem inquit Catulus haud quaquam id est difficile Crasso, qui & quod disci potuit de iure, didicit, & quod ijs, qui eum docuerunt, defuit, ipse affert, ut quæ sint in iure, uel acute describere, uel ornate illustrare possit. Ergo ista inquit Antonius tum à Crasso discemus, cum se de turba, & à subselljs in otium (ut cogitat) solitudinemq; contulerit. Iam id quidem sæpe inquit Catulus, ex eo audiui, cum diceret sibi certum esse à iudicijs, causisq; discedere. sed, ut ipsi soleo dicere, non licebit. neque enim ipse auxilium suum sæpe à uiris bonis frustra implorari patietur, neq; id æquo animo feret ciuitas, quæ si uoce L. Crassi carebit, ornamento quodam sese spoliatam putabit. Nam hercle inquit Antonius, si hæc uere à Catulo dicta sunt, tibi mecum in eodem est pistrino Crasse uiuendum, & istam oscitantem, & dormitantem sapientiam, Scæuolarum, & cæterorum beatorum otio concedamus. Arrisit hic Crassus leuiter, & pertexe modo inquit Antoni, quod exorsus es, me tamen ista oscitans sapientia, simul atque ad eam confugero, in libertatem uindicabit. Huius quidem loci, quẽ modo sum exorsus, hic est finis inquit Antonius, quoniam intelligitur nõ in hominum innumerabilibus personis, neque in infinita temporũ uarietate, sed in generum causis, atque naturis omnia sita esse, quæ in dubium uocarentur, genera autem esse definita nó solum numero, sed eti-

am paucitate,ut eam materiem orationis,quæ cuiusq; esset generis, studiosi qui essent dicendi,omnibus locis descriptam,instructam,ornatamq; comprehenderent,rebus dico,& sententijs. Ea,ui sua, uerba parient,quæ semper satis ornata mihi quidem uideri solent, si eiusmodi sunt,ut ea res ipsa peperisse uideatur. Ac si uerũ quæritis,quod mihi quidẽ uideatur(nihil enim aliud affirmare possum nisi sententiam,& opinionem meam)hoc instrumentum causarum, & generum uniuersorum in forum deferre debemus,neq; ut quæq; res delata ad nos erit,tum deniq; scrutari locos,ex quibus argumenta eruamus,quæ quidem omnibus,qui ea mediocriter modo consyderarint,studio adhibito,et usu,pertractata esse possunt,sed tamẽ animus referendus est ad ea capita,& ad illos,quos sæpe iam appellaui locos,ex quibus omnia ad omnem orationem inuenta ducuntur. Atq; hoc totum est siue artis,siue animaduersionis,siue consuetudinis,nosse regiones,intra quas uenere,& peruestiges,quod quæras. Vbi eum locum omnem cogitatione sepseris, si modo usum rerum percalleueris,nihil te effugiet,atque omne, quod erit in re, occurret,atque incidet.& sic cum ad inueniendum in dicendo hæc tria sint,acumen,deinde ratio,quam licet(si uolumus) appellemus artem,tertium diligentia,non possum equidem non ingenio primas concedere,sed tamen ipsum ingenium diligentia,etiam ex tarditate,incitat. Diligentia inquam cum omnibus in rebus,tum in causis defendendis plurimum ualet,hæc præcipue colenda est nobis, hæc semper adhibenda,hæc nihil est,quod non assequatur,causa ut penitus,quod initio dixi,nota sit,diligentia est.ut aduersarium attente audiamus,atque ut eius non solum sententias, sed etiam uerba omnia excipiamus, multus denique perspiciamus omnes, qui sensum animi plerunque indicant, diligentia est. id tamen dissimulanter facere,ne sibi ille aliquid proficere uideatur, prudentia est. deinde ut in ijs locis,quos proponam paulo post, peruoluatur animus,ut se penitus insinuet in causam,ut sit cura, & cogitatione intentus, diligentia est,ut his rebus adhibeat tanquam lumen aliquod memoriam,ut uocem,ut uires.hæc magna sunt. Inter ingenium quidem,& diligentiam perpaululum loci reliquum est artibus demonstrat tantum ubi quæras,atque ubi sit illud, quod studeas inuenire. reliqua,quæ sunt in cura,attentione animi, cogitatione,uigilantia,assiduitate,labore,complectar uno uerbo, quo sæpe iam usi sumus,diligentia,qua una uirtute omnes uirtutes reliquæ continentur.Nam orationis quidem copia uidemus ut abun-

dent philoſophi, qui (ut opinor, ſed tu hæc Catule melius) nulla dant præcepta dicendi, nec iccirco minus quæcunq; res propoſita eſt, ſuſcipiunt, de qua copioſe, et abundanter loquantur. Tum Catulus, Eſt inquit, ut dicis, Antoni, ut pleriq; philoſophi nulla tradant præcepta dicendi, & habeant paratum tamen quid de quaq; re dicant. Sed Ariſtoteles is, quem maxime ego admiror, propoſuit quoſdã locos, ex q̃bus omnis argumentatio nõ modo ad philoſophorum diſputationẽ, ſed etiam ad hanc, qua in cauſis utimur, inueniretur, a` quo q̃dẽ homine iandudum Antoni non aberrat oratio tua, ſiue tu ſimilitudine illius diuini ingenij in eadem incurris ueſtigia, ſiue etiã illa ipſa legiſti, atq; didiciſti, quod quidem mihi magis ueriſimile uidetur. plus enim te operæ græcis dediſſe rebus uideo, quàm putarã. Tum ille, uerum inquit ex me audies Catule, ſemper ego exiſtimaui iucundiorem, & probabiliorem huic populo oratorẽ fore, qui primum quãmminimam artificij alicuius, deinde nullã græcarum rerũ ſignificationem daret. atq; ego idẽ exiſtimaui peccatis eſſe non hominis, cum tantas res græci ſuſciperent, profiterentur, agerent, ſeſéq; & uidendi res obſcuriſſimas, & bene uiuendi, & copioſe dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admouere aurem, & ſi palàm audire eos non auderes, ne minueres apud tuos ciues authoritatem tuã, ſubauſcultando tamen excipere uoces eorũ, & procul q̃d narrarent attendere. itáq; feci Catule, & iſtorũ omnium ſummatim cauſas, & genera ipſa guſtaui. Valde hercule inquit Catulus, timide tanquã ad aliquem libidinis ſcopulum, ſic tuã mentem ad philoſophiam appuliſti, quam hæc ciuitas aſpernata nunquã eſt. Nam & referta quondã Italia pythagoreorum fuit, tum cum erat in hac gẽte magna illa græcia, ex quo etiam quidam Numam Pompiliũ illũ regem noſtrum, fuiſſe pythagoreum ferunt, qui annis permultis ante fuit, quàm ipſe Pythagoras, quo etiam maior uir habendus eſt, cum illam ſapientiam conſtituendæ ciuitatis duobus prope` ſeculis ante cognouit, quàm eam græci natam eſſe ſenſerunt. & certe non tulit ullos hæc ciuitas aut gloria clariores, aut authoritate grauiores, aut humanitate politiores P. Africano. C. Lælio. L. Furio, qui ſecum eruditiſſimos homines ex Græcia palàm ſemper habuerunt. Atq; ego ex iſtis ſæpe audiui, cum dicerent pergratum Athenienſes & ſibi feciſſe, & multis principibus ciuitatis, quod cum ad ſenatum legatos de ſuis maximis rebus mitterẽt, tres illius ætatis nobiliſſimos philoſophos miſiſſent Carneadẽ, et Critolaũ, et Diogenẽ, itaq; eos dũ Romæ eẽnt, et a` ſe, et ab aliis frequẽter auditos, quos tu cũ haberes authores

Antoni muror cur philoſophiæ,ſicut Zethus ille pacuuianus prope bellum indixeris. Minime inquit Antonius,ac ſic decreui philoſophari potius,ut Neoptolemus apud Ennium,paucis.nã omnino haud placet. Sed tamen hæc eſt mea ſententia,quam uidebar expoſuiſſe. ego iſta ſtudia non improbo,moderata modo ſint. opinionem iſtorũ ſtudiorum,& ſuſpicionem artificij apud eos,qui res iudicent,oratori aduerſariã eſſe arbitror.immunuit enim et oratoris authoritatẽ, et orationis fidẽ.Sed,ut cò reuocetur,unde huc declinauit oratio,ex tribus iſtis clariſſimis philoſophis,quos Romã ueniſſe dixiſti, uides ne Diogenem fuiſſe,q dicæret,artẽ ſe tradere bene diſſerẽdi,et uera, ac falſa dijudicãdi,quã uerbo græco διαλεκτικὴν appellaret.In hac arte,ſi modo eſt hæc ars,nullũ eſt præceptũ,quomodo uerũ inuenia tur,ſed tantum eſt,quomodo iudicætur.Nam & omne,quod eloquimur,fit,ut id aut eſſe dicamus,aut non eſſe,et ſi ſimpliciter dictũ ſit, ſuſcipiunt dialectica,ut iudicent,uerum'ne ſit,an falſum,& ſi coniunctẽ ſit elatum,& adiuncta ſint alia,iudicent recte'ne adiuncta ſint, & uerá'ne ſumma ſit uniuſcuiuſq; rationis,& ad extremum ipſi ſe compungunt ſuis acumnibus,& multa quærendo reperiunt nõ modo ea,quæ iam non poſſint ipſi diſſoluere,ſed etiã quibus ante exorſa,& potius detexta propè retexantur.Hic nos igitur ſtoicus iſte nihil adiuuat,quoniam quemadmodum inueniam,quid dicã non docet,atq; idem etiã impedit,quod et multa reperit,quæ neget ullo modo poſſe diſſolui,et genus ſermonis affert non liquidum,non fuſum, ac profluens,ſed exile,aridum,concaſum,ac minutum. quod ſiquid probabit,ita probabit,ut oratori tamen aptum nõ eſſe fateatur.Hæc enim noſtra oratio multitudinis eſt auribus accommodanda, ad oblectandos animos,ad impellendos,ad ea probanda,quæ non aurificis ſtatera,ſed quadam populari trutina examinantur. Quare iſtam artem totam dimittamus,quæ in excogitandis argumentis muta nimium eſt,in iudicandis nimium loquax. Critolaum iſtum,quem ſimul cũ Diogene ueniſſe cõmemoras,puto plus huic ſtudio noſtro prodeſſe potuiſſe.erat enim ab iſto Ariſtotele,à cuius inuentis tibi ego uideor nõ longe aberrare,atq; inter hũc Ariſtotelẽ,cuius et illũ legi librũ,in quo expoſuit dicendi artes omnium ſuperiorũ,et illos,in quibus ipſe ſua quædam de eadem arte dixit,et hos germanos huius artis magiſtros,hoc mihi uiſum eſt intereſſe,quod ille eadẽ acie mẽtis, qua rerum omnium uim,naturaḿq; uiderat,hæc quoque aſpexit, quæ ad dicendi artem,quã ille deſpiciebat,pertinebant, illi autem, qui hoc ſolũ colendũ ducebant,habitarunt in hac una ratione tra-

standa, non eadē prudentia, qua ille, sed usu in hoc uno genere, stu dioq; maiore. Carneadis uero uis incredibilis illa dicendi, & na rietas perquam esset optanda nobis, qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugna uit, quam non euerterit. Sed hoc maius est quoddam, quàm ab ijs, q hæc tradunt, & docent, postulandum sit. Ego autem, siquē nunc pla ne rudem institui ad dicendum uelim, his potius tradā assiduis uno opere eandem incudem diem, noctemq; tundentibus, qui oēs tenuis simas pticulas, atq; omnia minima mansa, ut aiunt, nutrices infanti bus pueris in os inserant. Sin sit is, qui et doctrina mihi liberaliter institutus, et aliquo iam imbutus usu, et satis acri ingenio esse uidea tur, illuc eum rapiā, ubi nō secluſa aliqua aquula teneatur, sed un de uniuersum flumen erumpat, et illi sedes, & tanquam domicilia omniū argumentorū commostret, & ea breuiter illustret, uerbisq; definiat. Quid enim est, in quo hæreat, qui uiderit omne, qđ sū matur in oratione, aut ad probandum, aut ad refellendū, aut ex sua sumi ui, atque natura, aut assumi foris? Ex sua ui, cū aut res quæ sit tota quæratur, aut pars eius, aut uocabulū quod habeat, aut quip piam rem illam quod attingat. extrinsecus autē, cum ea, quæ sunt foris, neq; inhærent in rei natura colliguntur. Si res tota quæritur, de finitione uniuersa uis explicanda est sic. si maiestas est amplitudo, ac dignitas ciuitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus Po. R. tra didit, nō qui eū, qui id fecisset, populi R. potestati tradidit. Sin pars, partitione, hoc modo. aut senatui parendum de salute reip. fuit, aut aliud consiliū instituendum, aut suaſponte faciendum. aliud consi lium, superbū. suum, arrogans. utendum igitur fuit consilio senatus. Sin ex uocabulo, ut Carbo, si consul est, qui consulit patriæ, qd aliud fecit Opimus? Sin ab eo, quod rē attingat, plures sunt argumento rum sedes, ac loci. nam et coniuncta quærimus, et genera, & par tes generibus subiectas, & similitudines, et dissimilitudines, & con traria, et consequentia, & consentanea, et quasi præcurrentia, & repugnantia, & causas rerum uestigabimus, et ea, quæ ex causis or ta sunt. & maiora. paria. minora quæremus. Ex coniunctis sic ar gumenta ducuntur. Si pietati summa tribuenda laus est, debetis mo ueri, cum Quintum Metellū tam pie lugere uideatis. Ex genere autem. Si magistratus in Populi R. potestate esse debent, quid Nor banum accusas, cuius tribunatus uoluntati paruit ciuitatis? Ex par te autem ea, quæ est subiecta generi. Si omnes, qui reip. consulūt, ce ri nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorū consilijs, uir-

tute, periculis retinemus & nostram salutem, & imperij dignitatẽ.
Ex similitudine autem. Si feræ partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus? At ex dissimilitudine. Si barbarorũ est in diem uiuere, nostra consilia in sempiternum tempus spectare debent. atq; utroq; in genere & similitudinis, et dissimilitudinis, exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis, & fictæ narrationes sæpe ponendæ. Iam ex contrario. Si Gracchus nefarie, præclare Opimus. Ex consequẽtibus. Si et ferro interfectus ille, & tu inimicus eius cum gladio cruento comprehẽsus es in illo ipso loco, & nemo præter te ibi uisus est, et causa nemini, & tu semper audax, quid est, quod de facinore dubitare possimus? Ex consentaneis, & præcurrentibus, et repugnantibus, ut olim Crassus adolescens. Non si Opimium defendisti Carbo, ideirco te isti bonum ciuem putabunt. simulasse te, et aliud quid quæsisse ꝓspicuũ est, quod T. Gracchi mortem sæpe in concionibus deploraſti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a' bonis dissensisti. Ex causis autem rerũ sic. Auaritiam si tollere uultis, mater eius est tollẽda luxuries. Ex ijs autẽ, quæ sunt orta de causis. Si ærarij copijs, et ad belli adiumẽta, et ad ornamẽta pacis utimur, uectigalibus seruiamus. Maiora autẽ, et minora, et paria' cõparabimus sic. ex maiore. Si bõa existiatio diuitijs præstat, et pecunia tãto ꝓpe expetitur, ꝙto gloria magis est expetẽda? ex minore sic.

—Hic paruæ consuetudinis
Causa huius mortem fert tam familiariter,
Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic. est eiusdẽ & eripere contra remp. et largiri pecunias.

Foris autem assumuntur ea, quæ nõ sua ui, sed extranea subleuãtur, ut hæc. hoc uerũ est. dixit enim Q. Luctatius. hoc falsum est. habita enim quæstio est. hoc sequi necesse est. recito enim tabulas. de quo genere toto paulo ante dixi. Hæc ut breuissime dici potuerũt, ita a' me dicta sunt. Vt enim si aurũ cui, quod esset multifariã defossum, cõmostrare uellem, satis esse deberet, si signa, et notas ostenderem locorũ, quibus cognitis, ille sibi ipse foderet, et id, quod uellet paruo labore, nullo errore inueniret, sic has ego argumentorũ notas, quæ illa mihi quærenti, demonstrant ubi sint, reliqua cura, & cogitatione eruuntur. Quod autem argumentorum genus cuiq; causarum generi maxime conueniat, non est artis exquisitæ præscribere, sed est mediocris ingenij iudicare. neq; enim nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctis-

simis hominibus usus nostri quasi quædam admonita tradamus. His igitur locis in mente, & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum posita exactatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, nõ modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicẽdi. Si uero assequetur, ut talis uideatur, qualem se uideri uelit, et animos eorum ita afficiat, apud quos aget, ut eos quocunq; uelit uel trahere, uel rapere possit, nihil profecto præterea ad dicendum requret. Iam illud uidemus nequaquam satis esse reperire, qd dicas, nisi id inuentum tractare possis. Tractatio autẽ uaria esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audiat, aut defatigetur simlitudinis satietate. Proponi oportet quid asseras, et id quare ita sit, ostendere, & ex ijsdem illis locis interdum concludere, relinquere aliâs, alioq; transire. sæpe non proponere, ac ratione ipsa afferenda, quid proponendũ fuerit, declarare. sicui quid simile dicas, prius ut simile confirmes, deinde quod agitur adiungas. puncta argumentorum plerunq; ut oculas, nequis ea numerare possit, ut re distinguantur, uerbis confusa esse uideantur. Hæc ut & properans, & apud doctos, & semidoctus ipse percurro, ut aliquando ad illa maiora ueniamus. Nihil est enim in dicendo Catule maius, quàm ut faueat oratori is, qui audiet, utq; ipse sic moueatur, ut impetu quodam animi, & perturbatione magis, quã iudicio, aut consilio regatur. Plura.n. multo homines iudicant, odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua pmotione mentis, quã ueritate, aut præscripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus. quare, nisi quid uobis aliud placet, ad illa pergamus. Paulum inqt Catulus etiam nunc deesse uidetur ijs rebus Antoni, quas exposuisti, quod sit tibi ante explicandum, quàm illuc proficiscare, quo te dicas intendere. Quid nam inquit? Qui ordo tibi placet inquit Catulus, & quæ dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus uideri soles. Vide quàm sim in isto genere inquit Catule deus, nõ mehercule mihi nisi admonito uenisset in mentem, ut possis existimare me in ea, in quibus nonnunquã aliquid efficere uideor, usu solere in dicendo, uel casu potius incurrere. Acres quidem ista, quam ego, qa non noram, sic tanquam ignotum hominem præteribam, tantum potest in dicendo, ut ad uincendum nulla plus possit. Sed tamen mihi uideris ante tempus à meratione ordinis, & disponendarum rerũ requisisse. Nã si ego omnem uim oratoris in argumentis, et in re ipsa per se comprobanda posuissem, tempus esset iam de ordine argumentorum, & de collocatione aliquid dicere. sed cum tria sint à me pro-

posita,

posita, de uno dictum, cũ de duobus reliquis dixero, tum erit deniq; de disponenda tota oratione quærendum. Valet igitur multum ad uincendum probari mores, instituta, & facta, & uitam, & corũ, qui agent causas, & eorum pro qbus, & item improbari aduersariorũ, animosq; eorũ, apud quos agitur, conciliari quammaxime ad beneuolentiam, cum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione uitæ, quæ facilius ornari possunt, si modo sunt, quàm fingi, si nulla sunt. Sed hæc adiuuant in oratore lenitas uocis, uultus, pudoris significatio, uerborum comitas, siquid persequare acrius, ut inuitus, et coactus facere uideare, facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, nõ auidi signa proferri perutile est, caq; omnia, quæ proborum, demissorũ, non acrium, nõ pertinacium, nõ litigiosorum, non acerborum sunt, ualde beneuolentiam conciliant, abalienantq; ab ijs, in qbus hæc non sunt. Itaq; eadẽ sunt in aduersarios ex contrario conferẽda. Sed genus hoc totũ orationis in ijs causis excellet, in qbus minus potest inflammari animus iudicis acri, & uehementi quadã imitatione. Non enim semper fortis oratio quæritur, sed sæpe placida, summissa, lenis, quæ maxime commendat reos. reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorũ de re disceptatur. sic enim olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratione, iustos, integros, religiosos, timidos, pferentes iniuriarum, murũ quiddam ualet, & hoc uel in principijs, uel in re narranda, uel in peroranda tantam habet uim, si est suauiter, & cum sensu tractatum, ut sæpe plus, quàm causa ualeat. tantum autẽ efficitur sensu quodã, ac ratione dicendi, ut quasi mores oratoris effingat oratio. genere enim quodã sententiarũ, & genere uerborũ, adhibita etiã actione leni, facilitateq; significandi, efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni uiri esse uideantur. Huic autem est illa dispar adiuncta ratio orationis, quæ alio quodã genere mentes iudicum permouet, impellitq;, ut aut oderint, aut diligant, aut inuideant, aut saluũ uelint, aut metuant, aut sperent, aut cupiant, aut abhorreant, aut lætentur, aut mœreant, aut misereãtur, aut punire uelint, aut ad eos motus adducantur, siqui finitimi sunt, & propinqui his, ac talibus animi perturbationibus. Atq; illud optandum est oratori, ut aliquam pmotionem animorũ sua sponte ipsi afferant ad causam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret accommodatam. facilius est enim currentẽ (ut aiunt) incitare, quàm commouere languentem. Sin id aut nõ erit, aut erit obscurius, sicut medico diligẽti priusquam cœnetur ægro adhibe-

re medicinã,non ſolum morbi eius,cui mederi uolet,ſed etiam cõ-ſuetudo ualentis,& natura corporis cognoſcenda eſt,ſic equidẽ cum aggredior ancipitem cauſam,et grauẽ ad animos iudicũ pertractandos,omni mente in ea cogitatione,curáq; uerſor,ut odorer,quã ſagaciſſime poſſim,qd ſentiant,quid exiſtiment,qd expectent, quid uelint,quo deduca oratiõe facillime poſſe uideantur.Si ſe dant,et,ut antedixi,ſua ſponte,quo impellimus inclinant,atq; propendent,accipio quod datur,& ad id,unde aliqs flatus oſtenditur,uela do.ſin eſt integer,quietuſq; iudex,plus eſt operis.ſunt enim omnia dicendo exactanda nihil adiuuante natura.Sed tantam uim habet illa,quæ recte à bono poëta dicta eſt flexanima,atq; omnium regina rerũ oratio, ut non modo inclinantem erigere,aut ſtantem inclinare,ſed etiã aduerſantem,et repugnantem,ut imperator bonus, ac fortis capere poſſit.Hæc ſunt illa,quæ me ludens Craſſus modo flagitabat,quæ à me diuinitus tractari ſolere diceret,& in cauſa M.Aquilj.Caiſq; Norbani,nonnulliſq; alijs,quaſi præclare acta laudaret,quæ mehercule ego Craſſe,cum à te tractantur in cauſis,horrere ſoleo,tanta uis animi, tantus impetus,tantus dolor,oculis,uultu,geſtu , digito deniq; iſto tuo ſignificari ſolet.tantum eſt flumen grauiſſimorum,optimorumq; uerborum,tam integræ ſententiæ,tam ueræ,tam nouæ,tam ſine pigmentis,fucoq; puerili,ut mihi non ſolum tu incendere iudicem,ſed ipſe ardere uidearis.Neq; fieri poteſt,ut doleat is,qui audit, ut oderit,ut inuideat,ut pertimeſcat aliquid,ut ad fletum,miſericordiamq; deducatur,niſi omnes ij motus,quos orator adhibere uolet iudicia,in ipſo oratore impreſſi eſſe,atq; inuſti uidebuntur.Quod ſi fictus aliquis dolor ſuſcipiendus eſſet, & ſi in eiuſmodi genere orationis nihil eſſet,niſi falſum,atq; imitatione ſimulatum,maior ars aliqua forſitan eſſet requirenda,nunc ego quid tibi Craſſe,quid cæteris accidat,neſcio,de me autem cauſa nulla eſt,cur apud homines prudentiſſimos,atq; amicaſſimos mentiar.non mehercule unquam apud iudices,aut dolorem,aut miſericordiam,aut inuidiam,aut odium excitare dicendo uolui,quin ipſe in commouendis iudicibus ijs ipſis ſenſibus,ad quos illos adducere uellem, permouerer.Neq; enim facile eſt perficere,ut iraſcatur ei,cui tu uelis iudex,ſi tu ipſe id lente ferre uideare,neq; ut oderit eum,quẽ tu uelis,niſi te ipſum flagrantem odio ante uiderit.Neq; ad miſericordiam adducetur,niſi ei tu ſigna doloris tui uerbis,ſententijs,uoce,uultu,collachrymatione deniq; oſtenderis.Vt enim nulla materies tam facilis ad exardeſcendũ eſt,quæ niſi admoto igni,ignem concipere poſſit,ſic nulla mens eſt tam ad cõ-

prehendendam

prehendendam uim oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesserit. Ac ne forte hoc magnum, ac mirabile esse uideatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, præsertim in rebus alienis, magna uis est earum sententiarum, atq; eorum locorum, quos agas, tractesq; dicendo, ut nihil opus sit simulatione, & fallacijs. Ipsa enim natura orationis eius, quæ suscipitur ad aliorum animos permouendos, oratorē ipsum magis etiam, quàm quenquam eorum, qui audiunt, permouet. & ne hoc in causis, in iudicijs, in amicorum periculis, in concursu hominum, in ciuitate, in foro accidere miremur, cum agitur non solum ingenij nostri existimatio (nam id esset leuius, quanquam cum professus sis te id posse facere, quod paucis, ne id quidem negligendum est) sed alia sunt maiora multo, fides, officium, diligentia, quibus rebus adducti, etiam cum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi uiri boni uolumus haberi, existimare non possumus, sed ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse uideatur, quid potest esse tam fictum, quàm uersus, quàm scena, quàm fabulæ? tamen in hoc genere sæpe ipse uidi, cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis uiderentur spondalia illa dicentis.

Segregare abs te ausus, aut sine illo salamina ingredi,
Neq; paternum aspectum es ueritus.-

Nunquam illum aspectum dicebat, quin mihi Telamon iratus fulgere luctu filij uideretur. Vt idem inflexa ad miserabilē sonū uoce,

-quem ætate exacta indigem
Liberum lacerasti, orbasti, extinxsti, neq; fratris necis
Neq; gnati eius parui, qui tibi in tutelam est traditus.

flens, ac lugens dicere uidebatur? Quæ si ille histrio quotidie cum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat, qd Pacuuium putatis in scribendo leni animo, ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. Sæpe enim audiui, poëtam bonū neminem (id quod à Democrito, et Platone in scriptis relictū esse dicunt) sine inflammatione animorū existere posse, et sine quodā afflatu quasi furoris. Quare nolite existimare meipsum, qui non heroum ueteres casus, fictosq; luctus uellē imitari, atq; adumbrare dicendo, neq; actor essem alienæ psonæ, sed author meæ, cum mihi M. Aquilius in ciuitate retinēdus esset, quæ in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulē fuisse, imperatorē ornatum à senatu, ouantem in capitolium ascendisse memminissem, hunc cū afflictū, debilitatum, mœrentem, in summū discrimen adductum uiderē, non prius sum conatus

miſericordiam alijs cõmouere, quàm miſericordia ſum ipſe captus. Senſi equidem tum magno pere moueri iudices, cum excitaui mœſtũ, ac ſordidatum ſenem, et cum iſta fea, quæ tu Craſſe laudas, nõ arte, de qua quid loquar neſcio, ſed motu magno animi, ac dolore, ut diſcinderem tunicam, ut cicatrices oſtenderem, cum C. Marius mœrorem orationis meæ præſens, ac ſedens multum lachrymis ſuis adiuuaret, cumq; ego illum crebro appellans collegam ei ſuum cõmendarem, atq; ipſum aduocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam inuocarem, non fuit hæc ſine meis lachrymis, nó ſine dolore magno miſeratio, omniumq; deorum, & hominum, & ciuium, & ſociorum imploratio, quibus omnibus uerbis, quæ à me tum ſunt habita, ſi dolor abfuiſſet meus, non modo non miſerabilis, ſed etiam irridenda fuiſſet oratio mea. Quamobrem hoc uos doceo Sulpiti, bonus ego uidelicet, atq; eruditus magiſter, ut in dicendo iraſci, ut dolere, ut flere poſſitis, quanquam te quidem quid hoc doceam? qui in accuſando ſodali, & quæſtore meo tantum incendium non oratione ſolũ, ſed multo etiam magis ui, & dolore, & ardore animi concitaras, ut ego ad id reſtringendũ uix conarer accedere. habueras enim tu omnia in cauſa ſuperiora, uim, fugam, lapidationem, crudelitatẽ tribunitiam in Cepionis graui, miſerabiliq; caſu, in iudicium uocabas, deinde principem & ſenatus, & ciuitatis M. Aemlium lapide percuſſum eſſe conſtabat, ui pulſum ex templo L. Cottam. & T. Didium, cum intercedere uellent rogationi, nemo poterat negare. Accedebat, ut hæc tu adoleſcens pro rep. queri ſumma cum dignitate exiſtimarere, ego homo cenſorius uix ſatis honeſte uiderer ſeditioſum ciuem, & in hominis conſularis calamitate crudelem, poſſe defendere. Erant optimi ciues iudices, bonorum uirorum plenum forũ, uix ut mihi tenuis quædam uenia daretur excuſationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quæſtor fuiſſet. Hic ego quid dicam me artẽ aliquã adhibuiſſe? quid fecerim narrabo, ſi placuerit, uos meam defenſionem in aliquo artis loco reponetis. Omniũ ſeditionum genera, uitia, pericula collegi, eamq; orationem ex omni reip. noſtræ temporum uarietate repetiui, concluſiq; ita, ut dicerẽ, & ſi omnes moleſtæ ſemper ſeditiones fuiſſent, iuſtas tamen fuiſſe nonnullas, & propè neceſſarias. tum illa, quæ modo Craſſus commemorabat, egi, neq; reges ex hac ciuitate exigi, neq; tribunos pl. creari, neq; plebiſcitis toties conſularem poteſtatem minui, neq; prouocationem patronam illam ciuitatis, ac uindicem libertatis populo R. dari ſine nobilium diſſenſione potuiſſe, ac ſi illæ ſeditiones ſaluti huic ciuitati fuiſſent, non

continuo

continuo siquis motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine, atq; in fraude capitali esse ponendum. Quod si unquam populo R. concessum esset, ut iure incitatus uideretur, id quod docebam sæpe esse concessum, nullam illa causam iustiorem fuisse. Tum omnem orationem traduxi, & conuerti in increpandam Cepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus, sic & eorum dolorẽ, qui lugebãt suos, oratione refricabã, & animos equitum romanorũ, apud quos tum iudices causa agebatur ad Q. Cepionis odium, a' quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renouabam, atq; reuocabã. Quod ubi sensi me in possessione iudicij, ac defensionis meæ constitisse, quod & populi beneuolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum seditionis coniũctione defenderam, et iudicum animos totos uel calamitate ciuitatis, uel luctu, ac desyderio propinquorum, uel odio proprio in Cepionem ad causam nostram conuertẽrã, tunc admiscere huic generi orationis uehementi, atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputaui, lenitatis, et mansuetudinis cœpi. me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more maiorum esse deberet, & pro mea omni fama propè, fortunisq; decernere, nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quàm si is, qui sæpe alienissimus a' me, sed meis tamen cauibus saluti existimarer fuisse, sodali meo auxiliũ ferre nõ potuissem. Petebam a' iudicibus, ut illud ætati meæ, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum uiderent, concederent, præsertim, si in alijs causis intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil unquã pro me ipso deprecatum. Sic in illa omni defensione, atque causa, quod esse in arte positũ uidebatur, ut de lege apuleia dicerem, ut qd esset minuere maiestatẽ explicarem, per quam breuiter ꝑstrinxi, atq; attigi. His duabus partibus orationis, quarum altera concitationem habet, altera cõmendationẽ, quæ minime præceptis artium sunt perpolitæ, omnis est a' me illa causa tractata, ut & acerrimus in Cepionis inuidia renouãda, & in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus uiderer, ita magis affectis animis iudicum quàm doctis, tua Sulpiti est a' nobis tum accusatio uicta. Hic Sulpitius, Vere hercule inquit Antoni ista commemoras, nam ego nihil unq̃ uidi, quod tam è manibus elaberetur, quàm mihi tum est elapsa illa causa. cũ enim, quemadmodum dixisti, tibi ego non iudicium, sed incendiũ tradidissem, quod tuum principium dij immortales fuit? qui timor? quæ dubitatio? quanta hæsitatio, tractusq; uerborum? Vt tu illud initio, qd tibi unum ad ignoscendum homines dabant, tenuisti? te pro hom-

re pernecessario quæsiore tuo dicere? quam tibi primum munisti ad te audiendũ uiá? Eæ autem cum te nihil aliud profecisse arbitrarer, nisi ut homines tibi ciuem improbum defendenti ignoscendum propter necessitudinem arbitrarentur, serpere occulte cœpisti nihil dum aliis suspicantibus, me uero iam pertimescente, ut illam non Norbani seditionem, sed illam populi R. iracundiá, neq; eã iniustam, sed meritam, ac debitá fuisse defenderes, deinde qui locus abs te prætermissus est in Cepionem? ut tu illa omnia odio, inuidia, misericordia, muscuisti? neq; hæc solũ in defensione, sed etiã in Scauro, cæterisq; meis testibus, quorum tu testimonia non refellendo, sed ad eundẽ impetũ populi confugiendo, refutasti. Quæ cum abs te modo cõmemorarentur, equidem nulla præcepta desyderabam. istam enim ipsam demõstrationem defensionum tuarũ abs te ipso commemoratam doctrinã esse nõ mediocrem puto. Atqui si ita placet inqt Antonius, tradamus etiá, quæ nos sequi in dicendo, quæq; maxime spectare solemus. docuit. n. iam nos longa uita, usus q; rerũ maximarũ, ut quibus rebus animi hominum mouerentur teneremus. Equidem primũ consyderare soleo, postulet ne causa, nam neq; parum in rebus adhibẽdæ sunt hæ dicendi faces, neq; ita animatis hominibus, ut nihil ad eorũ mentes oratione flectẽdas proficere possimus, ne aut irrisiõe, aut odio digni putemur, si aut tragœdias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea, quæ non possint commoueri. Nã quoniá hæc ferè maxime sunt in iudicum animis, aut quicunq; illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odiũ, iracũdia, inuidia, misericordia, spes, lætitia, timor, molestia, sentimus amorem conciliari, si id uelle uideare, quod sit utile ipsis, apud quos agas, defendere, si aut pro bonis uiris, aut certe pro ijs, qui illis boni, atq; utiles sint laborare. nãq; hæc res amorem magis conciliat, illa uirtutis defensio caritatẽ, plusq; proficit, si proponitur spes utilitatis futuræ, quã præteriti beneficij commemoratio. Enitendum est, ut ostendas in ea re, quam defendas, aut dignitatem inesse, aut utilitatem, eumq;, cui concilies hunc amorẽ, significes nihil ad utilitatem suá retulisse, ac nihil omnino fecisse causa sua. inuidetur enim commodis hominum ipsorum, studijs autẽ eorum cæteris commodandi fauetur. Videndũq; hoc loco est, ne quos ob benefacta diligi uolemus, eorum laudẽ, atq; gloriam, cui maxime inuideri solet, nimis efferre uideamur. Atq; ijsdẽ his ex locis et oditũ in alios struere discemus, et a nobis, ac nostris dimouere, eademq; hæc genera tractanda sunt in iracundia uel excitãda, uel sedãda. nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum, aut inutile sit, id factum

augeas,

augeas, odium creatur. sin quod, aut in bonos uiros, aut in eos, quos quisque minime debuerit, aut in remp. tum excitatur, si nō tam acerbum odium, tamen aut inuidiæ, aut odij non dissimilis offensio.
Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus, interior est ille proprius, sed hic quoque communis ad eandem similitudinem est perducendus. par atque una ratio est spei, letitiæ, molestiæ. Sed haud sciam an acerrimus longe sit omnium motus inuidiæ, nec minus uirium opus sit in ea comprimenda, quàm in excitanda. Inuident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent euolasse, sed etiam superioribus inuidetur sæpe uehementer, & eo magis, si intolerātius seiactant, & æquabilitatem communis iuris, præstantia dignitatis, aut fortunæ suæ transeunt, quæ si inflammanda sunt, maxime dicendum est, non esse uirtute parta, deinde etiam uitijs, atque peccatis. tum sierunt honestiora, atq; grauiora, tamen non esse tanti ulla merita, quanta insolentia hominis, quantumq; fastidium. Ad sedandum autem, magno illa labore, magnisq; periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata, seseq; siquam gloriam peperisse uideatur, tametsi ea non sit æqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamq; abijcere, atque deponere, omninoq; perficiendum est (quoniam plerique sunt inuidi, maximeq; est hoc commune uitium, & peruagatum, inuidetur autem præstanti, florentiq; fortunæ) ut hæc opinio, minuatur, & illa excellens opinione fortuna, cum laboribus, & miserijs permista esse uideatur. Iam miseri cordia mouetur, si is, q audit, adduci potest, ut illa, quæ de altero deplorentur, ad suas res reuocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuens alium crebro ad seipsum reuertatur. ita cum singuli casus humanarum miseriarum grauiter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta, & prostrata uirtus maxime luctuosa est, & ut illa altera pars orationis, quæ probitatis commendatione boni uiri debet speciem tueri, lenis (ut sæpe iam dixi) atque summissa, sic hæc, quæ suscipitur ab oratore ad cōmutandos animos, atque omni ratione flectendos, intenta, ac uehemens esse debet. Sed est quædam in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum uehemens esse uolumus, difficilis ad distinguendum simlitudo. nam ex illa lenitate, qua conciliamur ijs, qui audiunt, ad hanc uim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid, & ex hac ui nonnunquam animi aliquid influendum est illi lenitati, neque est ulla temperatior oratio, quàm illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius

humanitate conditur. remissio autem lenitatis quadam grauitate, & contentione firmatur. In utroq; autem genere dicendi, & illo, in quo uis, atq; contentio quæritur, & hoc, quod ad uitam, et mores accommodatur, & principia tarda sunt, & exitus tñ stipissi, et producti esse debent. Nam neq; assiliendũ statim est ad illud genus orationis (abest enim totum à causa) et homines prius ipsum illud, quod propriũ sui iudicij est, audire desyderant, nec cum in eã rationem ingressus sis; celeriter discedendum est. Non enim sicut argumentum simulatq; positum est, arripitur, alterumq;, & tertium poscitur, ita misericordiã, aut inuidiam, aut iracundiam, simulatq; intuleris, possis cõmouere. Argumentũ enim ratio ipsa confirmat, quæ simulatq; emissa est, adhæresc it, illud autem genus orationis nõ cognitionem iudicis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi nisi multa, & uaria, & copiosa oratione, et simili contentione actionis nemo potest. Quare q aut breuiter, aut summisse dicunt, docere iudicẽ possunt, cõmouere nõ possunt, in quo sunt omnia. Iam illud perspicuũ est, omniũ rerũ in cõtrarias partes facultatẽ ex ijsdẽ suppeditari locis. Sed argumento resistendũ est, aut ijs, quæ comprobãdi eius causa sumuntur, reprehẽdendis, aut demonstrãdo id qđ cõcludere illi uelint, nõ effici ex propositis, nec esse consequens, aut si ita non refellas, afferendũ est in cõtrariã partem, quod sit aut grauius, aut æque graue. Illa autẽ, quæ aut conciliationis causa leuiter, aut permotionis uehementer agũtur, contrarijs commotionibus inferenda sunt, ut odio, beneuolentia, ut misericordia inuidia tollatur. Suauis autem est, & uehementer sæpe utilis iocus, & facetiæ, quæ etiã si alia omnia tradi arte possunt, naturæ sunt propria certe, neq; ullam artem desyderant, in quibus tu longe alijs mea sententia Cæsar excellis, quo magis mihi etiam testis esse potes, aut nullam esse artem salis, aut siqua est, eam nos tu potissimum docebis. Ego uero inquit Cæsar omni de re facetius puto posse ab homine non inurbano, quàm de ipsis facetijs disputari. Itaq; cũ quosdam græcos inscriptos libros esse uidissem de ridiculis, nonnullam in spem ueneram posse me aliquid ex istis discere, inueni aũt ridicula, & salsa multa græcorum, nam & siculi in eo genere, et Rhodij, & Byzantij, et præter cæteros Attica excellunt, sed qui eius rei rationẽ quandã conati sunt, artemq; tradere, sic insulsi extiterunt, ut nihil aliud eorum nisi ipsa insulsitas rideatur. Quare mihi qdẽ uidetur nullo modo doctrina ista res posse tradi. Etenim cũ duo genera sint facetiarũ, alterũ æquabiliter in omni sermone fusum, alterũ peracutũ, et breue, illa à ueteribus supior, cauillatio, hæc altera,

dicacitas

dicacitas nominata est. leue nomen habet utraq; res, quippe leue. n. est totum hoc risum mouere. Verumtamen, ut dicas Antoni multũ in causis persæpe lepore, & facetijs profici uidi. Sed cum in illo genere perpetuæ festiuitatis ars non desyderetur. natura. n. fingit homines, & creat, imitatores, et narratores facetos, & multu adiuuante, et uoce, et ipso genere sermonis, tum uero in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci? cũ ante illud facete dictũ emissum hærere debeat, quàm cogitari potuisse uideatur? Quid. n. hic meus frater ab arte adiuuari potuit, cum à Philippo interrogatus quid latraret, furẽ se uidere respondit. quid in omni oratione Crassus, uel apud centũuiros contra Scæuolam, uel contra accusatorem Brutum, cum pro Gn. Planco diceret? nam id, quod tu mihi tribuis Antoni, Crasso est omniũ sententia concedendum. non enim ferè quisquam repietur præter hũc, in utroq; genere leporis excellens, & illo, quod in perpetuitate sermonis, & hoc, quod in celeritate, atque dicto est. Nam hæc perpetua contra Scæuolã curiana defensio tota redundauit hilaritate quadã, & ioco, dicta illa breuia non habuit. parcebat enim aduersarij dignitati, in quo ipso seruabat suá, quod est hominibus facetis, et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem, & temporum, et ea, quæ occurrant, cum falsissime dici possint, tenere. Itaq; nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. dicere. n. aiũt Ennium flammam à sapiente facilius ore in ardente opprimi, quã bona dicta teneat. hæc scilicet bona dicta, quæ salsa sint. nã ea dicta appellantur proprio iam nomine. Sed ut in Scæuolam continuit ea Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam, disputationem q; lusit, sic in Bruto, quem oderat, et quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere pugnauit. quàm multa de balneis, quas nuper ille uendiderat, quàm multa de amisso patrimonio dixit? atq; illa breuia, cum ille diceret se sine causa sudare, minime mirum inquit, modo enim existi de balneis. Innumerabilia huiusce modi fuerunt, sed nõ minus illa iucunda perpetua. cum enim Brutus duos lectores excitasset, & alteri de colonia narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege seruilia, & cum contraria inter se de rep. capita contulisset, noster hic facetissime tres patris Bruti de iure ciuili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo. Forte euenit, ut in priuernati essemus. Brute, testificatur pater se tibi priuernatẽ fundũ reliquisse. deinde ex libro secundo. In albano eramus ego, & Marcus filius. sapiens uidelicet homo cũ primis nostræ ciuitatis, norat hunc gurgitem, metuebat, ne

cum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur. tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit, tot enim, ut audiui Scælam dicere, sunt ueri Bruti libri. In Tiburti forte assedimus ego, & M. filius. ubi sunt ij fundi Brute, quos tibi pater publicis commentarijs cõsignatos reliquit? quod nisi puberem te inquit iam haberet, quartum librum composuisset, & se etiam in balneis locutum cum filio scriptum reliquisset. Quis est igitur, qui non fateatur hoc lepore, atque ijs facetijs, non minus refutatum esse Brutum, quàm illis tragœdijs; quas egit idem? cum casu in eadem causa cum funere efferretur annus Iunia, proh dij immortales, quæ fuit illa, quanta uis, quàm inexpectata, quàm repentina? cum coniectis oculis, gestu omni immanenti, summa grauitate, & celeritate uerborum, Brute qd sedes? quid illam anum patri nuntiare uis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci uides? quid maioribus tuis? quid Lucio Bruto, qui hunc populum domnatu regio liberauit? quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui uirtuti studere? patrimonio'ne augendo? at id non est nobilitatis, sed fac esse, nihil supereſt, libidines totum dissipauerunt. an iuri ciuili? est paternum, sed dicet te, cum ædes uenderes, ne in rutis quidem, & cæsis solium tibi paternum recepisse, an rei militari? q nunquam castra uideris, an eloquentiæ? quæ nulla est in te, & quic quid est uocis, ac linguæ omne in istum turpissimum calumniæ quæ stum contulisti. Tu lucem aspicere audes? tu hos intueri? tu in foro? tu in urbe? tu in ciuium esse conspectu? tu illã mortuam? tu imagines ipsas non perhorrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti. Sed hæc tragica, atque diuina, facta autem, et urbana innumerabilia ex una concione me ministris: nec enim concio maior unquam fuit, nec apud populũ grauior oratio, quàm huius contra collegam in censura nuper, neque lepore, & festiuitate condi:ior. Quare tibi Antoni utrunque assentior, & multum facetias in dicendo prodesse sæpe, & eas arte nullo modo posse tradi. & illud quidem admiror, te nobis in eo genere tribuisse tantum, & non huius rei quoque palmam, ut cæterarũ Crasso detulisse. Tum Antonius, Ego uero ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc Crasso paulum inuiderem. nam esse quamuis facetũ, atque salsum, non nimis est per se ipsum inuidendum, sed cum omnium sis uenustissimus, & urbanissimus, omnium grauissimum, & seueriſſimum & esse, & uideri, quod isti contigit uni, id mihi uix ferendum uidebatur. Hic cum arrisisset Crassus, Attamen inquit Antonius, cum artem esse facetiarum Iuli negares, apperuisti quid-

dam,quod præcipiendum uideretur. Haberi enim dixisti rationem oportere hominum,rei,temporis,nequid iocus de grauitate decerpe ret,quod quidē in primis à Crasso obseruari solet. Sed hoc præceptum prætermittendum est facetiarum,cum his nihil opus sit,nos autem quomodo utamur,cum opus sit,quærimus , ut in aduersarium, et maxime si eius stultitia poterit agitari,in testem stultum, cupidū, leuem,si facile homines audituri uidebuntur. Omnino probabiliora sunt,quæ lacessiti dicimus,quàm quæ priores.nam et ingenij celeritas maior est,quæ apparet in respondendo,et humanitatis est respōsio.uidemur enim quieturi fuisse,nisi essemus lacessiti. ut in ista ipsa cōtione nihil ferè dictū est ab hoc,quod quidem facetius dictū uideretur,quod non prouocatus responderit.erat autē tanta grauitas in Domitio,tanta authoritas,ut quod esset ab eo obiectum,leporem magis eleuandum,quàm contentione frangendum uideretur. Tū Sulpitius,Quid igitur inquit,patiemur Cæsarem,qui quāquam Crasso facetias concedit,tamen multo in eo studio magis ipse elaborat , nō explicare totum nobis genus hoc iocandi,quale sit,& unde deducatur?præsertim cum tantam uim,& utilitatem salis, et urbanitatis esse fateamur. Quid si inquit Iulius assentior Antonio dicenti nullam esse artem salis? Hic cū Sulpitius reticuisset , quasi uero inqt Crassus,horum ipsorum,de quibus Antonius tandiu loquitur,ars ulla sit.obseruatio quædam est,ut ipse dixit,earum rerū,quæ in dicendo ualent,quæ si eloquentes facere posset,quis esset non eloquens? quis enim hæc uel non facile,uel certe aliquo modo posset edisceré? Sed ego in his præceptis hanc uim , & hanc utilitatem esse arbitror,non ut ad reperiendum,quid dicamus arte ducamur , sed ut ea,quæ natura , quæ studio , quæ exercitatione consequimur , aut recta esse confidamus , aut praua intelligamus , cum quo referenda sint,didicerimus. Quare Cæsar ego quoque à te hoc peto , ut, si tibi uidetur,disputes de hoc toto iocandi genere,quid sentias, nequa forte dicendi pars,quoniam ita uoluisti,in hoc tali cœtu, atque in tam accurato sermone præterita esse uideatur. Ego uero inquit ille,quoniam collectam à conuiua Crasse exigis , non commutam, ut si defugerim,tibi causam aliquam dem recusandi, quanquam soleo sæpe mirari eorum impudentiam , qui agunt in scena gestum spectante Roscio.quis enim sese commouere potest,cuius ille uitia non uideat?sic ego nunc Crasso audiente primum loquar de facetijs,& docebo sus (ut aiunt) oratorem eum , quem cum Catulus nuper audisset,fœnum alios aiebat esse oportere. Tum ille , iocabatur inqt

Catulus, præsertim cum ita dicat ipse, ut ambrosia alendus esse uideatur, uerum te Cæsar audiamus, ut ad Antonij reliqua redeamus. Et Antonius, Perpauca quidem mihi restant inqt, sed tamen defessus iam labore, atque itinere disputationis meæ, requiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo peropportuno diuersorio. Atqui inquit Iulius non nimium liberale hospitium meum dices, nã te in uiam simulac perpaululum gustaris, extrudam, et eijciam. Ac ne diutius uos demorer, de omni isto genere, quid sentiam perbreuiter exponã. De risu quinq; sunt, quæ quærantur, unum, quid sit, alterum, unde sit, tertium, sit ne oratoris uelle risum mouere, quartũ, quatenus, quintum, quæ sint genera ridiculi. Atq; illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quomodo existat, atq; ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, & quomodo simul latera, os, uenas, multum, oculos occupet, uiderit Democritus, neq; enim ad hunc sermonem hoc pertinet, et si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidẽ illi scirent, qui pollicerẽtur. Locus autem, et regio quasi ridiculi (nam id proxime quæritur) turpitudine, et deformitate quadam continetur. hæc enim ridentur uel sola, uel maxime, quæ notant, et designant turpitudinem aliquam non turpiter. Est autem, ut ad illud tertium ueniã, est plane oratoris mouere risum, uel quod ipsa hilaritas beneuolentiã concaliat ei, per quem excitata est, uel quod admirãtur omnes acumen uno sæpe in uerbo positum, maxime respondentis, nonnunquã etiam lacessentis uel quod frangit aduersarium, quod impedit, quod eleuat, quod deterret, quod refutat, uel quod ipsum oratorẽ politum esse hominẽ significat, quod eruditum, quod urbanum, maximéq; quod tristitiam, ac seueritatem mitigat, et relaxat, odiosásq; res sæpe, quas argumentis dilui non facile est, ioco, risúq; dissoluit. Quatenus autẽ sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter uidendum est, id qđ in quarto loco quærendi posueramus. nam nec insignis improbitas, & scelere iuncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur. facinorosos enim maiore quadam ui, quã ridiculi, uulnerari uolunt, miseros illudi nolunt, nisi si se forte iactant. Parcendum est autem maxime ueritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur. Hæc igitur adhibenda est primum in iocando moderatio. itaq; ea facillime luduntur, quæ neque odio magno, nec misericordia maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorũ est in istis uitijs, quæ sunt in uita hominum neque atrorum, neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi uidentur, eáq;

belle agitata ridentur. Est etiam deformitatis, & corporis uitiorũ satis bella materies ad iocandum. Sed quærimus idẽ, quod in cæteris rebus maxime quærendum est, quatenus. In quo non modo illud præcipitur, nequid insulse, sed etiam siquid perridiculè possis. uitandũ est oratori utrunq; ne aut scurrilis iocus sit, aut numeus. Quæ cuiusmodi sint, facilius iam intelligemus, cum ad ipsa ridiculorũ genera deuenerimus. Duo enim sunt genera facetiarum, quorũ alterum re tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid tanquam aliqua fabella narratur, ut olim tu Crasse in Memmium, cœmediſſe eum Lacertum Largij, cum esset cum eo Tarracinæ de anniculà rixatus, salsa, attamen à te ipso ficta tota narratio, addidisti clausulam, tota Tarracina, tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas, tria. LLL. duo. MM. Cum quæreres id qd esset, senem tibi quẽdá oppidanum dixisse, lacerat lacertum Largij mordax Memmus. perspicatis hoc genus quàm sit facetum, quàm elegans, quàm oratoriũ, siue habeas uere qđ narrare possis, quod tamen est mendacunculis aspergendũ, siue fingas. Est autẽ hæc huius generis uirtus, ut ita facta demonstres, ut mores eius, de quo narres, ut sermo, ut uultus omnes exprimantur, ut ijs, qui audiunt, tum geri illa, fieriq; uideantur. In re est item ridiculum, quod ex quadã deprauata imitatione sumi solet, ut idem Crassus per tuã nobilitatem, per uestrã famliam. qd aliud fuit in quo concio rideret, nisi illa multus, & uocis imitatio? per tuas statuas uero cũ dixit, et extento brachio paululum etiã de gestu addidit, uehemẽtius risimus. Ex hoc genere ẽ illa roſciana imitatio senis, Tibi ego Antipho assero inquit, senium est cum audio.

Atq; ita est totum hoc ipso genere ridiculũ, ut cautissime tractandũ sit. mimorum est enim ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscœnitas. orator surripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat, cogitet plura quàm uideat, præstet idẽ ingenuitatem, & ruborẽ suum uerborũ turpitudine, et rerũ obscœnitate, uitanda hæc ergo duo genera sunt eius ridiculi, quod in re positum est, quæ sunt propria ppetuarum facetiarũ, in quibus describuntur hominum mores, & ita effinguntur, ut aut re narrata aliqua, quales sunt intelligantur, aut imitatione breuiter iniecta in aliquo insigni ad irridẽdũ uitio reperiãtur. In dicto autem ridiculũ est id, quod uerbi, aut sententiæ quodã acumine mouetur. sed ut in illo superiore genere, uel narratiõis, uel imitationis, uitanda est mimorum ethologorum similitudo, sic in hoc scurrilis oratori dicacitas magnopere fugiẽda est. Qui igitur distinguemus à Crasso à Catulo, à cæteris famliarẽ uestrum Granium,

aut Vargulam amicum meum? non mehercule in mentem mihi qdē uenit, sunt enim dicaces, Granio qdē nemo dicacior. Hoc opinor, primum, ne, quotiescunq; potuerit dictum, dica, necesse habeamus dicere. Pusillus testis processit, licet inqt rogare Philippus? tum quaesitor, properans modo breuiter, hic ille, non accusabis, ppusillum rogabo. ridiculè, sed sedebat iudex L. Aurifex breuior etiam, quàm ipse testis, omnis est risus in iudicem conuersus, uisum est totū scurrile iudiciū. Ergo haec, quae cadere possunt in quos nolis, quamuis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia, ut iste, qui se uult dicacem, et mehercule est, Appius, sed nonnunquam in hoc uitiū scurrile delabitur. Cœnabo inquit apud te, huic lusco familiari meo C. Sextio, uni enim locum uideo, Est hoc scurrile, & quod sine causa lacessiuit, & tamen id dixit, quod in omnes luscos conueniret, ea quia meditata putātur esse, minus ridentur. Illud egregium Sextij, & ex tempore, manus laua inquit, & cœna. Temporis igitur ratio, & ipsius dicacitatis moderatio, & temperantia, & raritas dictorum distinguet oratorē à scurra, & quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi uideamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem, et sine causa. Quid enim est Vargula assecutus? cum cū candidatus A. Sempronius cū Marco suo fratre complexus esset, puer abige muscas. risum quaesiuit, q est mea sententia uel tenuissimus ingenij fructus. Tempus igitur dicendi prudentia, et grauitate moderabimur, quarū utinam artē aliquā haberemus, sed domina natura est. Nūc exponamus genera ipsa summatim, quae risum maxime moueant. Haec igitur sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in uerbo facetias, maxime autem homines delectari, siquando risus coniuncte re, uerboq; moueatur. Sed hoc memētote, quoscunq; locos attingam, unde ridicula ducantur, ex ijsdem locis fere etiam graues sententias posse duci, tantum interest quod grauitas honestis in rebus seuere, iocus in turpiculis, & quasi deformibus ponitur, uelut in ijsdē uerbis & laudare frugi seruum possumus, & si est nequam, iocari. Ridiculum est illud Neronianum uetus in furacē seruo, solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum. quod idem in bono seruo dici solet, sed hoc ijsdem etiam uerbis. Ex ijsdem autem locis omnia nascuntur, Nam quod Sp. Caruilio grauiter claudicanti ex uulnere ob rēp. acepto, et ob eam causam uerecundanti in publicum prodire mater dixit, quin prodis mi Spuri, ut quotiescunq; gradū facias, toties tibi tuarum uirtutum ueniat in mentem, praeclarum & graue est. quod Caluino Glaucia claudicanti. ubi est uetus illud? num claudicat? at

hic clodicat. Hoc ridiculum est, & utrunq; ex eo, quod in claudicatione animaduerti potuit, est ductum. quid hoc Næuio ignauius? Seuere Sapio. At in male olentẽ uideo me à te circunueniri. subridicule Philippus. At utrunq; genus continet uerbi ad literã immutati similitudo. Ex ambiguo dicta, uel argutissima putantur, sed non semper in ioco, sæpe etiam in grauitate uersantur. Africano illi maiori coronam sibi in conuiuio ad caput accommodanti, cum ea sæpius rumperetur. P. Licinius Varus, noli mirari inqt, si non conuenit, caput enim magnum est. Laudabile, & honestum. At ex eodem genere est. Caluus satis est, quod dicat. Parum' ne multa? nullum genus est ioci, quo non ex eodem seuera, & grauia sumantur. Atq; hoc etiam animaduertendum, non esse omnia ridicula facета. Quid enim potest tam ridiculũ, quàm Sannio est? sed ore, multu, imutandis moribus, uocæ, deniq; corpore ridetur ipso, salsum hunc possum dicere, atq; ita non, ut eiusmodi oratorem esse uelim, sed ut mimum. Quare primum genus hoc quod risum uel maxime mouet, non est nostrũ, morosum, superstitiosum, suspiciosum, glorioſum, stultum. naturæ ridentur ipsæ, quas pœnas agitare solemus non sustinere. Alterum genus est imitatione admodum ridiculũ, sed nobis tantum licet furtim, siquando, & cursim. Alterum minime est liberale. Tertium, oris deprauatio, non digna nobis. Quartum obscœnitas, non solum non foro digna, sed uix conuiuio liberorũ. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco, facetiæ reliquæ sunt, quæ aut in re, ut ante diuisi, positæ uidentur esse, aut in uerbo. nam quod qbuscunq; uerbis dixeris, facetum tamen est, re continetur. quod mutatis uerbis salem amittit, in uerbis habet leporem omnem. Ambigua sunt in primis acuta, atque in uerbo posita, non in re, sed non sæpe magnum risum mouent, magis ut belle, & literate dicta laudantur, ut in illum Titium, qui cum studiose pila luderet, & idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesq; eum in campum non uenisse requirerent, excusauit Vespa Terentius, quod eum brachium fregisse dicæret. ut illud Africani, quod est apud Lucilium.

Quid Decius Nuculam, an confixum uis facere inquit?
Vt tuus amicus Crasse Granius, nõ esse sextantis. Et si quæritis, is qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellit, sed risus mouent alia maiores. Ambiguum per se ipsum, probatur id quidem, ut ante dixi uel maxime, ingenioſi enim uidetur uim uerbi in aliud, atq; cæteri accipiant, posse ducere, sed admirationem magis, quàm risum

mouet, nisi siquando incidit in aliud genus ridiculi. quæ genera per curram equidem, sed satis esse notissimum ridiculi genus, cum aliud expectamus, aliud dicatur, hic nobis metipsis noster error risum mouet, quod, si admistum est etiã ambiguũ, fit falsius. ut apud Næuium, uidetur esse miserior ille, qui iudicatum duci uidet, peruncta tur ita,

Quanti addictus? mille nummum-

si addidisset tantummodo, ducas licet, esset illud genus ridiculi præter expectationem, sed quia addidit

-Nihil addo, ducas licet.

Addito ambiguo altero genere ridiculi fuit, ut mihi quidẽ uidetur, falsissimus. Hoc tum est uenustissimum, cum in altercatione arripitur ab aduersario uerbum, et ex eo, ut a' Catulo in Philippum, in eum ipsum aliquid, qui lacessiuit, infligitur. Sed cum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quædam subtilior, attendere, et aucupari uerba oportebit, in quo, ut ea, quæ sint frigidiora uitemus. etenim cauendũ est, ne arcessitum dictum putetur, permulta tamen acute dicemus. Alterum genus est, quod habet paruam uerbi immutationẽ, quod in litera positum græci uocant παρονομασίαν, ut nobiliorem mobiliorem Cato, aut ut idem, cum cuidã dixisset, eamus deambulatum, et ille, quid opus fuit de? immo uero inquit, qd opus fuit te? aut eiusdem responsio illa, si tu & aduersus, & auersus impudicus es.

Etiam interpretatio nominis habet acumen, cum ad ridiculum conuertas, quamobrem ita quis uocetur, ut ego nuper, Nunimum diuisorem, ut Neoptolemum ad Troiam, sic illum in campo martio nomen inuenisse. atq; hæc omnia uerbo continentur. Sæpe etiã uersus facete iterponitur, uel ut est, uel paululũ immutatus. aut aliqua pars uersus, ut satius Scauro stomachanti, ex quo sunt nonnulli, qui tuam legem de ciuitate natam Crasse dicant,

* Si, tacete, quid hoc clamoris est? quibus nec pater, nec mater sit
Tanta confidentia estis, auferte istam enim superbiam.

Nam in Cœlio sane' etiam ad causam utile fuit tuum illud Antoni, cum ille a' se pecuniam profectam diceret testis, & haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo,

Sentin senem esse tactum triginta minis?

In hoc genus conijciuntur prouerbia, ut illud Scipionis cum Asellus omnes prouincias stipẽdia merentem se pagrasse gloriaretur, agas Asellum, & cætera. Quare ea quoq; quoniam mutatis uerbis nõ possunt retinere eandem uenustatem, non in re, sed in uerbis posita ducantur. Est etiam in uerbo positum non insulsum genus ex eo, cum

ad uerbum

ad uerbum,non ad ſententiam rem accipere uideare.ex quo uno genere totus eſt tutor minus uetus oppido ridiculus.Sed abeo a' mimis, tantum genus huius ridiculi inſigni aliqua,& nota re notari uolo. Eſt autem ex hoc genere illud,quod tu Craſſe nuper,ei,qui te rogaſſet, num tibi moleſtus eſſet futurus,ſi ad te bene ante lucem uenisſet,tu uero inquiſti moleſtus non eris.iubebis igitur te inquit ſuſcitari?et tu, certe negaras te moleſtum futurũ. Ex eodem hoc uetus illud eſt,quod aiunt Maluginenſem illum M.Scipionem,cum ex centuria ſua renũtiaret Accadinum conſulem,præcoq; dixiſſet,dic de L.Manlio,uirũ bonum inquit,egregiumq; ciuem eſſe arbitror.Ridicule etiam illud L.Portius Naſica cenſori Catoni,cum ille ex tui animi ſententia tu uxorem habes?non hercule inquit,ex animi mei ſententia.Hæc aut frigida ſunt,aut tum ſalſa,cũ aliud eſt expectatum.natura enim nos (ut ante dixi)noſter delectat error,ex quo cum quaſi decepti ſumus expectatione,ridemus. In uerbis etiam illa ſunt,quæ aut ex immutata oratione ducuntur,aut ex unius uerbi translatiõe,aut ex inuerſione uerborum.Ex immutatione,ut olim Ruſca,cum legẽ ferret annalem,diſſuaſor M.Seruilius,dic mihi inquit M.Pinnari,num,ſi contra te dixero,mihi male dicturus es,ut cæteris feciſti?ut sementẽ feceris,ita metes inquit.Ex translatione autem,ut cum Scipio ille maior corinthijs ſtatuam pollicentibus eo loco,ubi aliorum eſſent imperatorũ,turmales dixit diſplicere.Inuertuntur autem uerba,ut Craſſus apud M.Perpennam iudicem pro Aculeone cum dicæret,aderat contra Aculeonem Gratidiano L.Heluius Lamia deformis,ut noſtis,qui cum interpellaret odioſe,audiamus inquit pulchellum puerũ Craſſus.cum eſſet arriſum,nõ potui mihi inquit Lamia formam ipſe fingere, ingenium potui. tum hic, audianus inquit diſertum.multo etiã arriſum eſt uehementius. Sunt etiam illa uenuſta,ut in grauibus ſententijs,ſic in facetijs.Dixi enim dudum materiã aliam eſſe ioci,aliam ſeueritatis,grauium autem,et iocorum unam eſſe rationẽ. Ornant igitur in primis orationẽ uerba relata contrarie,quod idẽ genus eſt ſæpe etiam facetum, ut Seruius ille Galba, cum iudices L.Scribonio Tribuno pl.ferret famuliares ſuos, & dixiſſet Libo; quando tandem Galba de triclinio tuo exibis?cum tu inquit de cubiculo alieno.A quo genere ne illud quidẽ plurimũ diſtat, Glautia Metello.uillam in Tyburte habes,cortem in palatio.Ac uerborum quidem genera,quæ eſſent facета,dixiſſe me puto. Rerũ plura ſunt, eaq; magis(ut dixi ante)ridẽtur,in quibus eſt narratio,res ſanè difficilis.Exprimẽda enim ſunt,et ponẽda ante oculos ea,quæ uideãtur,et

ueriſimilia, quod eſt proprium narrationis, et quæ ſint, quod ridicu li propriũ eſt, ſubturpia, cuius exemplum, ut breuiſſimum, ſit ſane illud, quod ante poſui, Craſſi de Memmio. Et ad hoc genus aſcri= bamus etiam narrationes apologorũ. Trahitur etiã aliquid ex hiſtoria, ut cum Sex. Titius ſe Caſſandram eſſe diceret, multos inquit Antonius poſſum tuos Aiaces Oileos nominare. Eſt etiã ex ſimi= litudine, quæ aut collationem habet, aut tanquam imaginem, colla= tionem, ut ille Gallus olim teſtis in Piſonem, cum innumerabilem Magio præfecto pecuniã dixiſſet datam, idq; Scaurus tenuitate Ma= gi redargueret, erras inquit Scaure, ego enim Magiũ non conſeruaſ ſe dico, ſed tanquam nudus nuces legeret in uentrem abſtuliſſe. Vt illud M. Cicero ſenex huius uiri optimi noſtri familiaris pater, no ſtros homines ſimules eſſe Syrorũ uenaliũ, ut qſq; optime græce ſciret, ita eſſe nequiſſimum. Valde autem ridentur etiã imagines, quæ fere in deformitatem, aut in aliquod uitium corporis ducuntur, cũ ſimi litudine turpioris, ut meum illud in Helmium Manciam. iam oſten= dam cuiuſmodi ſis, cũ ille, oſtende quæſo, demonſtraui digito pictum Gallũ in mariano ſcuto cambrico ſub nodis diſtortũ, eiecta lingua, buais fluentibus. Riſus eſt commotus, nihil tam Manciæ ſimile uiſum eſt. ut cũ Teſtio Penario mentum in dicendo intorquenti, tum ut dice= ret, ſiqd uellet, ſi nucẽ fregiſſet. Etiam illa, quæ minuendi, aut au gendi cauſa ad incredibilẽ admirationem efferũtur, uelut tu Craſſe in concione, ita ſibi ipſum magnum uideri Memmũ, ut in forũ de= ſcendens caput ad fornicẽ Fabij demitteret. Ex quo genere etiã illud eſt, qđ Scipio apud Numantiam cũ ſtomacharetur cũ C. Metello, di= xiſſe dicitur, ſi quintum pareret mater eius, aſinum fuiſſe pariturã.

Arguta etiã ſignificatio eſt, cũ paruare, & ſæpe uerbo res obſcu ra, & latens illuſtratur, ut cũ C. Fabricio P. Cornelius homo, ut exi ſtimabatur, auarus, & furax, ſed egregie fortis, et bonus imperator, gratias ageret, quod ſe homo inimicus cõſulẽ feciſſet, bello præſertim magno, et graui, nihil eſt, quo mihi gratias agas inquit, ſi malui com pilari, quàm uenire. Vt Aſello Africanus obijcienti luſtrũ illud infe lix, noli inquit mirari, is enim qui te ex ærarijs exemit, luſtrũ con= didit, & taurũ immolauit. Tanta ſuſpicio eſt, ut religione ciuitatẽ obſtrinxiſſe uideatur Mummius, quod Aſellum ignominia leuarit.

Vrbana etiam diſſimulatio eſt, cũ alia dicuntur, ac ſentias, non il= lo genere, de quo ante dixi, cũ cõtraria dicas, ut Lamiæ Craſſus, ſed cum toto genere orationis ſeuere ludas, cũ aliter ſentias, ac loquare, ut noſter Scæuola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi ca=

pite erat

pite erat aurum repensum, roganti, ut se in Asiam præfectum duce-
ret, quid tibi uis inquit insane? tanta malorum est multitudo ciuium,
ut tibi ego hoc confirmem, si Romæ manseris, te paucis annis ad maxi
mas pecunias esse uenturũ. In hoc genere Fannius in annalibus suis
Africanum hunc Aemilianum dicit fuisse, & eum græco uerbo ap
pellat εἴρωνα. sed uti ferunt, q melius hæc norunt, Socratem opinor
in hac ironia, dissimulantiaq; longe lepore, & humanitate omnibus
præstitisse. genus est perelegans, & cum grauitate salsum, cumq; ora
toriis dictionibus, tum urbanis sermonibus accommodatum. & her cu
le omnia hæc, quæ à me de facetijs disputantur, non maiora forensiũ
actionum, quàm omnium sermonum condimenta sunt. Nam, quod
apud Catonem est, qui multa retulit, ex qbus à me exẽpli causa mul
ta ponuntur, per mihi scitum uidetur C. Publicium solitum dicere P.
Mummiũ, cui uis tempori hominem esse. sic profecto res se habet, nul
lum, ut sit uitæ tempus, in quo non deceat leporem, humanitatemq;
uersari. Sed redeo ad cætera. Est huic finitimũ dissimulationi, cũ
honesto uerbo uitiosa res appellatur, ut cũ Africanus censor tribu mo
uebat eum centurionem, qui in Pauli pugna nõ affuerat, cum ille se
custodiæ causa diceret in castris remansisse, quæreretq; cur ab eo no
taretur, non amo inquit nimium diligentes. Acutum etiam illud
est, cum ex alterius oratione aliud excipias, atq; ille mult, ut Salina-
tori Maximus, cum Tarento amisso arcem tamen Liuius retinuisset,
multaq; ex ea prælia præclara fecisset, cum aliquot post annos Ma
ximus id oppidum recepisset, rogaretq; eum Salinator, ut meminisset
opera sua se Tarentum recepisse, quid ni inqt memnerim? nunquã
ego recepissem, nisi tu perdidisses. Sunt etiam illa subabsurda, sed
eo ipso nomine sæperidicula, non solum mimis perapposita, sed etiã
quodammodo nobis. homo fatuus, postquam rẽ habere cœpit, est mor
tuus. quid est tibi ista mulier? uxor? similis medius fidius. quandiu ad
aquas fuit nunquam est mortuus. Genus hoc leuius, & (ut dixi) mi-
micum, sed habet nonnunquam aliquid etiam apud nos loci, ut uel
non stultus, quasi stulte cum sale dicat aliquid, ut tibi Antoni Man-
cia, cum audisset te censorem à M. Duronio de ambitu postula-
tum, aliquando inquit tibi tuum negotium agere licebit. ualde
hæc ridentur, & hercule omnia, quæ à prudentibus, quasi per dis-
simulationem non intelligendi subabsurde, salsèq; dicuntur.
Ex quo genere est etiam non uideri intelligere quod intelligas, ut
Pontidius, qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? tar-
dum. Vt ego, qui in delectu Metello cum excusationem oculo-

rum a' me non acciperet,& dixisset,tu igitur nihil uides? ego uero inquam a' porta exquilina uideo uillam tuam.ut illud Nasicæ, qui cum ad poëtam Ennium uenisset,eiq; ab hostio quærenti Ennium, anulla dixisset dom non esse,Nasica sensit illă domni iussù dixisse, & illum intus esse,paucis post diebus cum ad Nasicam uenisset Ennius,& eum a' ianua quæreret,exclamat Nasica se dom non esse, tum Ennius,quid? ego non cognosco uocẽ inqt tuã? hic Nasica,homo es impudens,ego cum te quærerem, anullæ tuæ credidi te dom nó esse,tu mihi non credis ipsi? Est bellũ illud quoq;,ex quo is,qui dixit,irridetur in eo ipso genere,quod dixit,ut cum Q. Opimius consularis,qui adolescentulus male audisset,festiuo homini Egilio,q uideretur mollior,nec esset,dixisset,

-Quid tu Egilia mea
Quando ad me uenis cum tua colu,& lana?
-Non pol(inquit)audeo,
Nam me ad famosas uetuit mater accedere.

Salsa sunt etiam,quæ habent suspicionem ridiculi absconditam,quo in genere est illud siculi,cui cum familiaris quidá quæreretur,quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu,amabo te inquit,da mihi ex ista arbore quos seram surculos. In eodem genere est,quod Catulus dixit cuidam oratori malo,qui cum in epilogo misericordiam se mouisse putaret,postquam assedit,rogauit hunc,uideretur' ne misericordiam mouisse. Ac magnam quidẽ inquit. nemnem enim puto esse tam durum,cui non oratio tua miseranda uisa sit. Me qdẽ hercule ualde illa mouent stomachosa,& quasi submorosa ridicula, non cum a' moroso dicuntur. tum enim non sal, sed natura ridetur. In quo,ut mihi uidetur,per salsum illud est apud Næuium,

Quid ploras pater? murum nicantem,condemnatus sum.

Huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis,ac lenti, ut cum Cato percussus esset ab eo,qui aram ferebat,cũ ille diceret, aue,rogauit nunquid aliud ferret præter aram? Etiam stultitiæ salsa reprehẽsio,ut ille siculus,cui prætor Scipio patronum causæ dabat hospitem suum hominem nobilem,sed admodum stultum,quæso inquit prætor aduersario meo da istum patronum,deinde mihi neminem dederis. Mouent illa etiã,quæ coniectura explanantur, longe aliter,atq; sunt,sed acute,atq; concinne,ut cum Scaurus accusaret Rutiliũ ambitus,cũ ipse consul esset factus,ille repulsam tulisset, et in eius tabulis ostenderet literas A F P R,idq; diceret esse,actũ fide P. Rutilij,Rutilius autẽ,ante factũ post relatũ C. Cannius eques

Rom. cum

Rom. cum Rufo adesset, exclamat neutrum illis literis declarari. Quid ergo? inquit Scaurus, Aemilius fecit, plectitur Rutilius. Ridẽ tur etiam discrepantia, qd huic abest? nisi res, et uirtus? Bella etiã est famliaris reprehensio quasi errantis, ut cum obiurgauit Albius Granium, quod, cum eius tabulis quiddam Albutio probatum uide retur, et ualde absoluto Scæuola gauderet, neq; itelligeret contra suas tabulas esse iudicatum. Huic simulis est etiam admonitio in consi- lio dando famuliaris, ut cum patrono malo, cum uocẽ in dicendo ob tudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet, simulac do- mum redisset, perdam inquit uocem, si id fecero, melius est inqt, quã reum. Bellum etiam est, cum quid cuiq; sit consentaneum dicitur, ut cum Scaurus nonnullam haberet inuidiam ex eo, quod Phrygio nis Pópeij locupletis hominis bona sine tstamẽto possedcrat, sederetq; aduocatus reo Bestiæ, cum funus quoddã ducꝛetur, accusator C. Mem mius, uide inquit Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor. Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quàm quod est præter expecta tionẽ, cuius innumerabilia sunt exempla, uel Appij maioris illius, q in senatu, cum ageretur de agris publicis, et de lege thoria, et preme retur Lucullus ab ijs, qui a' pecore eius depasci agros publicos dicꝛ rẽt, nó est inquit Luculli pecus illud, erratis. defendere Lucullũ ui- debatur. ego liberũ puto esse, qua' lubet pascitur. Placet etiã mihi il lud Scipionis illius, qui T. Gracchũ perculit, cum ei M. Flaccus mul- tis probris obiectis P. Mutiũ iudicem tulisset, eiero inqt iniquus est, cum esset admurmuratum, ah inqt patres cõscripti, non ego mihi il lum iniquũ eiero, uerũ omnibus. Ab hoc uero Crasso nihil facetius, cum læsisset testis Silus Pisonem, quod se in eũ audisse dixisset, põt fieri inqt Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit. annuit Silus. potest etiam ut tu non recte intellexeris, id quoq; toto capite annuit, ut se Crasso daret. potest etiã fieri inqt, ut omnino, qđ te audisse dicis, nunq audieris. hoc ita præter expectationem accidit, ut testem oĩum risus obrueret. huius generis ẽ plenus Nœuius, et iocus ẽ famuliaris. -Spiens si algebis tremes.

& alia permulta. Sæpe etiã facete cõcedas aduersario idipsum, quod tibi ille detrahit, ut C. Lælius, cum ei quidam malo genere na tus diceret indignũ esse suis maioribus, ut hercule inqt tu tuis di- gnus. Sæpe etiã sententiose ridicula dicuntur, ut M. Cincius quo die legem de donis, & muneribus tulit, cũ C. Cento prodisset, & sa tis contumeliose, quid fers Cincíole? quæsisset. ut emas inqt Cai, si uti uelis. Sæpe etiã false quæ fieri non possunt, optantur, ut M. Lepi-

dus,cum cæteris in campo exercentibus in herba ipse recubuisset,uel lem hoc esset inquit laborare. Salsum est etiam quærentibus,& quasi percunctantibus lente respondere quod nollent,ut censor Lepi dus,cum M.Antistio Virgensi equum ademisset,amicaq; cum uocife rarentur,& quærerent,quid ille patri suo responderet,cur adẽptũ sibi equum diceret,cum optimus colonus,parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset,me istorũ inquit nihil credere.Colliguntur à græcis alia nõnulla execrationes,admirationes,minationes.Sed hæc ipsa nimis mihi uideor multa ĩ genera descripsisse.nã illa,quæ uerbi ratione,et ui continentur,certa ferè,ac definita sunt,quæ plerũq;,ut ante dixi,laudari magis,quã rideri solent.hæc autẽ,quæ sunt in re,et in ipsa sententia partibus sunt innumerabilia,generibus pauca.Expectationibus.n.decipiendis,& naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis,et similitudine turpioris,& dissimulatione, & subabsurda dicendo, et stulta reprehendendo,risus mouentur. Itaq; imbuendus est is,qui iocose uolet dicere,quasi natura quadam apta ad hæc genera,et moribus,ut ad cuiusq; modi genus ridiculi, inultus etiam accomodetur,qui quidem quo seuerior est,et tristior, ut in te Crasse,hoc illa quoq;,quæ dicuntur,salsiora uideri solent.Sed iam tu Antoni,qui hoc diuersorio sermonis tui libenter acquieturũ te esse dixisti,tanquam in portum diuerteris,neq; amœnum, neq; salubrẽ locum,censeo,ut satis diu te putes requieuisse,et iter reliquum cõficere pergas. Ego uero atq; hilare quidem à te acceptus inquit, et cũ doctior per te,tum etiam audacior factus sum ad iocandum. Non enim uereor,nequis me in isto genere leuiorem iam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi authores,et Africanos,Maximos,Catones, Lepidos protuliste. Sed habetis ea,quæ uoluistis ex me audire,de quibus quidem accuratius dicendum,& cogitandum fuit. nam cætera faciliora sunt,atq; ex ijs,quæ iã dicta sunt,reliqua nascuntur omnia. Ego enim, cum causam sum aggressus,atq; omnia cogitando,quoad facere potui,persecutus,cum et argumẽta causæ,et eos locos,qbus animi iudicum concitantur,et illos,quibus permouentur,uidi,atq; cognoui,tum constituo quid habeat quæq; causa boni,quid mali.nulla enim ferè res potest in dicendi disceptationem,aut controuersiam uocari, quæ non habeat utrũq;,sed quantum habeat,id refert. mea autẽ ratio in dicendo hæc esse solet,ut boni quod habeat,id amplectar, exornem,exaggerẽ,ibi commorer,ibi habitem,ibi hæream.à malo autẽ, uitioq; causæ ita recedã,non ut id me defugere appareat,sed ut totum bono illo ornando,& augendo dissimulatũ obruatur.& si causa est in

ſa eſt in argumentis, firmiſſima quæq; maxime tueor, ſiue plura ſunt, ſiue aliquod unum. ſin autem in conciliatione, aut in permotione cauſa eſt, ad eam me potiſſimum partem, quæ maxime commouere animos hominum poteſt, confero. Summa deniq; huius generis hæc eſt, ut ſi in refellendo aduerſario firmor eſſe oratio, quá in cõfirmãdis noſtris rebus poteſt, omnia in illum conferam tela. ſin noſtra facilius probari, quàm illa redargui poſſunt, abducere animos à contraria defenſione, & ad noſtram conor traducere. Duo deniq; illa, quæ facillima uidentur, qm̃ quæ difficiliora ſunt, non poſſum, mihi pro meo iure ſumo. unum ut moleſto, aut difficili argumento, aut loco nonnũquam omnino nihil reſpondeam, quod forſitã aliquis iure irriſerit. quis enim eſt, qui id facere non poſſit? ſed tamẽ ego de mea nunc, nõ de aliorum facultate diſputo, confiteorq; me, ſi quæ premat res uehemẽtius, ita concedere ſolere, ut non modo non abiecto, ſed ne reiecto quidem ſcuto fugere uidear, ſed adhibere quandã in dicendo ſpeciem, atq; pompam, & pugnæ ſimilem fugam, conſiſtere uero in meo præſidio, ſic ut non fugiendi hoſtis, ſed capiendi loci cauſa aſſiſſe uidear. Alterum eſt illud, quod ego oratori maxime cauendũ, et prouidendum puto, quodq; me ſolicitare ſumme ſolet, non tam ut proſim cauſis elaborare ſoleo, quàm ut nequid obſim, non quin enitendũ ſit in utroq;, ſed tamen multo eſt turpius oratori, nocuiſſe uideri cauſæ, quàm non profuiſſe. Sed quid hoc loco uos inter uos Catule? an hæc, ut ſunt contẽnenda, cõtemnitis? Minime inquit ille, ſed Cæſar de iſto ipſo quiddã uelle dicere uidebatur. Me uero lubente inqt Antonius dixerit, ſiue refellendi cauſa, ſiue quærendi. Tum Iulius, Ego mehercule inquit Antoni ſemper is fui, qui de te oratore ſic prædicarem, unum te in dicendo mihi uideri tectiſſimũ, propriumq; hoc eſſe laudis tuæ, nihil à te unquã eſſe dictum, quod obeſſet ei, pro quo diceres. idq; memoria teneo, cum mihi ſermo cũ hoc ipſo Craſſo multis audientibus eſſet, de te inſtitutus, Craſſusq; plurimis uerbis eloquẽtiam laudaret tuam, dixiſſe me, cum cæteris tuis laudibus hanc eſſe uel maximam, quod non ſolũ, quod opus eſſet, diceres, ſed etiam quod non opus eſſet, non diceres. tum illũ mihi reſpondere memini, cætera in te ſumme eſſe laudanda, illud uero improbi eſſe hominis, et perfidioſi, dicere quod alienum eſſet, & nocere ei, pro quo quiſq; diceret. quare non ſibi eum diſertum, qui id non faceret, uideri, ſed improbũ, q facæret. Nũc, ſi tibi uidetur Antoni, demonſtres uelim, quare tu hoc ita magnum putes nihil in cauſa mali facere, ut nihil tibi in oratore maius eſſe uideatur. Dicã eqdẽ Cæſar inqt, qd intelli-

gam,ſed & tu,& uos omnes,hoc inquit mementote,non me de perfecti oratoris diuinitate quadam loqui,ſed exercitationis,et cõſuetudinis meæ mediocritate.Craſſi quidem reſponſum excellẽtis cuiuſdã eſt ingenij,ac ſingularis,cui quiddam portenti ſimile eſſe uiſum eſt, poſſe aliquem inueniri oratorem,qui aliquid mali facęret dicẽdo,ob eſſetq; ei,quẽ defenderet.facit enim de ſe coniecturã,cuius tanta uis ingenij eſt,ut nemnem niſi conſulto putet,quod contra ſe ipſum ſit dicere,ſed ego non de præſtanti quadam,et exima,ſed propè de uulgari,& communi prudentia diſputo.Vt apud græcos fertur incredibili quadam magnitudine conſilij,atq; ingenij Athenienſis ille fuiſſe Themiſtocles,ad quẽ quidã doctus homo,atq; in primis eruditus accęſſiſſe dicitur,eiq; artẽ memoriæ,quæ tũ primum proferebatur,pollicitum eſſe ſe traditurum.cum ille quæſiſſet,quid nã illa ars efficere poſſet,dixiſſe illũ doctorẽ,ut omnia memniſſet,et ei Themiſtoclẽ reſpondiſſe,gratius ſibi illum eſſe facturũ,ſi ſe obliuiſci, quæ uellet, quàm ſi memniſſe,docuiſſet. Vides'ne,quæ uis in homine acerrimi ingenij,quàm potens,& quanta mens fuerit?qui ita reſponderit,ut intelligere poſſemus,nihil ex illius animo,quod ſemel eſſet infuſum, unquã effluere potuiſſe.cũ quidẽ ei fuerit optabilius obliuiſci poſſe potius,quod memniſſe nollet,quàm quod ſemel audiſſet, uidiſſet'ue, memniſſe.Sed neq; propter hoc Themiſtoclis reſponſum memoriæ nobis opera danda non eſt,neq;illa mea cautio,& timiditas in cauſis propter præſtantẽ prudentiam Craſſi negligenda eſt.uterq;.n.iſtorum non mihi attulit aliquam, ſed ſuam ſignificauit facultatem. Etenim permulta ſunt in cauſis,in omni parte orationis circunſpicienda,nequid offendas, nequo irruas. Sæpe aliquis teſtis, aut non lædit,aut minus lædit,niſi lacęſſatur,orat reus , urgent aduocati, ut inuehamur,ut maledicamus,denique ut interrogemus, non moueor,non obtempero,non ſatisfacio,neq; tamen ullam aſſequor laudem.homines enim imperiti facilius,quod ſtulte dixeris reprehendere,quàm quod ſapienter tacueris,laudare poſſunt.Hic quantum fit mali,ſi iratum,ſi non ſtultum,ſi non leuem teſtem læſeris? habet.n. & uoluntatem nocendi in iracundia,& uim in ingenio,& pondus in uita.nec ſi hoc Craſſus non committit,ideo non multi,& ſæpe committunt.quo quidem mihi uideri turpius nihil ſolet, quã cũ ex oratoris dicto aliquo,aut reſponſo,aut rogato,ſermo ille ſequitur, occidit ille aduerſariũ'ne?immo uero aiunt ſe,et eũ,quem defendit. hoc Craſſus non putat niſi perfidia accidere poſſe.ego autem ſæpiſſime uideo in cauſis aliquid mali facęre hoĩcs minime malos. Quid

illud,

illud, quod supra dixi, solere me cedere, et ut planius dicam, fugere ea, quæ etiam ualde causam meam promerent? cum id non faciunt alij, uersanturq; in hostium castris, ac sua præsidia dimittunt, medio criter'ne causis nocent? cum aut aduersariorũ adiumenta confirmãt, aut ea, quæ sanare nequeunt, exulcerant? Quid cũ personarũ, quas defendunt, rationem nõ habent? si quæ sunt in his inuidiosa, nõ mitigant extenuando, sed laudando, & efferendo inuidiosiora faciunt? quantum est in eo tandẽ mali? Quid si in homines caros, iudicibusq; iucundos sine ulla præmunitione orationis acerbius, et cõtumeliosius inuehare, non'ne ab's te iudices abalienes? Quid si quæ uitia, aut incõmoda sunt in aliquo iudice uno, aut pluribus, ea tu in aduersarijs exprobando non intelligas te in iudices inuehi, mediocre peccatũ est? Quid si cũ pro altero dicas, litem tuam facias, aut læsus efferare iracundia, causam relinquas, nihil'ne noceas? In quo ego, non quo libẽter male audiã, sed quia ego causam nõ libenter relinquo, nimiũ patiens, et lentus existimor ut cũ te ipsum Sulpiti obiurgabã, quod ministratorem peteres non aduersarium. Ex quo etiã illud assequor, ut siquis mihi male dicat, petulans aut plane insanus esse uideatur. In ipsis autem argumentis siquid posueris, aut aperte falsum, aut ei, quod dixeris, dicturus'ue sis, contrariũ, aut genere ipso remotum ab usu iudiciorum, ac foro, nihil'ne noceas? Quid multa? omnis cura mea solet in hoc uersari semper (dicam enim sæpius) si possim, ut boni aliquid efficiã dicẽdo, sin id minus, ut certe nequid mali.

Itaq; nũc illuc redeo Catule, in quo tu me paulo ante laudabas, ad ordinẽ collocationẽq; rerũ, ac locorũ, cuius rõ est duplex. altera, quã affert natura causarum, altera, quæ oratorũ iudicio, & prudentia comparatur. Nam, ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris præsidijs confirmandis, contrarijs refutandis, deinde ut concludamus, atq; ita peroremus, hoc dicẽdi genus natura ipsa præscribit. Vt uero statuamus ea, quæ probãdi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quẽadmodum componamus, id est uel maxime propriũ oratoris prudentiæ. Multa. n. occurrunt argumẽta, multa, quæ in dicendo profutura uideãtur, sed eorum partim ita leuia sunt, ut contẽnenda sint, partim etiam, siquid habent adiumenti, sunt nõnunq; eiusmodi, ut insit in ijs aliqd uitij, neq; tãti sit illud, qd prodesse uideatur, ut cũ aliquo malo cõiũgatur. Quæ autẽ sunt utilia, atq; firma, si ea tamen (ut sæpe fit) ualde multa sunt, ea, quæ ex ijs aut leuissima sunt, aut alijs grauioribus consimilia, secerni arbitror oportere, atq; ex oratione remoueri. eqdẽ cũ

colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quàm ex
pendere. Et quoniã, quod sæpe iam dixi, tribus rebus omnes ad no-
stram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut per-
mouendo, una ex tribus his rebus res prænobis est ferenda, ut nihil
aliud nisi docere uelle uideamur, reliquæ duæ sicuti sanguis in corpo-
ribus, sic illæ in perpetuis orationibus fusæ esse debebunt. Nam &
principia, & cæteræ partes orationis, de quibus paulo post pauca di-
cemus, habere hanc uim magnopere debent, ut ad eorum mentes,
apud quos agitur, mouẽdas permanare possint. Sed his partibus ora-
tionis, quæ & si nihil docent argumentando, persuadendo tamen, &
commouendo proficiunt plurimum, quanquam maxime proprius
est locus & in exordiendo, & in perorando, digredi tamen ab eo,
quod proposueris, atque agas, permouendorum animorum causa, sæ-
pe utile est. Itaq; uel narratione exposita sæpe datur ad commouen-
dos animos digrediendi locus, uel argumentis nostris confirmatis, uel
contrarijs refutatis, uel utroque loco, uel omnibus, si habet eam cau-
sa dignitatem, atque copiam, recte id fieri potest, hæq; causæ sunt ad
agendum, & ad ornandum grauissimæ, atq; plenissimæ, quæ plu-
rimos exitus dant ad eiusmodi digressionem, ut his locis uti liceat,
quibus animorum impetus eorũ, qui audiunt, aut impellantur, aut
reflectantur. atque etiam in illo reprehendo eos, qui quæ minime fir-
ma sunt, ea prima collocant, in quo illos quoq; errare arbitror, qui
siquando (id quod mihi nunquam placuit) pluris adhibent patro-
nos, uti quenq; eorum minimum putant esse, ita eum primum uo-
lunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum expectationi, qui au-
diunt, quamcelerrime satisfiat, cui si initio satisfactum non sit,
multo plus sit in reliqua causa laborandum. male enim se res habet,
quæ nõ statim, ut dici cœpta est, melior fieri uidetur. Ergo ut in ora-
tore optimus quisq; sic & in oratione firmissimum quodque sit pri-
mum, dum illud tamen in utroq; teneatur, ut ea, quæ æque excellãt,
seruentur etiam ad perorandũ, si quæ erunt mediocria (nam uitio
sis nusquam esse oportet locum) in mediam turbã, atque in gregem
conjciantur. Hisce omnibus rebus consyderatis, tum denique id,
quod primum est dicendum, postremo soleo cogitare, quo utar exor-
dio. nam siquando id primum inuenire uolui, nullũ mihi occurrit,
nisi aut exile, aut nugatorium, aut uulgare, atq; commune. Princi-
pia autem dicendi semper cum accurata, & acuta, et instructa sen
tentijs, apta uerbis, tum uero causarũ propria esse debent. prima est
enim quasi cognitio, et commendatio orationis in principio, quæ cõ-

tinuo eum,qui audit,permulcere,atque allicere debet. í quo mirari ſoleo non equidem iſtos,qui nullã huic rei operam dederunt, ſed ho minem in primis diſertum,atque eruditum philippum,qui ita ſolet ad dicendum ſurgere,ut quod primum uerbũ habiturus ſit, neſciat, & ait idem,cum brachiũ concaluiſſe,tum ſe ſolere pugnare, neq; attendit eos ipſos,unde hoc ſimile ducat,illas primas haſtas ita iacta re leniter,ut & uenuſtati uel maxime ſeruiant,& reliquis uiribus ſuis conſulant,neque eſt dubium,quin exordium dicendi uehemens, & pugnax non ſæpe eſſe debeat,ſed ſi in ipſo illo gladiatorio uitæ certamine,quod ferro decernitur,tamen ante congreſſum multa fiũt, quæ non ad uulnus,ſed ad ſpeciẽ ualere uideantur,quanto hoc magis in oratione expectandum eſt,in qua non uis potius,ſed delectatio poſtulatur? Nihil eſt denique in natura rerum omnium, quod ſe uniuerſum profundat,& quod totum repente euolet,ſic omnia, quæ fiunt, quæq; aguntur acerrime, lenioribus principijs natura ipſa prætexuit. Hæc autem in dicendo non extrinſecus alicunde quærenda,ſed ex ipſis uiſceribus cauſæ ſumenda ſunt.iaircò tota cauſa pertentata,atque perſpecta,locis omnibus inuentis,atque inſtructis, conſyderandum eſt,quo principio ſit utendum,ſic et facile reperietur.ſumentur enim ex ijs rebus,quæ erunt uberrimæ,uel in argumẽtis,uel in ijs partibus,ad quas cauſas dixi digredi ſæpe oportere.Ita & momenti aliquid afferent,cum erunt penè ex intima defenſione depromptæ,et apparebit eas non modo non eſſe communes, nec in alias cauſas,poſſe transferri,ſed penitus ex ea cauſa,quæ tũ agatur, effloruiſſe. Omne autem principium aut rei totius,quæ agitur,ſignificationem habere debebit,aut aditum ad cauſam,et communitionem,aut quoddam ornamentum,& dignitatem. Sed oportet ut ædibus,ac templis ueſtibula,et aditus,ſic cauſis principia pro portione rerũ præponere.Itaq; in paruis,atq; frequẽtibus cauſis ab ipſa re eſt exordiri ſæpe commodius. Sed cum erit utendum principio (quod plerunq; erit)aut ex reo,aut ex aduerſario,aut ex re,aut ex eis,apud quos agitur,ſententias duca decebit. Ex reo(reos appello, quorũ res eſt)quæ ſignificent uirũ bonũ,quæ liberalem,quæ calamitoſum,quæ miſericordia dignum,quæ ualeant contra falſam criminationem.Ex aduerſario,ijſdem ex locis ferè contraria. Ex re, ſi crudelis, ſi infanda, ſi præter opinionem, ſi immerito,ſi miſera, ſi ingrata,ſi indigna, ſi noua,ſi quæ reſtitui, ſanariq; non poſſit. Ex ijs autem,apud quos agetur,ut beneuolos, beneq; exiſtimantes efficiamus, quod agendo efficitur melius, quàm rogan-

do.eſt id quidem in totam orationem cõfundẽdum,nec minime in extremam,ſed tamen multa principia ex eo genere gignũtur.Ná et attentum,commonent græci,ut principio faciamus iudicem,et docilẽ, quæ ſunt utilia,ſed non principij magis propria,quàm reliquarum partium,facliora etiam in principijs,quod & attenti tum maxime ſunt,cum omnia expectant,& dociles magis initijs eſſe poſſunt.illuſtriora enim ſunt,quæ in principijs,quã quæ in medijs cauſis dñr, aut augendo,aut refellendo.Maxima autem copia principiorum ad iudicem aut allicendum,aut incitandũ ex ijs locis trahitur,qui ad motus animorũ conficiendos inerunt in cauſa,quos tñ totos in principio explicari non oportebit,ſed tantũ impelli primo iudicem leuiter,ut iam inclinato reliqua incumbat oratio.Connexũ autem ita ſit principium conſequenti orationi,ut nõ tanquam citharœdi proœmium affectum aliquod,ſed cohærens cum omni corpore membrum eſſe uideatur.nam nonnulli,cum illud meditati ediderunt,ſic ad reliqua tranſeunt,ut audientiam ſibi fieri uelle uideantur.Atq; eiuſmodi illa proluſio debet eſſe,non ut Samnitum,qui uibrant haſtas ante pugnam,qbus in pugnãdo nihil utuntur,ſed ut ipſis ſententijs,quibus proluſerunt,uel pugnare poſſint. Narrare uero rẽ quod breuiter iubent,ſi breuitas appellanda eſt,cum uerbũ nullum redundet,breuis eſt L.Craſſi oratio,ſi tum eſt breuitas,cum tantũ uerborum eſt,quantum neceſſe eſt,aliquando id opus eſt,ſed ſæpe obeſt,uel maxime in narrando,non ſolũ quod obſcuritatem affert,ſed etiam quod eam uirtutem,quæ narrationis eſt maxima,ut iucunda, et ad perſuadendum accomodata ſit,tollit,uidelicet illa.

Nam is poſtquam exaſſit ex ephebis-

Quàm longa eſt narratio?mores adoleſcentis ipſius,et ſeruilis pernunctatio,mors Chryſidis,uultus,et forma,& lamentatio ſororis,reliqua,quarie,iucundéq; narrãtur.Quod ſi hãc breuitatẽ quæſiſſet.

Effertur,imus, ad ſepulchrum uenimus,

In ignem poſita eſt-

in his fere decem uerſiculis totum conficere potuiſſet,quanquam hoc ipſum effertur,imus,conciſum eſt,ita ut non breuitati ſeruitum ſit, ſed magis uenuſtati.Quod ſi nihil fuiſſet,niſi in ignem poſita eſt,tamen res tota cognoſci facile potuiſſet,ſed & feſtiuitatem habet narratio diſtincta perſonis,& interpuncta ſermonibus, & eſt probabilius,quod geſtum eſſe dicas , cum quemadmodum actum ſit,exponas,& multo apertius ad intelligendum eſt,ſi ſic conſtituitur aliquando,ac nõ iſta breuitate percurritur.Apertam enim narrationẽ tam

esse oportet, quàm cæteras, & hoc magis in hac elaborandum est, quod & difficilius est, non esse obscurum in re narranda, quàm aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut perorando, et maiore etiam periculo hæc pars orationis obscura est, quàm cæteræ, uel quia si quo alio in loco est dictũ qd obscurius, tantũ id perit, qđ ita dictũ est, narratio obscura totã obcæcat orationem, uel q̃ alia possis, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius, narratiõis unus est in causa locus. Erit autem ꝑspicua narratio, si uerbis usitatis, si ordine temporũ conseruato, si non interrupte narrabitur. Sed quando utendũ sit, aut non sit narratione id est consilij. neq; enim si nota res est, nec dubium sit, quid gestum sit, narrari oportet, nec si aduersarius narrauit, nisi si refellemus, ac siquando erit narrandũ, ne illa, quæ suspitionẽ, & crimen efficient, contráq; nos erunt acriter ꝑsequamur, & quicquid poterit, detrahamus, ne illud, quod Crassus siquando fiat ꝑfidia nõ stultitia fieri putat, ut causæ noceamus, accidat. nam ad summã totius causæ ptinet caute, an contra demonstrata res sit, quod omnis orationis reliquæ fons est narratio. Sequitur, ut causa ponatur, in quo uidendũ est, quid in controuersiã ueniat. Tunc suggerẽda sunt firmamenta causæ coniunctẽ, et infirmãdis contrarijs, & tuis confirmandis. nanq; una in causis ratio quædam est eius orationis, quæ ad probandã argumentationem ualet, ea autem & confirmationẽ, & reprehensionem quærit, sed quia neq; reprehendi, quæ contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neq; hæc confirmari, nisi illa reprehendas, iaircõ hæc & natura, & utilitate, & tractatione coniuncta sunt. Omnia autem concludẽda plerunq; rebus augendis, uel inflammando iudicæ, uel mitigando, omniáq; cũ superioribus orationis locis, tum maxime extremo, ad mentes iudicũ quammaxime ꝑmouendas, & ad utilitatem nostrã uocandas, conferenda sunt. Neq; senè iam causa uidetur esse, cur secernamus ea præcepta, quæ de suasionibus tradẽda sunt, aut laudationibus. sunt enim pleraq; communia, sed tamen suadere aliquid, aut dissuadere, grauissimæ mihi uidetur esse ꝑsonæ. nam & sapientis est consiliũ explicare suum de maximis rebus, & honesti, & diserti, ut mente prouidere, authoritate probare, oratione ꝑsuadere possit, atq; hæc in senatu minore apparatu agenda sunt. sapiens enim est consiliũ, multisq; alijs dicendi relinquendus locus, uitanda etiã ingenij, ostentationisq; suspicio. Concio capit omnem uim orationis, & grauitatẽ, uarietatemq; desyderat. Ergo in suadẽdo nihil est optabilius, quàm dignitas. nã qui utilitatem putat, non quid maxime uelit suasor, sed

quid interdum magis sequatur uidet. Nemo est enim præsertim in tam clara ciuitate, quin putet, expetendâ maxime dignitatẽ, se duin cit utilitas plerunq; cum subest ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri. Controuersia autẽ inter hominũ sententias, aut in illo est, utrum sit utilius, aut etiam, cum id conuenit, certatur, utrũ honestati potius, an utilitati consulendum sit. Quæ quia pugnare sæpe inter se uidentur. Qui utilitatem defendit, enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, pecuniæ, uectigalium, præsidij, militum, utilitates cæterarum rerum, quarũ fructum utilitate metimur, itemq; incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellet, maiorũ exẽpla, quæ erunt, uel cum periculo glorioſa colliget, posteritatis immortalem memoriâ augebit, utilitatem ex laude nasci defendet, semperq; eam cum dignitate esse coniunctam. Sed quid fieri possit, aut non possit, quidq; etiam sit necesse, aut non sit, in utraq; re maxime est quærendum. inciditur enim omnis iam deliberatio, si intelligitur nõ posse fieri, aut si necessitas affertur, & qui id docuit nõ uidẽtibus alijs, is plurimum uidit. Ad consilium autem de repu. dandum caput est, nosse remp. ad dicendum uero probabiliter, nosse mores ciuitatis, q quia crebro mutantur, genus quoq; orationis est sæpe mutandum, et quanquam una ferè uis est sæpe eloquentiæ, tamen quia summa dignitas est populi, grauissima causa reip. maxim motus multitudinis, genus quoq; dicendi grandius quoddam, & illustrius esse adhibendum uidetur, maximaq; pars orationis admouenda est ad animorũ motus, nonnunquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in spem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriâ concitandos, sæpe etiã à temeritate, iracundia, spe, iniuria, inuidia, crudelitate reuocandos. Fit autem, ut quia maxima quasi oratori scena uideatur concio, natura ipsa ad ornatius dicendi genus excitetur. habet enim multitudo uim quandam talem, ut quemadmodũ tibicen sine tibijs canere, sic orator nisi multitudine audiẽte eloquens esse nõ possit. Et cum sint populares multi, uarijq; lapsus, uitanda est acclamatio aduersa populi, quæ aut orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo animi uitio dictum esse aliquid uideatur, aut hominum offensione, uel inuidia, quæ aut iusta est, aut ex criminatione, atq; fama, aut res si displicet, aut si est in aliquo motu suæ cupiditatis, aut metus multitudo, hisq; quatuor causis totidem medicinæ opponuntur. Tum obiurgatio, si est authoritas, tum admonitio quasi lenior obiurgatio, tum promissio, si audierint probaturos, tum deprecatio, quod est infimũ, sed nonnunquam utile. nullo

autem loco plus facetiæ prosunt, & celeritas, & breue aliquod dictum, nec sine dignitate, & cũ lepore. nihil enim tã facile, quàm multitudo à tristitia, & sæpe acerbitate, commode, ac breuiter, et acute, & hilare dicto deducitur. Exposui ferè, ut potui, uobis in utroq; genere causarum, quæ sequi solerẽ, quæ fugere, quæ spectare, quáq; omnino in causis ratione uersari. Nec illud tertiũ laudationũ genus est difficile, quod ego initio quasi à præceptis nostris secreuerã, sed & quia multa sunt orationum genera & grauiora, & maioris operæ, de quibus nemo ferè præciperet, et quod nos laudationibus nó ita multum uti soleremus, totum hũc segregabã locum. Ipsi enim græci magis legendi, & delectationis, aut hominis alicuius ornãdi, quã utilitatis huius forensis causa, laudatiões scriptitauerũt, quorũ sunt libri quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminundas, Philippus, Alexander, alijq; laudantur. Nostræ laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonij breuitatem habent nudam, atq; mornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quæ ad orationis laudẽ minime accommodata est. Sed tamen, quoniam est utendum aliquando, nonnunquam etiam scribendum, uelut P. Tuberoni Africanum auunculum laudanti scripsit C. Lælius, uel ut nosmetipsi ornandi causa græcorum more, siquos uelimus, laudare possimus, sit à nobis quoq; tractatus etiã is locus. Perspicuum est igitur alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, uires, opes, diuitiæ, cæteráq;, quæ fortuna det, aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se ueram laudem, quæ deberi uirtuti uni putatur, sed tamen quod ipsa uirtus in earum rerũ usu, ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiã in laudationibus hæc sunt naturæ, et fortunæ bona, in quibus est summa laus non extulisse se in potestate, non fuisse insolentẽ in pecunia, non se prætulisse alijs propter abundantiam fortunæ, ut opes, et copiæ non superbiæ uideãtur, ac libidini, sed bonitati, ac moderationi facultatem, et materiam dedisse. Virtus autem, quæ est per se ipsa laudabilis, & sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes, quarũ alia est ad laudationem aptior. sunt enim aliæ uirtutes, quæ uidentur in moribus hominum, et quadam comitate, ac beneficẽtia positæ, aliæ quæ in ingenij aliqua facultate, aut animi magnitudine, ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus, iucunda est auditu in laudationibus. omnes enim hæ uirtutes non tam ipsis, qui eas in se habẽt, quàm generi hominũ fructuosæ putãtur. Sapientia, et magnitudo animi, qua omnes res humanæ gerũtur, tenues, et pro nihilo putantur, et in ex-

cogitando uis quædam ingenij,& ipsa eloquentia, admirationis habet non minus,iucunditatis minus.ipsos enim magis uidetur, quos laudamus,quàm illos apud quos laudamus,ornare,ac tueri,sed tamen in laudando iungenda sunt etiam hæc genera uirtutum.feriunt enim aures hominum,cum illa,quæ iucunda,& grata,tum etiam illa,quæ mirabilia sunt in uirtute laudari,& quoniam singularum uirtutum sunt certa quædam officia,ac munera,& sua cuiq; uirtuti laus propria debetur,erit explicandum in laude iustitiæ,quid cum fide,quid cum æquabilitate,qd cum eiusmodi aliquo officio is, qui laudabitur,fecerit.itemq; in cæteris res gestæ ad cuiusq; uirtutis genus,& uim,& nomen accommodabuntur. Gratissima autem laus eorũ factorum habetur,quæ susceptæ uidentur à uiris fortibus sine emolumento,ac præmio.quæ uero etiã cum labore,et periculo ipsorum hæc habent uberrimam copiam ad laudandum,quod & dici ornatissime possint,& audiri facillime.ea enim deniq; uirtus esse uidetur præstantis uiri,quæ est fructuosa alijs,ipsi autem laborioſa,aut periculosa,aut certe gratuita.Magna etiam illa laus,& admirabilis uideri solet,tulisse casus sapienter aduersos,non fractum esse fortuna,retinuisse in rebus asperis dignitatem.Neq; tamen illa non ornant,habiti honores,decreta uirtutis præmia,res gestæ iudicijs hominum cõprobatæ,in qbus etiam felicitatem ipsam deorũ immortaliũ iudicio tribui,laudationis est.Sumendæ autem res erunt,aut magnitudine præstabiles,aut nouitate primæ,aut genere ipso singulares.neq; enim paruæ,neq; usitatæ,neq; uulgares, admiratione, aut omnino laude dignæ uideri solent. Est etiã cum cæteris præstantibus uiris cõparatio,in laudatione præclara.De quo genere libitum mihi est paulo plura,quàm ostendere dicere,non tam propter usum forensem,q est à me in omni hoc sermone tractatus, quàm ut hoc uideretis,si laudationes essent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori uirtutum omniũ cognitionẽ,sine qua laudatio effici non possit,esse necessariã. Iam uituperandi præcepta,contrarijs ex uitijs sumenda esse,perspicuum est.simul est illud ante oculos,nec bonũ uirũ proprie,& copiose laudari,sine uirtutum,nec improbum notari,ac uituperari,sine uitiorũ cognitione,satis insigniter, atq; aspere posse. Atq; his locis & laudandi,& uituperandi sæpe nobis est utendum in omni genere causarum.Habetis de inueniẽdis rebus,disponẽdisq; quid sentiam.adiungam etiam de memoria,ut labore Crassum leuẽ. neq; ei quicquam aliud,de quo differat,relinquam, nisi ea,qbus rebus hæc exornentur. Perge uero inqt Crassus.libẽter enim te cognitum

gnitum iam artificem,aliquandoq; euolutum illis integumentis dissimulationis tuæ,nudatumq; perspicio , & quod mihi nihil,aut quod non multũ relinquis,pcommode facis,estq; mihi gratũ. Iam istuc quantum tibi ego reliquerim,inquit Antonius,erit in tua potestate. si enim uere agere uolueris,omnia tibi relinquo, sin dissimulare,tu quẽadmodum his satisfacias,uideris.Sed ut ad rẽ redeam,non sum tanto ego inquit ingenio,quanto Themistocles fuit,ut obliuionis artem,quàm memoriæ malim,gratiamq; habeo Simonidi illi chio,quẽ primum ferunt artem memoriæ protulisse.Dicunt enim, cum cœnaret Grãnone in Thessalia Simonides apud Scopam fortunatum hominẽ,& nobilẽ,cecinisseq; id carmen,quod in eum scripsisset,in quo multa ornandi causa poëtarum more in Castorẽ scripta,et Pollucem fuissent,nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium eius ei, quod pactus esset pro illo carmine,daturũ,reliquum a' suis tyndaridis,quos æque laudasset,peteret,si ei uideretur,paulo post esse ferunt nuntiatũ Simonidi,ut prodiret,iuuenes stare ad ianuam duos quosdã,qui eum magnopere euocarent,surrexisse illum ipsum,prodisse,uidisse neminem·hoc interim spatio cœnclaue illud,ubi epulare tur Scopas,concidisse,ea ruina ipsum oppressum cum suis interisse, quos cum humare uellent sui,neq; possent obtritos internoscere ullo modo,Simonides dicatur ex eo,quod memnisset,quo eorũ loco quisq; cubuisset,demonstrator uniuscuiusq; sepeliẽdi fuisse.hac tum re admonitus inuenisse fertur ordinem esse maxime,qui memoriæ lumen afferret.Itaq; ijs,qui hanc partem ingenij exercerent,locos esse capiendos,& ea,quæ memoria tenere uellent,effingenda animo , atq; in his locis collocanda,sic fore,ut ordinem rerum locorum ordo conseruaret,res autem ipsas rerum effigies notaret,atq; ut locis pro cera,simulachris pro literis uteremur.Qui sit autem oratori memoriæ fructus,quanta utilitas,quanta uis,qd me attinet dicere?tenere quæ didiceris in accipienda causa,quæ ipse cogitaris,omnes fixas esse in animo sententias,omnẽ descriptum uerborũ apparatum , ita audire uel eũ unde dicas,uel eum,cui respondẽdũ sit,ut illi nõ infundere in aures tuas orationem,sed in animo uideantur inscribere.Itaq; soli, qui memoria uigent,sciunt qd, & quatenus, & quomodo dicturi sunt,cui responderint,quid supersit.ijdemq; multa ex alijs causis aliquando a' se acta,multa ab alijs audita memnerunt.Quare confiteor equidem huius boni naturã esse principem,sicut earũ rerum,de quibus ante locutus sum omnium,sed hæc ars tota dicendi,siue artis imago quædam est,& simulitudo,habet hanc uim,non ut totum ali-

quid, cuius in ingenijs nostris pars nulla sit, pariat, & procreet, uerũ ut ea, quæ sunt orta iam in nobis, & procreata, educet, atq; confirmet. Veruntamen neq; tam acri memoria ferè quisquã est, ut, nõ dispositis, notatisq; rebus, ordinem uerborum, aut sententiarum complectatur, neq; uero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine, & exercitatione adiuuetur. Vidit enim hoc prudẽter, siue Simonides, siue alius quis inuenit, ea maxime animis effingi nostris, quæ essent a sensu tradita, atq; impressa, acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum uidẽdi, quare facillime animo teneri posse ea, quæ paterentur auribus, aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur, ut res cæcas, & ab aspectus iudicio remotas conformatio quædam, & imago, & figura ita notaret, ut ea, quæ cogitando complecti uix possemus, intuendo, quasi teneremus. His autẽ formis, atq; corporibus, sicut omnibus rebus, quæ sub aspectũ ueniũt, sedes opus est, etenim corpus intelligi sine loco non potest. Quare ne in re nota, & peruulgata multus, & insolens sim, locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis interuallis. Imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere, celeriterq; pcutere animum possint. Quam facultatem & exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur, simulium uerborum conseruata, & immutata casibus, aut traducta ex parte ad genus notatio, & unius uerbi imagine totius sententiæ informatio, picturis cuiusdam summ ratione, & modo, formarum uarietate locos distinguentis. Sed uerborum memoria, quæ minus est nobis necessaria, maiore imaginũ uarietate distinguitur. multa enim sunt uerba, quæ quasi articuli connectunt membra orationis, quæ formari similitudine nulla possunt, eorum fingendæ nobis sunt imagines, quibus semper utamur. rerũ memoria propria est oratoris. eam singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neq; uerum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, & obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines, & diuina propè memoria, Athenis Carneadem, in Asia, quem uiuere hodie aiunt, Scæptium Metrodorum, quorum uterq; tanquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus in ijs locis, quos haberet, quæ meminisse uellet, perscribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis, sed certe, si latet, euocanda est. Habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis, illud quidem certe, non nimis uerecundi, qui quidem cum te Catule, tum etiam L. Crasso audiente de

dicendi

dicendi ratione tam multa dixerim. nam istorum ætas minus me fortasse mouere debuit. sed mihi ignoscetis profecto, si modo quæ causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis.

Nos uero inquit Catulus, etenim pro me hoc, et pro meo fratre respondeo, non modo tibi ignoscimus, sed te diligimus, magnamq; tibi habemus gratiam, & cum humanitatem, & facilitatem agnoscimus tuam, tum admiramur istam scientiam, & copiam. Equidem hoc me assecutum puto, quod magno sum leuatus errore, & illa admiratione liberatus, quod multis cum aliis semper admirari solebam, unde esset illa tanta tua in causis diuinitas. nec enim te ista attigisse arbitrabar, quæ diligentissime cognosse, & undiq; collegisse, usuq; doctũ partim correxisse uideo, partim comprobasse. Neq; eo minus eloquentiam tuam, & multo magis uirtutem, & diligentiam admiror, & simul gaudeo iudicium animi mei comprobari, quod semper statui, neminem sapientiæ laudem, & eloquentiæ, sine summo studio, & labore, & doctrina consequi posse. Sed tamen quidnam est id, quod dixisti, fore ut tibi ignosceremus, si cognosseemus, quæ te causa in sermonem impulisset? Quæ est enim alia causa, nisi quod nobis, & horum adolescentium studio, qui te attentissime audierunt, morem gerere uoluisti? Tum ille, Adimere inquit omnem recusationem Crasso uolui, quem ego paulo sciebam uel pudentius, uel inuitius, nolo enim dicere de tam suaui homine fastidiosius, ad hoc genus sermonis accedere. quid enim poterit dicere? consularẽ se esse hominem, & censoriũ, eadem nostra causa est. an ætatem afferet? quadriennio minor est, an se nescire? quæ ego sero, quæ cursim arripui, quæ subsiciuis operis (ut aiunt) iste a puero summo studio, summis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit, etenim me dicentem q audierit, nemo unq̃ tam sui despiciens fuit, qui desperaret, aut melius, aut eodem modo se posse dicere, Crasso dicente nemo tam arrogans, qui similiter se unquam dicturum esse confideret. Quãobrem ne frustra hitales uiri uenerint, te aliquando Crasse audiamus. Tum ille, Vt ita ista esse concedam inquit Antoni, quæ sunt longe secus, id mihi tu tandem hodie, aut cuiq̃ homini, quod dici possit, reliquisti? Dicam enim uere amicissimi homines quod sentio, sæpe ego doctos homines, quid dico sæpe? immo nonnunquam, sæpe enim qui potui? qui puer in forum uenerim, neq; inde unquam diutius, quàm quæstor abfuerim? sed tamen audiui, ut heri dicebam, & Athenis cum essem, doctissimos uiros, & in Asia istum ipsum sceptium Metrodorum, cum de his ipsis rebus disputaret, neq; uero mihi quisquam

copiosius unquam uisus est, neq; subtilius in hoc genere dicēdi, quā iste hodie, esse uersatus, quod si esset aliter, et aliquid intelligerem ab Antonio prætermissum, non essem tam inurbanus, ac pene inhumanus, uti eo grauarer, quod uos cupere sentirem. Tum Sulpitius, An ergo inquit oblitus es Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi eius distinctionem, atq; ornatum relinqueret? Hic ille, Primum quis Antonio permisit inquit, ut & partes faceret, & utrā uellet prior ipse sumeret? deinde, si ego recte intellexi, cum ualde libenter audirem, mihi coniuncte est uisus de utraq; re dicere. Ille uero inquit Cotta ornamenta orationis non attigit, neq; eam laudem, ex qua eloquētia nomen ipsum inuenit. Verba igitur inquit Crassus mihi reliquit Antonius, rē ipse sumpsit. Tum Cæsar, Si quod difficilius est, id tibi reliquit, est nobis inquit causa, cur te audire cupiamus, sin quod facilius, tibi causa nō est, cur recuses. Et Catulus, Quid quod dixisti inquit Crasse, si hic hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihil'ne ad fidem tuam putas pertinere? Tum Cotta ridens, Possem tibi inquit Crasse concedere, sed uide, nequid Catulus attulerit religionis, opus hoc censorium est, id autem committere uide quàm sit homini turpe censorio. Agite uero ille inquit, ut uultis, sed nunc quidem, quoniam id temporis est, surgendum censeo, & requiescendum, post meridiem si ita uobis est commodum, loquemur aliquid, nisi forte me in crastinum differre mauultis. Omnes se uel statim, uel si ipse post meridiem malet, quam primū tamen audire uelle dixerūt.

M. TVLLII CICERONIS DE ORATORE LIBER TERTIVS.

INSTITVENTI mihi Quinte frater eū sermonem referre, et mandare huic tertio libro, quē post Antonij disputationē Crassus habuisset, acerba sanè recordatio ueterem animi curam, molestiamq; renouauit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa uirtus L. Crassi morte extincta subita est, uix diebus decem post eum diem, q̄ hoc, & superiore libro continetur. ut enim Romam redyt extremo scenicorum ludorum die, uehementer commotus ea oratione, quæ ferebatur habita esse in concione a' Philippo, quē dixisse constabat, uidendum

dendum sibi aliud esse consilium, illo senatu se remp. gerere non posse, mane idibus Septembris, & ille, et senatus frequens uocatu Drusi in curiam uenit, ibi cum Drusus multa de Philippo quæstus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam grauiter in concione esset inuectus. Hic ut sæpe inter homines sapientissimos constare uidi, quanquam hoc Crasso, cum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, cæteros a Crasso semp omnes, illo autem die etiã ipsum a sese superatum. Deplorauit enim casum, atq; orbitatem senatus, cuius ordinis a consule, q quasi parens bonus, aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis, neq; uero esse mirandũ, si cum suis consiliis remp. profligasset, consilium senatus a rep. repudiaret. Hic cum homini & uehementi, et diserto, & in primis forti ad resistendum Philippo quasi quasdam uerborum faces admouisset, nõ tulit ille, et grauiter exarsit, pignoribusq; ablatis Crassum instituit coercere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso diuinitus dicta efferebantur, cum sibi illum consulẽ esse negaret, cui senator ipse nõ esset. An tu cum omnem authoritatem unuersi ordinis propugnare putares, eamq; in conspectu populi R. concideres, mehis pignoribus existimas posse terreri? non tibi illa sunt cædenda, si Crassum uis coercere, hæc tibi est excidenda lingua, qua uel euulsa spiritu ipso libidinẽ tuam libertas mea refutabit. Permulta tum uehementissima cõtentione animi, ingenij, uiriũ, ab eo dicta esse constabat, sententiamq; eam, quam senatus frequens secutus est, ornatissimis, & grauissimis uerbis, ut populo R. satisfieret, nunquam senatus, neq; consiliũ reip. nec fidem defuisse, ab eo dictam, et eundem id quod in authoritatibus perscriptis extat, scribendo affuisse. Illa tanquam cygnea fuit diuini hominis uox, & oratio, quam quasi expectantes post eius interitum ueniebamus in curiam, ut uestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Nãq; tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremq; multum consecutum esse audiebamus, ex quo cũ cohorruisset, cum febri domum rediit, dieq; septimo est lateris dolore consumptus. O fallacem hominum spem, fragilemq; fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quã portum conspicere potuerunt. Nam quãdiu Crassi fuit ambitionis labore uita destricta, tandiu priuatis magis officijs, & ingenij laude floruit, quàm fructu amplitudinis, aut reip. dignitate. qui autẽ ei annus primus ab hono-

rum perfunctione aditum omnũ cõcessu ad summã authoritatem dabat, is eius omnem spem, atq; omnia uitæ cõsilia morte peruertit. Fuit hoc luctuosum suis, acerbũ patriæ, graue bonis omnibus, sed ij tamen remp. casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso à dijs immortalibus uita, sed donata mors esse uideatur. non uidit flagrantẽ bello Italiam, non ardentẽ inuidia senatum, non sceleris nefarij prĩcipes ciuitatis reos, non luctũ filiæ, non exilium generi, non acerbissimã C. Marij fugam, nõ illã post reditũ eius cædẽ omniũ crudelissimam, non deniq; in omni genere deformatam eã ciuitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria præstitisset. Sed quoniam attigi cogitatione uim, uarietatẽq; fortunæ, nõ uagabitur oratio mea longius, atq; his ferè ipsis definietur uiris, qui hoc sermone, quem referre cœpimus, continentur. Quis. n. non iure beatam L. Crassi mortem illam, quæ est à multis sæpe defleta, dixerit, cum horum ipsorum sit, qui tum cum illo postremum ferè collocuti sunt, euentum recordatus? Teneimus enim memoria Q. Catulum uirum omni laude præstantem, cum sibi non incolumem fortunam, sed exilium, & fugam deprecaretur, esse coactum, ut uita seipse priuaret. Iã M. Antonij in his ipsis rostris, in quibus ille rẽp. constantissime consul defenderat, quæq; censor imperatorijs manubijs ornarat, positum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuiũ capita seruata. Neq; uero longe ab eo C. Iulij caput hospitis Hetrusci scelere proditum cum L. Iulij fratris capite iacuit, ut ille, qui hæc non uidit, et uixisse cum rep. pariter, & cum illa simul extinctus esse uideatur. Neque enim propinquum suum maximi animi uirum P. Crassum suapte interfectum manu, neque collegæ sui Pontificis Maximi sanguine simulachrum Vestæ respersum esse uidit. cui, mœrori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis inimicissimi hominis eodem illo die mors nefaria fuisset. Non uidit eorũ ipsorum, qui tum adolescentes Crasso se dicarant, horribiles, miserosq; casus, ex quibus C. Cotta, quẽ ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per inuidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est è ciuitate. Sulpitius autem, qui in eadem inuidiæ flamma fuisset, quibus cum priuatus coiunctissime uixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate, cui quidem ad summam gloriam eloquentiæ florescenti, ferro erepta uita est, & pœna temeritatis non sine magno reip. malo constituta. Ego uero te Crasse, cum uitæ flore, tum mortis opportunitate, diuino cõsilio & ortum, et extinctum esse arbitror. nã tibi aut pro uirtute animi, constantiáq; tua ciuilis ferri subeũda fuit crudelitas,

crudelitas, aut siqua te fortuna ab atrocitate mortis uẽdicasset, eadem esse te funerum patriæ spectatorem coegisset. neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam propter admistam ciuium cædem bonorum uictoria mœrori fuisset. Mihi quidem Quinte frater & eorum casus, de quibus ante dixi, et ea, quæ nosmetipsi ob amorem in remp. incredibilem, & singularem pertulimus, ac sensimus cogitanti, sententia sæpe tua uera, ac sapiens uideri solet, qui propter tot, tantos, tamq; præcipites casus clarissimorum hominum, atque optimorum uirorum me semper ab omni contentione, ac dimicatione reuocasti. Sed quoniam hæc iam neque in integro nobis esse possunt, et summi labores nostri magna compensati gloria mitigantur, pgamus ad ea solatia, quæ non modo sedatis molestijs iucunda, sed etiã hærentibus, salutaria nobis esse possunt, sermonemq; L. Crassi reliquũ, ac pene postremum memoriæ prodamus, atque ei, & si nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam, debitamq; referamus. Neque enim quisquam nostrum, cum libros platonis mirabiliter scriptos legit, in qbus omnibus fere Socrates exprimitur, non, quanquam illa scripta sunt diuinitus, tamen maius qddã de illo, de quo scripta sunt, suspicatur. quod item nos postulamus nõ a te quidem, qui nobis summa omnia tribuis, sed a cæteris, qui hæc in manus sument, ut maius quiddam de L. Crasso, quã quantum a nobis exprimetur, suspicentur. nos enim, qui ipsi sermoni non interfuissemus, & quibus C. Cotta tantummodo locos, ac sententias huius disputationis tradidisset, quo in genere orationis utrunq; oratorem cognoueramus, idipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. Quod siquis erit, qui ductus opinione uulgi, aut Antoniũ ieiuniorem, aut Crassum fuisse pleniorem putet, quàm quomodo a nobis uterque inductus esset, is erit ex ijs, qui aut illos non audierit, aut iudicare non possit. Nam fuit uterque (ut exposui antea) cum studio atque ingenio, et doctrina præstans omnibus, tum in suo genere perfectus, ut neq; in Antonio deesset hic ornatus orationis, neq; in Crasso redundaret. Vt igitur ante meridiẽ discesserunt, paululumq; requerũt, in primis hoc a se Cotta animaduersum esse dicebat omne illud tempus meridianum, Crassum in acerrima, atq; attentissima cogitatione posuisse, seseq;, qui ultũ eius, cum ei dicendũ esset, obtutumq; oculorũ in cogitando probe nosset, atq; in maximis causis sæpe uidisset, cũ dedita opa quescẽtibus alijs i eã hexedrã uenisset, i qua Crassus lectulo posito recubuisset, cũq; eũ i cogitatiõe defixũ esse sensisset, statim recessisse, atq; in eo silentio duas horas fere esse consumptas. deide cũ

omnes inclinato iam in post meridianũ tempus die ueniſſent ad Craſſum. Quid eſt Craſſe inquit Iulius, imus'ne ſeſſum? et ſi admonitum uenimus te, non flagitatum. Tum Craſſus, An me tam impudẽtem eſſe exiſtimatis, ut uobis, hoc præſertim munus, putẽ diutius poſſe debere? Quinã igitur inquit ille locus, an in media ſylua placet? eſt enim is maxime & opacus, & frigidus. Sanè inquit Craſſus, etenim eſt in eo loco ſedes huic noſtro non inopportuna ſermoni. Cum placuiſſet idem cæteris, in ſyluam uenitur, & ibi magna cum audiendi expectatione conſiditur. Tum Craſſus, Cum authoritas, atq; amicitia ueſtra, tum Antonij facilitas eripuit inquit mihi in optima mea cauſa libertatem recuſandi, quanquam in partienda diſputatione noſtra, cum ſibi de ijs, quæ dici ab oratore oporteret, ſumeret, mihi autem relinqueret, ut explicarem, quemadmodum illa ornari oporteret, ea diuiſit, quæ ſeiuncta eſſe non poſſunt. Nam cum omnis ex re, atque uerbis conſtet oratio, neq; uerba ſedem habere poſſunt, ſi rẽ ſubtraxeris, neq; res lumen, ſi uerba ſemoueris. Ac mihi quidẽ ueteres illi maius quiddam animo complexi, plus multo etiã uidiſſe uidentur, quã quantum noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt, qui omnia hæc, quæ ſupra, & ſubter, unum eſſe, et una ui, atq; una conſenſione naturæ conſtricta eſſe dixerunt. Nullum eſt enim genus rerũ, quod aut aulſum a' cæteris per ſeipſum conſtare, aut quo cætera ſi careant, uim ſuam, atq; æternitatem conſeruare poſſint. Sed ſi hæc maior eſſe ratio uidetur, ut hominum poſſit ſenſu, aut cogitatione comprehendi. Eſt etiam illa platonis uera, & tibi Catule certe non inaudita uox, omnem doctrinam harum ingenuarũ, et humanarum artium uno quodã ſocietatis uinculo contineri. ubi enim perſpecta uis eſt rationis eius, qua cauſæ rerũ, atq; exitus cognoſcũtur, mirus quidam omnũ quaſi conſenſus doctrinarũ, concentuſq; reperitur. Sed ſi hoc quoq; uidetur eſſe altius, quã ut id nos humi ſtrati ſuſpicere poſſimus, illud certe tamen, quod amplexi ſumus, quod profitemur, quod ſuſcepimus, noſſe, & tenere debemus. Vna eſt enim, quod & ego heſterna die dixi, et aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificauit Antonius, eloquentia, quaſcunq; in oras diſputationis, regiones'ue delata eſt. ná ſiue de cœli natura loquitur, ſiue de terræ, ſiue de diuina ui, ſiue de humana, ſiue ex iferiore loco, ſiue ex æquo, ſiue ex ſupiore, ſiue ut impellat hoies, ſiue ut doceat, ſiue ut deterreat, ſiue ut cõcitet, ſiue ut reflectat, ſiue ut incẽdat, ſiue ut leniat, ſiue ad paucos, ſiue ad multos, ſiue iter alienos, ſiue cũ ſuis, ſiue ſecũ, ruis ẽ diducta oratio nó fontibus, et quocũq; ingreditur eodẽ ẽ inſtructu, ornatuq;

ornatúq; comutata. Sed quoniam eppressi iam sumus opinionibus nō modo uulgi, uerum etiá hominum leuiter eruditorum, qui quæ cōplecti tota nequeunt, hæc facilius diuulsa, et quasi dissecpta contrectant, & qui tanquam ab animo corpus, sic à sententijs uerba seiungunt, quorum sine interitu fieri neutrum potest, non suscipiã oratione mea plus, quam mihi imponitur, tantũ significabo breui, neq; uerborum ornatũ inueniri posse non partitis, expressisq; sententijs, neq; esse ullam sententiam illustrem sine luce uerborũ. Sed prius quàm illa conor attingere, quibus orationem ornari, atq; illuminari putẽ, proponam breuiter, quid sentiam de uniuerso genere dicendi. Natura nulla est (ut mihi uidetur) quæ non habeat in suo genere res cōplureis dissimiles inter se, quæ tamen consimili laude dignentur. Nã & auribus multa pcpimus, quæ etsi nos uocibus delectant, tamẽ ita sunt uaria sæpe, ut id, quod proximum audias, iucundissimũ esse uideatur, & oculis colliguntur pene innumerabiles uoluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent, & reliquos sensus uoluptates oblectant dispares, u sit difficile iudicium excellentis maxime suauitatis. At hoc idem, quod est in naturis rerũ, transferri potest etiam ad artes. Vna fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus, qui oẽs inter se dissimiles fuerunt. sed ita tamen, ut nemnẽ sui uelis esse dissimilem. Vna est ars, ratióq; picturæ, dissimillimáq; tamen inter se Zeusis, Aglaophõ, Apelles, neq; eorũ quisquam est, cui quicquam in arte sua deesse uideatur. & si hoc in his, quasi mutis artibus est mirandum, et tamen uerum, quanto admirabilius in oratione, atq; in lingua, quæ cum in ijsdem sententijs, uerbisq; uersetur, summas habet dissimilitudines, nõ sic, ut alij uituperandi sint, sed ut ij, quos cõstet esse laudandos, in dispari tn genere laudentur. Atq; id primũ in poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quã sint inter sese Ennius, Pacuuius, Acciusq; dissimiles, quã apud græcos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quanq; omnibus par pene laus in dissimili scribẽdi genere tribuatur. Aspicite nunc eos homines, atq; intuemini, quorũ de facultate quærimus, quid interfit inter oratorũ studia, atq; naturas, suauitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumẽ Hyperides, sonitum Aeschines, uim Demosthenes habuit, quis eorũ non egregius? tamẽ cuiusquam nisi sui similis? Grauitatem Africanus, lenitatem Lælius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo, & eorũ, quis horum non princeps temporibus illis fuit? & suo tamen quisq; in genere princeps. Sed quid ego uetera conquirã, cum mihi liceat uti

præsentibus exemplis, atq; uiuis? Quid iucundius auribus nostris unquam accidit huius oratione Catuli? quæ est pura sic, ut latine loqui penè solus uideatur, sic autem grauis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas, ac lepos. quid multa? istum audiens eq dem sic iudicare soleo, quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris, uitiosius, et deterius futurũ. Quid noster hic Cæsar? nó ne nouam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit propè singulare? quis unquam res præter hunc tragicas penè omnes, tristes remisse, seueras hilare, forenses scenicæ propè uenuste tractauit? atq; ita, ut neq; iocus magnitudine rerũ excluderetur, nec grauitas facetijs minueretur. Ecce præsentes duo propè æquales Sulpitius, et Cotta. qd tam inter se dissimile, qd tã in suo genere præstãs? limatus alter, et subtilis rẽ explicãs propryis, aptisq; uerbis, hæret i causa semper, et qd iudici probandũ sit cũ acutissime uidit, omissis cæteris argumentis in eo mentẽ, orationemq; defigit. Sulpitius aũt fortissimo quodam animi impetu, plenissima, & maxima uoce, summa contentione corporis, et dignitate motus, uerborũ quoq; ea grauitate, et copia est, ut unus ad dicendũ instructissimus à natura esse uideatur. Ad nosmetipsos iam reuertor, quoniam sic fuimus semper cõparati, ut hominum sermonibus quasi in aliquod contentionis iudicium uocaremur, quid tã dissimile, quàm ego in dicendo, & Antonius? cũ ille is sit orator, ut nihil eo possit esse præstantius, ego autem, quãquã memet mei pœnitet, cum hoc maxime tamen in comparatione coniũgar. Videtisne genus hoc, quod sit Antonij, forte, uehemens, cõmotũ in agendo, præmunitum, & ex omni parte causæ septum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaq; re commorans, honeste cedens, acriter insequens, terrens, supplicans, summa orationis uarietate, nulla nostrarum aurium satietate. Nos autem, quicunq; in dicendo sumus (quoniam esse aliquo in numero uobis uidemur) certe tamen ab huius multum genere distamus. quod quale sit, non est meũ dicere, propterea quod minime sibi quisq; notus est, et difficillime de se quisque sentit, sed tamen dissimilitudo intelligi potest, et ex motus mei mediocritate, & ex eo, quod quibus uestigijs primum institi, in ijs ferè solco perorare, et quod aliquanto me maior in uerbis, quàm in sententijs eligendis labor, & cura torquet, uerentem, ne si paulo obsolctior fuerit oratio, non digna expectatione, & silentio fuisse uideatur. Quod si in nobis, qui adsumus, tantæ dissimilitudines, tam certæ res cuiusq; propriæ, et in ea uarietate ferè melius à deteriore facultate magis, quàm genere, distinguitur, atque omne laudatur, quod in suo genere

perfectum est, quid censetis, si omnes, qui ubique sunt, aut fuerunt oratores amplecti uoluerimus, num'ne fore, ut quot oratores, totidē pene' reperiantur genera dicendi? Ex qua mea disputatione forsitā occurrat illud, si pene' innumerabiles sint quasi formæ, figuræq; dicendi, specie dispares, genere laudabiles, non posse ea, quæ inter se discrepant, ijsdem præceptis, atque in una institutione formari. Quod non est ita, diligentissimeq; hoc est eis, qui instituunt aliquos, atque erudiunt, uidendum, quo sua quenque natura maxime ferre uideatur. Etenim uidemus ex eodem quasi ludo summorum in suo cuiusque genere artificum, & magistrorum exisse discipulos, dissimiles inter se, attamen laudandos, cum ad cuiusque naturam institutio doctoris accommodaretur. Cuius est uel maxime insigne illud exemplum (ut cæteras artes omittamus) quod dicebat Isocrates doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere. alterum enim exultantem uerborum audacia reprimebat, alterum cunctantem, & quasi uerecundantem incitabat. Neque eos simules effecit inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limauit, ut id confirmaret in utroque, quod utriusque natura pateretur. Hæc eo mihi prædicenda fuerunt, ut si non omnia, quæ proponerentur a' me ad omnium uestrum studium, & ad genus id, quod quisque uestrum in dicendo probaret, adhæresceret, id a' me genus exprimi sentiretis, quod maxime mihi ipsi probaretur. Ergo hæc & agenda sunt ab oratore, quæ explicauit Antonius, & dicenda quodammodo. Quinam igitur dicendi est modus melior? (nam de actione post uidero) quàm ut latine, ut plane', ut ornate, ut ad id, quodcunque agetur, apte, congruenter'q; dicamus. Atque eorum quidem, quæ duo prima dixi, rationem non arbitror expectari a' me puri, diluciditq; sermonis, neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui nesciat, nec sperare qui latine non possit, hunc ornate esse dicturum, neque uero, qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cognitionem habent facilem, usum necessarium, nam alterum traditur literis, doctrinaq; puerili, alterum adhibetur ob eam causam, ut intelligatur, quid quisque dicat, quod uidemus ita' esse necessarium, ut tamen eo minus nihil esse possit. Sed omnis loquendi elegantia, quanquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus, & poëtis. sunt enim illi ueteres, qui ornare non dum poterant ea, quæ dicebant, omnes prope' præclare locuti, quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem

poterunt loqui niſi latine, neque tamen erit utendum uerbis ijs, quibus iam conſuetudo noſtra non utitur, niſi quando ornandi cauſa parce, quod oſtendam, ſed uſitatis, ita poterit uti, lectiſſimus ut utatur ijs, qui in ueteribus erit ſcriptis ſtudioſe, & multum uolutatus. Atq; ut latine loquamur, non ſolum uidendum eſt, ut & uerba efferamus ea, quæ nemo iure reprehendat, & ea ſic, et caſibus, et temporibus, & genere, & numero conſeruemus, ut nequid perturbatũ, ac diſcrepans, aut præpoſterum ſit, ſed etiam lingua, & ſpiritus, & uocis ſonus eſt ipſe moderandus. Nolo exprimi literas putidius, nolo obſcurari negligentius, nolo uerba exiliter exanimata exire, nolo inflata, et anhelata grauius. nã de uoce non dum ea dico, quæ ſunt actionis, ſed hoc, quod mihi cum ſermone quaſi coniunctum uidetur. Sunt enim certa uitia, quæ nemo eſt, quin effugere cupiat, mollis uox, ut muliebris, aut quaſi extra modum abſona, atque abſurda. eſt autem uitium, quod nonnulli de induſtria conſectantur. ruſtica uox, et agreſtis quoſdam delectat, quo magis antiquitatem, ſi ita ſonet, eorum ſermo retinere uideatur, ut tuus Catule ſodalis L. Cotta gaudere mihi uidetur grauitate linguæ, ſonoq; uocis agreſti, & illud, quod loquitur, priſcum uiſumiri putat, ſi planè fuerit ruſticanum. Me autem tuus ſonus, & ſubtilitas iſta delectat, omitto uerborum, quanquam eſt caput, uerum id affert ratio, docent literæ, confirmat conſuetudo & legendi, & loquendi, ſed hanc dico ſuauitatem, quæ exit ex ore, quæ quidem, ut apud græcos atticorũ, ſic in latino ſermone huius eſt urbis maxime propria. Athenis iandiu doctrina ipſorum Athenienſium interijt, domicilium tantum in illa urbe remanet ſtudiorum, quibus uacant ciues, peregrini fruuntur capti quodãmodo nomine urbis, & authoritate, tamen eruditiſſimos homines aſiaticos quiuis Athenienſis indoctus, non uerbis, ſed ſono uocis, nec tam bene, quã ſuauiter loquendo facile ſuperabit. Noſtri minus ſtudent literis, quã latini, tamẽ ex iſtis, quos noſtris, urbanus, in quibus minimũ eſt literarũ, nemo eſt quin literatiſſimum togatorũ omnium Q. Valerium Soranum lenitate uocis, atq; ipſo oris preſſu, et ſono facile uincat. Quare cũ ſit quædã certa uox romani generis, urbisq; propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſſit, nihil ſonare, aut olere peregrinũ, hãc ſequamur, neq; ſolũ ruſticam aſperitatem, ſed etiam peregrinã inſolentiã fugere diſcamus. Equidem cum audio ſocrum meã Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatẽ conſeruant, qđ multorũ ſermonis expertes, ea tenent ſemp, quæ prima didicerunt) ſed eã ſic audio, ut Plautũ mihi

aut Næuium uidear audire, ſono ipſo uocis ita recto, & ſimplici eſt, ut nihil oſtentationis, aut imitationis afferre uideatur, ex quo ſic locutum eſſe eius patrem iudico, ſic maiores, non aſpere, ut ille, quẽ dixi, non uaſte, non ruſticè, non hiulcè, ſed preſſe & æquabiliter, & leniter, quare Cotta noſter, cuius tu illa lata Sulpiti nonnunquam imitaris, ut i otam literam tollas, & e pleniſſimum dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores uideris imitari. Hic cum arriſiſſet ipſe Sulpitius, ſic agam uobiſcum inquit Craſſus, ut quoniã me loqui uoluiſtis aliquid de ueſtris uitijs audiatis. Vtinam qdem inquit ille, id enim ipſum uolumus, idq; ſi feceris, multa (ut arbitror) hic hodie uitia ponemus. At enim non ſine meo periculo Craſſus inqt poſſum Sulpiti te reprehendere, quoniam Antonius mihi te ſimillimum dixit ſibi uideri. Tum ille, tum quod monuit idem ut ea, quæ in quoq; maxima eſſent, imitaremur? ex quo uereor, ne nihil ſim tui niſi ſuppoſitionẽ pedis imitatus, & pauca quædã uerba, & aliquẽ ſi forte motum. Ergo iſta inqt Craſſus, quæ habes a' me, non reprehendo, ne meipſum irrideam, ſunt autem mea multo, & plura, & maiora quàm dicis, quæ autem ſunt, aut tua plane', aut imitatione ex aliquo expreſſa, de ijs te, ſiquis me forte locus admonuerit, cõmonebo. Præteeamus igitur præcepta latine loquẽdi, quæ pueriliſ doctrina tradit, et ſubtilior cognitio, ac ratio literarũ alit, aut conſuetudo ſermonis quotidiani, ac domeſtica libri confirmant, et lectio ueterũ oratorum, & poëtarum. Neq; uero in illo altero diutius cõmoremur, ut diſputemus quibus rebus aſſequi poſſimus, ut ea, quæ dicamus, intelligantur, latine ſcilicet dicẽdo, uerbis uſitatis, ac proprie demonſtrantibus ea, quæ ſignificari, ac declarari uolemus, ſine ambiguo uerbo, aut ſermone, nõ numis longa continuatione uerborũ, non ualde productis ijs, quæ ſimilitudinis cauſa ex alijs rebus transferũtur, non diſcerptis ſententijs, non præpoſteris temporibus, nõ confuſis pſonis, nõ pturbato ordine. quid multa? tam facilis eſt tota res, ut nihi pmrum ſæpe uideatur, cũ difficilius intelligatur quid patronus uelit dicere, quàm ſi ipſe ille, qui patronũ adhibet, de re ſua diceret. Iſti enim, q ad nos cauſas deferunt, ita nos plerunq; ipſi docent, ut nõ deſyderes planius dici. Eaſdẽres autem ſimulac Fuſius, aut ueſter æqualis Pomponius agere cœpit, nõ æque quid dicãt, niſi admodũ attendi, intelligo. ita confuſa eſt oratio, ita pturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum, tantáq; inſolentia, ac turba uerborũ, ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem, & tenebras afferat, atq; ut quodãmodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere uideantur. Verum ſi

placet, quoniam hæc satis spero uobis quidē, certe maioribus molesta, & putida uideri, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus. Atqui uides inquit Antonius, cum alias res agamus, quàm te inuiti audiamus, q adduci possumus, de me enim cōiecto, relictis ut rebus omnibus te sectemur, te audiamus, ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de puulgatis noua quædam est oratio tua. Facilcs enim inqt Antoni partes eæ fuerunt duæ, quas modo pcucurri, uel potius penè præterij, latine loquendi, planéq; dicendi, reliquæ sunt magnæ, implicatæ, uariæ, graues, qbus omnis admiratio ingenij, omnis laus eloquentiæ continetur. Nemo enim unquam est oratorē, quod latine loqueretur, admiratus, si est aliter, irridet, neq; eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. nemo extulit eum uerbis. q ita dixisset, ut qui adessent intelligerent, quid diceret, sed contempsit eū qui minus id facere potuisset. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quē deum, ut ita dicam, inter homines putant? qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate & rebus, & uerbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quendam numerum, uersumq; conficiunt, id est quod dico ornate. qui idem ita moderantur, ut rerum, ut personarū dignitates ferunt, ij sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum, & congruens nomnem. q ita dicerent, eos negauit adhuc se uidisse Antonius, & ijs hoc nomen dixit eloquentiæ solis esse tribuendum.

Quare omnes istos me authore deridete, atq; contemnite, qui se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum præceptis omnem oratorium complexos esse arbitrantur, neq; adhuc quā personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Verū enim oratori quæ sunt in hominum uita, quandoquidem in ea uersatur orator, atq; ea est ei subiecta materies, omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. Est enim eloquētia una quædam de summus uirtutibus, quanquā sunt omnes uirtutes æquales, & pares, sed tamen est species alia magis alia formosa, & illustris, sicut hæc uis, quæ scientiam complexa rerum, sensa mentis, & consilia sic uerbis explicat, ut eos, qui audiant, quocunq; incubuerit, possit impellere, quæ quo maior est uis, hoc est magis probitate iungenda, summaq; prudētia, quarū uirtutum expertibus, si dicēdi copiā tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quædam arma dederimus. Hanc inquā cogitandi, pronuntiandiq; rationem, uimq; dicendi ueteres græci sapientiā nomnabant, hinc illi Lycurgi, hinc pittaci, hinc Solones, atq; ab hac simlitudine Coruncani nostri, Fa-

bricij, Catones, Scipiones, fuerunt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili, & uoluntate. Eadem autem alij prudentia, sed consilio ad uitæ studia dispari, quietem, atq; otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a' regendis ciuitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt, quæ uita propter tranquillitatem, & propter ipsius scientiæ suauitatem, qua nihil est hominibus iucundius, plures quàm utile fuit rebus publicis, delectauit. Itaq; ut ei studio se excellentissimis ingenijs homines dediderunt, ex ea summa facultate uacui, ac liberi temporis, multo plura, quàm erat necesse, doctissimi homines otio nimio, & ingenijs uberrimis affluentes curãda sibi esse, ac quærenda, & inuestiganda duxerunt. Nam uetus quidem illa doctrina eadem uidetur & recte faciendi, & benedicendi magistra, neq; disiuncti doctores, sed ijdem erant uiuendi præceptores, atq; dicendi, ut ille apud Homerum Phœnix, qui se a' Peleo patre Achilli iuueni comitem esse datum dicat ad bellum, ut illum efficeret oratorem uerborum, actoremq; rerum. Sed ut homines labore assiduo, & quotidiano assueti, cum tempestatis causa opere prohibẽtur, ad pilam se, aut ad talos, aut ad tesseras conferunt, aut etiam nouũ sibiipsi aliquem excogitãt in otio ludum, sic illi a' negotijs publicis, tanquam ab opere, aut temporibus excluſi, aut uoluntate sua feriati totos se alij ad poëtas, alij ad geometras, alij ad musicos contulerunt, alij etiam, ut dialectica, nouum sibiipsi studium, ludumq; peperer ũt, atq; in ijs artibus, quæ repertæ sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur, atq; uirtutem, omne tempus, atq; ætates suas consumpserunt. Sed quod erant quidã, ijq; multi, qui aut in rep. propter ancipitem, quæ non potest esse seiuncta, faciendi, dicendiq; sapientiam florerent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes, aut qui munus ipsi in rep. uersarentur, sed ut huius tamen eiusdem sapientiæ doctores essent, ut Gorgias, Thrasimachus, Isocrates, inuenti sunt, qui cum ipsi doctrina, & ingenijs abundarent, a' re autem ciuili, & a' negotijs animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent, atq; contemnerent, quorum princeps Socrates fuit is, qui omnium eruditorum testimonio. totiusq; iudicio Græciæ, cum prudentia, & acumine, & uenustate, & subtilitate, tum uero eloquentia, uarietate, copia, quam se cunq; in partem dedisset, omnium fuit facile princeps. Is, qui hæc, quæ nos nunc quærimus, tractarent, agerent, docerent, cum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio, atque in ijs exercitatio philosophia nominaretur, hoc communne nomen eripuit,

ſapienterq; ſentiendi,& ornate dicendi ſcientiam re cohærentes,diſputationibus ſuis ſeparauit,cuius ingenium,uariosq; ſermones immortalitati ſcriptis ſuis Plato tradidit,cum ipſe literã Socrates nullam reliquiſſet. Hinc diſcidium illud extitit quaſi linguæ,atq; cordis,abſurdum ſanè,& inutile,& reprehendendum,ut alij nos ſapere,alij dicere docerent. Ná cum eſſent plures ortiferè à Socrate, qđ ex illius uarijs,& diuerſis,& in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat,proſemnatæ ſunt,quaſi familiæ diſſentientes inter ſe,& multũ diſiunctæ,& diſpares,cũ tamen omnes ſe philoſophi,ſocraticos & dici uellent,et eſſe arbitrarentur.

Ac primo ab ipſo Platone Ariſtoteles,& Xenocrates,quorũ alter peripateticorum, alter academiæ nomen obtinuit. deinde ab Antiſthene,qui patientiam,& duritiam in ſocratico ſermone maxime adamarat,cynici primum,deinde ſtoici,tum ab Ariſtippo, quẽ illæ magis uoluptariæ diſputationes delectarant, cyrenaica philoſophia manauit,quam ille et eius poſteri ſimpliciter defenderant. ij q nunc uoluptate omnia metiuntur,dum uerecundius id agunt,nec dignitati ſatisfaciunt,quam nõ aſpernantur,nec uoluptatem tuẽtur, quam amplexari uolunt. Fuerunt etiam alia genera philoſophorum, qui ſe omnes ferè ſocraticos eſſe dicebant,Eretricorum,Erilliorũ,Megaricorum,Pyrrhoneorũ,ſed ea horum ui,et diſputationibus ſunt iandiu fracta,& extincta. Ex illis autem,quæ remanent,ea philoſophia,quæ ſuſcepit patrociniũ uoluptatis,et ſicui uera uideatur,procul abeſt tamen ab eo uiro,quem quærimus,& quem authorem publici conſilij,& regendæ ciuitatis ducem,& ſententiæ,atq; eloquentiæ principẽ in ſenatu,in populo,in cauſis publicis eſſe uolumus. nec ulla tamen ei philoſophiæ fiet iniuria à nobis. non enim repelletur inde,quo aggredi cupiet,ſed in hortulis quieſcet ſuis,ubi uult, ubi etiã recubans molliter,& delicate,nos auocat à roſtris,à iudicijs, à curia,fortaſſe ſapienter,ac præſertim à rep. ueriũ ego non quæro nũc,quæ ſit philoſophia ueriſſima,ſed quæ oratori coniuncta maxime. Quare iſtos ſine ulla contumelia dimittamus,ſunt enim & boni uiri,& quoniam ſibi ita uidentur,beati,tantumq; eos admoneamus, ut illud,etiam ſi eſt ueriſſimum,tacitum tamen tanquam myſteriũ teneant,quod negant uerſari in rep. eſſe ſapientis. nã ſi hoc nobis, atq; optimo cuiq; perſuaſerint,non poterunt ipſi eſſe,id quod maxime cupiunt,otioſi. Stoicos autem,quos minime improbo,dimitto tamen, nec eos iratos uereor,quoniã omnino iraſci neſciunt,atq; hanc ab ijs habeo gratiam,quod ſoli ex omnibus,eloquentiã uirtutem,ac ſapientiam eſſe

entiam esse dixerunt. sed utrunq; est in his, quod ab hoc, quem instruimus, oratore ualde abhorreat, uel quod omnes, qui sapientes nõ sint, seruos, latrones, hostes, insanos esse dicunt, neq; tamen quenquam esse sapientem, ualde autem est absurdum ei cõcionem, aut senatum, aut ullum cœtum hominum committere, cui nemo, illorum, qui adsint, sanus, nemo cuius, nemo liber esse uideatur. Accedit, quod orationis etiã genus habent fortasse subtile, & certe acutum, sed ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus uulgi, obscurum, inane, ieiunũ, attamen eiusmodi, quo uti ad uulgus nullo modo possit. Alia enim & bona, & mala uidentur stoicis, et cæteris cuibus, uel potius gentibus, alia uis honoris, ignominiæ, præmij, supplicij. uere, an secus, nihil ad hoc tempus, sed, ea si sequamur, nullam unquam rẽ dicendo expedire possimus. Reliqui sunt Peripatetici, & Academici, quanquam academicorum nomen est unum, sententiæ duæ. nam Speusippus Platonis sororis filius, & Xenocrates, qui Platonem audierat, & qui Xenocratem Polemo, & Crantor, nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magnopere dissensit, copia fortasse, & uarietate dicendi pares non fuerunt. Arcesilas primum, qui Polemonẽ audierat, ex uarijs Platonis libris, sermonibusq; socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo capi possit, quem ferunt eximio quodam usum lepore dicẽdi, aspernatum esse omne animi, sensusq; iudicium, primumq; instituisse (quanquam id fuit socraticum maxime) non quid ipse sentiret ostendere, sed contra id, quod quisq; se sentire dixisset, disputare. Hinc hæc recentior Academia emanauit, in qua extitit diuina quadam celeritate ingenij, dicendiq; copia Carneades, cuius ego, etsi multos auditores cognoui Athenis, tamen authores certissimos laudare possum, & socerum meum Scæuolam, qui eum Romæ audiuit adolescens, & Q. Metellum L. F. familiarem meum clarissimum uirum, qui illum a se adolescente Athenis, iam affectum senectute, multos dies auditum esse dicebat. Hæc autem, ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta diuortia, ut philosophi tanquam in superum mare ionium defluerent, græcum quiddam, & portuosum, oratores autem in inferum hoc thuscum, & barbarũ, scopulosum, atq; infestum laberentur, in quo etiam ipse Vlysses errasset. Quare si hac eloquentia, atq; hoc oratore contenti sumus, qui sciat, aut negare oportere, quod arguere, aut, si id non possis, tum ostendere, quod is fecerit, qui insimuletur, aut recte factum, aut alterius culpa, aut iniuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudens

tia,aut necessario,aut non eo nomine usurpandum,quo arguatur, aut non ita agit,ut debuerit,ac licuerit,et si satis esse putatis,ea,quæ isti scriptores artis docent,discere,quæ multo tamen ornatius, quàm ab illis dicuntur,& uberius explicauit Antonius,sed si his contenti estis,atq; ijs etiam, quæ dicta uoluistis a' me, ex ingenti quodam oratorem,immensóq; campo in exiguum sane' gyrum compellitis.Sin ueterem illum Periclem,aut hunc etiã , qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est,Demosthenem sequi uultis, & si illam præclaram,& eximiam speciem oratoris perfecti,et pulchritudinẽ adamastis,aut uobis hæc cærneadia,aut illa aristotelia uis cõprehendenda est.Nanq;(ut ante dixi)ueteres illi usq; ad Isocratem omnem omnium rerum,quæ ad mores hominum,quæ ad uitam,quæ ad uirtutem,quæ ad remp.pertinebant,cognitionem,& scientiam,cum dicendi ratione iungebant.postea dissociati(ut exposui) a' Socrate disserti a' doctis,& deinceps a' socraticis item omnibus,philosophi eloquentiam despexerunt,oratores sapientiam,neq; quicquam ex alterius parte tetigerunt,nisi quod illi ab his,aut ab illis hi mutuarẽtur, ex quo promiscue haurirent,si manere in pristina communione uoluissent.sed ut pontifices ueteres propter sacrificiorũ multitudinem tres uiros epulones esse uoluerunt,cũ essent ipsi a' Numa,ut etiam illud ludorũ epulare sacrificiũ facerent,instituti sic socratici a' se causarum actores a' communi philosophiæ nomine separauerunt,cum ueteres,dicendi,& intelligendi mirificam societatem esse uoluissent. Quæ cum ita sint paululumequidem de me deprecabor,& petam a' uobis,ut ea,quæ dicam,non de memet ipso, sed de oratore dicere putetis.Ego enim sum is,qui cũ summo studio patris in pueritia doctus essem,& ĩ forum ingenij tantum,quantum ipse sentio,non tantum quantum ipse forsitan uobis uidear,detulissem, nõ possim dicere me hæc,quæ nunc complector,perinde ut dicã discenda esse,didicisse,quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim,annosq; natus unum,& uigenti nobilissimum hominem,& eloquentissimum in iudicium uocarim,cui disciplina fuerit forum,magister usus,& leges,& instituta populi R.mosq; maiorum.paulum,sitiens istarum artium, de qbus loquor, gustaui quæstor in Asia,cum essem æqualem fere' meum ex Academia rhetorum nactus Metrodorum illum,de cuius memoria commemorauit Antonius,& inde decedens, Athenis , ubi ego diutius essem moratus , nisi Athenienſibus , quod mysteria non referrent,ad quæ biduo serius ueneram , succensuissem.Quare hoc,quod complector,tantam scientiam, uimq; doctri-

næ,non

næ,non modo non pro me,ſed contra me eſt potius.non enim qd ego, ſed quid orator poſſit,diſputo,atq; hos omnes,q artes rhetoricas exponunt,perridiculos.Scribunt enim de litiũ genere,et de principijs, & de narrationibus.illa uis autem eloquentiæ tanta eſt, ut omniũ rerum,uirtutum,officiorum,omnisq; naturæ, quæ mores hominum, quæ animos,quæ uitam continet,originem,uim,mutationesq; teneat. eadem mores,leges,iura deſcribat,remp.regat,omnia,quæ ad quancunq; rem pertineant,ornate,copioſeq; dicat.In quo genere nos quidem uerſamur tantum,quantum poſſumus,quantum ingenio, quantũ mediocri doctrina,quantum uſu ualemus,neq; tamen iſtis,qui in una philoſophia qua ſi tabernaculum uitæ ſuæ collocarunt,multum ſane in diſputatione concedimus.quid enim meus familiaris C.Velleius afferre poteſt,quamobrem uoluptas ſit ſummum bonum,quod ego non copioſius poſſim uel tutari,ſi uelim, uel refellere ex illis locis, quos expoſuit Antonius,hac dicendi exercitatione? in qua Velleius eſt rudis,unusquiſq; noſtrorũ uerſatus.quid eſt,quod aut Sex.Pompeius,aut duo Balbi,aut meus amicus,qui cum Panætio uixit,M.Vigellius,de uirtute hominum ſtoici poſſint dicere,qua in diſputatione ego his debeã,aut ueſtrũ quiſquam concedere? Non eſt enim philoſophia ſimilis artium reliquarum. nam quid faciet in geometria qui non didicerit?quid in muſicis?aut taceat oportebit,aut ne ſanus quidem iudicetur.hæc uero,quæ ſunt in philoſophia,ingenijs eruuntur,ad id,quod in quoq; ueriſimile eſt eliciendum,acutis,atq; acribus,eaq; exercitata oratione poliuntur.Hic hic noſter uulgaris orator,ſi minus erit doctus,attamen in dicendo exercitatus,hac ipſa exercitatione communi,iſtos quidem noſtros uerberabit,neq; ſe ab ijs contemni,ac deſpici ſinet. Sin aliquis extiterit aliquando,qui ariſtotelio more de omnibus rebus in utranq; ſententiam poſſit dicere, & in omni cauſa duas contrarias orationes præceptis illius cognitis,explicare,aut hoc Arceſilæ modo, & Carneadis contra omne, quod propoſitum ſit,diſſerat,quiq; ad eam rationem adiungat hunc rhetoricum uſum, moremq;, exercitationemq; dicendi,is ſit uerus,is perfectus,is ſolus orator. Nam neq; ſine forenſibus neruis ſatis uehemens, & grauis, nec ſine uarietate doctrinæ ſatis politus, & ſapiens eſſe orator poteſt. Quare Coracem iſtum ueſtrum patiamur nos quidem pullos ſuos excludere in nido, qui euolent clamatores odioſi, ac moleſti, Pamphilumq; neſcio quem ſinamus in inſulis tantam rem, tanquam pueriles delitias aliquas depingere, nosq; ipſi hac tam exigua diſputatione heſterni, & hodier-

ni dici totum oratoris munus explicemus, dummodo illa res tanta sit, ut omnibus philosophorum libris, quos nemo oratorum istorũ unquam attigit, comprehensa esse uideatur. Tum Catulus, Haud quaquam hercle inquit Crasse mirandum est, esse in te tantam dicendi uel uim, uel suauitatem, uel copiam, quem quidẽ antea natura rebar ita dicere, ut mihi non solum orator summus, sed etiam sapientissimus homo uiderere, nunc intelligo illa te semper etiam potiora duxisse, quæ ad sapientiam spectarent, atq; ex his hanc dicendi copiã fluxisse, sed tamen, cum omnis gradus ætatis recordor tuæ, cumq; uitam tuam, ac studia consydero, neq; quo tempore ista didiceris, uideo, nec magno pere te istis studijs, hominibus, libris intelligo deditum, neq; tamen possum statuere, utrum magis mirer, te illa, quæ mihi persuades maxima esse adiumenta, potuisse in tuis tantis occupationibus perdiscere, an, si non potueris, posse isto modo dicere.

Hic Crassus, Hoc tibi inquit Catule primum persuadeas uelim, me non multo secus facere, cum de oratore disputem, ac facerem si esset mihi de histrione dicendum. negarem enim posse eum satisfacere in gestu, nisi palæstram, nisi saltare didicisset, neq; ea cum dicerẽ, me esse histrionem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificij existimatorem, similiter nunc de oratore, uestro impulsu loquor, summo scilicet. Semper enim quacunq; de arte, aut facultate quæritur, de absoluta, & perfecta quæri solet. Quare si iam me uultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum deniq;, non repugnabo (quid enim nunc sim ineptus? ita me existimari scio) quod si ita est, summus tamen certe non sum. neq; enim apud homines res est ulla difficilior, neq; maior, neq; quæ plura adiumenta doctrinæ desyderet. Attamen quoniam de oratore nobis disputandum est, de summo oratore dicam necesse est. uis enim, & natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis, & quanta sit intelligi non potest. Me autem Catule fateor, neq; hodie in istis libris, & cũ istis hominibus uiuere, nec uero id, quod tu recte commemuisti, ullum unquam habuisse sepositũ tempus ad discendũ, ac tantum tribuisse doctrinæ temporis, quantũ mihi pueriles ætas, forenses feriæ concesserint. At si quæris Catule de doctrina ista quid ego sentiam, non tantum ingenioso homini, et ei q forũ, qui curiam, q causas, qui remp. spectet, opus esse arbitror tẽporis, quantum sibi ij sumpserũt, quos discentes uita defecit. omnes enim artes aliter ab ijs tractantur, q eas ad usum transferũt, aliter ab ijs, qui ipsarũ artium tractatu delectati, nihil in uita sunt aliud acturi. Magister hic Samnitiũ summa iã senectute est, et quotidie cõmẽtatur,

nihil

nihil enim curat aliud, atq; uelocius puer addidicerat. sed quod erat apus ad illud, totuḿq; cognorat, fuit, ut est apud Lucilium.

-Quamuis bonus ipse
Samnis in ludo, ac rudibus ciuis satis asper,
sed plus operæ foro tribuebat, amas, rei familiari. Valerius quotidie cantabat. erat enim scenicus, quid faceret aliud? at Numerius Furius noster familiaris, cum est commodum, cantat. est enim paterfamilias, est eques romanus, puer didicit, quod discendum. Eadem ratio est harum artium maximarum, dies, & noctes uirum summa uirtute, & prudentia uidebamus philosopho cum operam daret Q. Tuberonem, at eius auunculum uix intelligeres id agere, cũ ageret tamen, Africanum. Ista discuntur facile, si & tantum sumas, quantum opus sit, & habeas, qui docere fideliter possit, & scias etiam ipse discere. Sed si tota uita nihil uelis aliud agere, ipsa tractatio, et quæstio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione uestiges. ita fit, ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria, studiuḿq; permaneat, libet autem semper discere. ut si uelim ego talis optime ludere, aut pilæ studio tenear, etiam fortasse, si assequi nõ possim. at alij, quia præclare faciunt, uehementius, quàm causa postulat, delectantur, ut Tityus pila, Brulla talis. Quare nihil est, quod quisquã magnitudinem artium ex eo, quod senes discunt, pertimescat. nanq; aut senes ad eas accesserunt, aut usque ad senectutem in studijs detinentur, aut sunt tardissimi. res quidem se mea sententia sic habet, ut nisi quod quisq; cito potuerit, nunquam omnino possit perdiscere. Iam iam inquit Catulus, intelligo Crasse quid dicas, & hercule assentior, satis uideo tibi homini ad perdiscendum acerrimo, ad ea cognoscenda, quæ dicas, fuisse temporis. Pergis'ne inquit Crassus, me quæ dicam, de me non de re putare dicere? Sed iam, si placet, ad instituta redeamus. Mihi uero Catulus inquit, placet. Tum Crassus, Quorsum igitur hæc spectat inquit, tam longa, & tam alte repetita oratio? hæ duæ partes, quæ mihi supsunt, illustrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ, quarum altera dici postulat ornate, altera apte, hãc habent uim, ut sit quammaxime iucunda, quammaxime insensus eorum, qui audiunt, insinuat, et quamplurimis sit rebus instructa. Instrumentum autem hoc forense, litigiosum, acre, tractatum ex uulgi opinionibus, exiguum sane', atque mendicum est. illud rursus ipsum, quod tradũt isti, qui profitentur se dicendi magistros, nõ multum est maius, quàm illud uulgare, ac forense. Apparatu nobis opus

est;& rebus exquisitis undique,& collectis, arcessitis, comportatis, ut tibi Cæsar faciendũ est ad annum, ut ego in ædilitate laboraui, qđ quotidianis,& uernaculis rebus satisfacere me posse huic populo nó putabam. Verborum eligendorum,& collocandorum,& concludendorum facilis est, uel ratio, uel sine ratione ipsa exercitatio. Rerum est sylua magna, quam cum græci iam non tenerent, ob eamq; causam iuuentus nostra dediscæret pene discendo, etiam latini, si dijs placet, hoc biennio magistri dicendi extiterunt, quos ego censor edicto meo sustuleram, non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud græcos, qui cuiusmodi essent uidebam, tamen esse præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam,& humanitatem dignam scientia, hos uero nouos magistros, nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent, quod etiam cum bonis rebus coniunctum per seipsum est magnopere fugiendum. hoc cum unum traderetur,& cum impudentiæ ludus esset, putaui esse censoris, ne longius id serperet, prouidere, quanq; nõ hæc ita statuo, atq; decerno, ut desperem latine ea, de quibus disputauimus, tradi, ac perpoliri. patitur enim & lingua nostra, et natura rerũ, ueterem illam, excellentemq; prudentiam græcorum ad nostrum usum, moremq; transferri, sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidẽ genere nostri nulli fuerunt, sin quando extiterint, etiam græcis erunt anteponendi. Ornatur igitur oratio genere primum,& quasi colore quodam,& succo suo. nam ut grauis, ut suauis, ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat, quantum opus sit, non est singulorum articulorũ, in toto spectantur hæc corpore. Vt porro conspersa sit quasi uerborum, sententiarumq; floribus, id non debet esse fusum æquabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu dispositæ quædam insignia,& lumina. Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant,& quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet. non enim a me iam expectari puto, ut moneam, ut cauteatis, ne exilis, ne inculta sit uestra oratio, ne uulgaris, ne obsoleta, aliud quiddam magis & ingenia me hortãtur uestra,& ætates. Difficile enim dictu est, quæ nam causa sit, cur ea, quæ maxime sensus nostros impellunt, uoluptate, et specie prima acerrime commouent, ab ijs celerrime fastidio quodam, et satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine,& uarietate floridiora sunt in picturis nouis pleraq;, quã in ueteribus? quæ tamen, etiam

si primo aspectu nos ceperunt, diutius non delectant, cum ijdem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido, obsoletoq; teneamur. Quãto molliores sunt, & delicatiores in cantu flexiones, & falsæ uoculæ, quã certæ, & seueræ? quibus tamen non modo austeri, sed, si sæpius fiũt, multitudo ipsa reclamat. Licet hoc uidere in reliquis sensibus, unguentis minus diu nos delectari summa, et acerrima suauitate conditis, quã his moderatis, & magis laudari, quod ceram, quàm quod crocum olere uideatur. in ipso tactu esse modum et mollitudinis, & leuitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime uoluptarius, quiq; dulcitudine præter cæteros sensus commouetur, quã cito id, quod ualde dulce est, aspernatur, ac respuit? quis potione uti, aut cibo dulci diutius potest? Quã utroq; in genere ea, quæ leuiter sensum uoluptate moueant, facillime fugiant satietatem, sic omnibus in rebus uoluptatibus maximus fastidium finitimum est, Quo hoc minus in oratione miremur, in qua uel ex poetis, uel ex oratoribus possumus iudicare, concinnam, distinctam, ornatam, festiuã, sine intermissione, sine reprehensione, sine uarietate, quamuis claris sit coloribus picta uel poesis, uel oratio non posse in delectatione esse diuturna. atq; eo citius in oratoris, aut in poetæ cantibus, ac fuco offenditur, quod sensus in nimia uoluptate natura non mente satiantur, in scriptis, & in dictis non aurium solum, sed animi iudicio etiam magis, infucatæ uitia noscuntur. Quare. bene, & præclare. quamuis nobis sæpe dicatur. belle, & festiue. nimiũ sæpe nolo. quanquam illa ipsa exclamatio. non potest melius. sit uelim crebra, sed habeat tamẽ illa in dicendo admiratio, ac summa laus umbram aliquam, et recessum, quo magis id, qđ erit illuminatũ, extare, atq; emnere uideatur. Nũquam agit hunc uersum Roscius eo gestu, quo potest,

Nam sapiens uirtuti honorem præmium, haud prædam petit.

sed abijcat prorsus, ut in proximos,

Ecquid uideo? ferro septus possidet sedes sacras.

incidat, aspiciat, admiretur, stupescat. Quid ille alter.

Quid petam præsidij? =

quàm leniter, quàm remisse, quàm non actuose? instat enim.

O pater, o patria, o Priam domus,

in quo tanta commoueri actio non posset, si esset consumpta superiore motu, et exhausta, neq; id actores prius uiderunt, q̃ ipsi poetæ, quã deniq; illi etiam, qui fecerunt modos, a' qbus utriq; summittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, uariatur, distinguitur. Ita sit nobis igitur ornatus, & suauis orator, nec tamen potest aliter esse,

ut ſuauitatem habeat auſteram,& ſolidam,non dulcem,atq; decoctam,nam ipſa ad ornandum præcepta quæ dantur, eiuſmodi ſunt, ut ea,quamuis uitioſiſſimus orator,explicare poſſit. Quare, ut ante dixi,primum ſylua rerum,ac ſententiarum comparanda eſt,qua de parte dixit Antonius,hæc formãda filo ipſo,& genere orationis, illuminanda uerbis,uarianda ſententijs.Summa autem laus eloquentiæ eſt amplificare rem ornando,quod ualet non ſolum ad augendũ aliquid,& tollendum altius dicendo, ſed etiam ad extenuandum, atq; abijciendum.Id deſyderatur omnibus ijs in locis,quos ad fidem orationis facĩedam adhiberi dixit Antonius, uel cum explanamus aliquid,uel cum concilamus animos,uel cũ concitamus.Sed in hoc qđ poſtremum dixi,amplificatio poteſt plurimum,eaq; una laus oratoris eſt,& propria maxime,etiam maior eſt illa exercitatio, quam extremo ſermone inſtruxit Antonius(primo reijciebat)laudandi,& uituperandi.Nihil eſt enim ad exaggerandam, & amplificandam orationem accommodatius,quàm utrunq; horum cumulatiſſime facere poſſe. Conſequentur etiam illi loci,qui quanquam proprij cauſarum,et inhærentes in eorum neruis eſſe debent,tamen,quia de uniuerſa re tractari ſolent,communes à ueteribus nominati ſunt,quorũ partim habent uitiorum,& peccatorum acrem quãdam cum amplificatione incuſationem,aut querelam,contra quã dici nihil ſolet,nec poteſt,ut in depeculatorem,in proditorem,in paricidam, quibus uti confirmatis criminibus oportet,aliter enim iciuni ſunt,atq; inanes. Alij autem habent deprecationem,aut miſerationem,alij uero ancipites diſputationes,in quibus de unuerſo genere in utranque partẽ diſſeri copioſe licet.Quæ exercitatio nunc propria duarum philoſophiarum,de quibus ante dixi,putatur.apud antiquos erat eorum,à quibus omnis de rebus forenſibus dicendi ratio, & copia petebatur. de uirtute enim,de officio,de æquo et bono,de dignitate,honore,ignominia,præmio,pœna ſimulibusq; de rebus in utranq; partem dicẽdi, animos,& uim,et artem habere debemus. Sed quoniam de noſtra poſſeſſione depulſi in paruo,& eo litigioſo prædiolo relicti ſumus,et aliorum patroni noſtra tenere,tueriq; non potuimus, ab ijs(quod indigniſſimum eſt)qui in noſtrum patrimonium irruperunt, quod opus eſt nobis,mutuemur.Dicunt igitur nunc quidẽ illi qui ex particula parua urbis,ac loci nomen habent,et peripatetici philoſophi, aut academici nominantur,olim autem propter eximã rerum maximarum ſcientiam a Græcis politici philoſophi appellati uniuerſarum rerum publicarum nomine uocabantur, omnem ciuilem ora-

tionem

tionem in horum alterutro genere uersari, aut diſinitæ controuerſia certis temporibus, ac reis, hoc modo, placeat'ne à Carthaginienſibus captiuos noſtros redditis ſuis recuperari, aut infinite de uniuerſo genere quærẽtis, quid omnino de captiuo ſtatuendũ, ac ſentiendũ ſit. atq; horum ſuperius illud genus, cauſam, aut controuerſiam appellant, camq; tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt. hæc autem altera quæſtio infinita, & quaſi propoſita, conſultatio nominatur, atq; hactenus loquantur. Etiam hac inſtituendo diuiſione utuntur, ſed ita non ut iure, aut iudicio, ut deniq; recuperare amiſſam poſſeſſionem, ſed ut ex iure ciuili ſuculo defringendo uſurpare uideantur. Nam illud alterum genus, quod eſt temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipſum lacinia. Nunc enim apud Philonem, quem in academia maxime uigere audio, etiam harum iã cauſarum cognitio, exercitatioq; celebratur. Alterum uero tantummodo in prima arte tradenda nominant, et oratoris eſſe dicunt, ſed neq; uim, neq; naturam eius, nec partes, nec genera proponunt, ut præteriri omnino fuerit ſatius, quàm attentatum deſeri. nunc enim iopia reticere intelliguntur, tum iudicio uiderentur. Omnis igitur res eã dem habet naturã ambigendi, de qua quæri, et diſceptari poteſt, ſiue in infinitis conſultationibus diſceptatur, ſiue in ijs cauſis, quæ in ciuitate, et in forenſi diſceptatione uerſantur, neq; eſt ulla, quæ nõ aut ad cognoſcẽdi, aut ad agendi uim, rationemq; referatur. nã aut ipſa cognitio rei, ſcientiaq; ꝓquiritur, ut, uirtus ſuam'ne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur? aut agendi conſilium exquiritur, ut ſit'ne ſapienti capeſſenda resp? Cognitionis autẽ tres modi, coniectura, definitio, et, ut ita dicam, cõſecutio. Nam quid in re ſit coniectura, quæritur, ut illud. Sit'ne in humano genere ſapientia? Quam autem uim quæq; res habeat, definitio explicat, ut ſi quæratur quid ſit ſapientia. Cõſecutio autem tractatur, cum quid quãq; rem ſequatur, inquiritur, ut illud, ſit'ne aliquando mentiri boni uiri? Redeunt rurſus ad coniecturã, eamq; in quatuor genera diſpertiũt. nam aut quid ſit, quæritur, hoc modo, natura'ne ſit ius inter hoies, an opinionibus? aut quæ ſit origo cuiuſq; rei, ut quod ſit initiũ legũ, aut rerum publicarum? aut cauſa, & ratio, ut ſi quæratur, cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiant? aut de immutatione, ut ſi diſputetur. num interire uirtus in homine, aut, nũ in uitiũ poſſit conuerti? Definitionis autem ſunt diſceptationes, ut cum quæritur quid in communi mente quaſi impreſſum ſit, ut ſi diſſeratur, id'ne ſit ius, quod maximæ parti ſit utile? aut cum quid cuiuſq; ſit proprium

exquiritur,ut ornate dicere proprium'ne sit oratoris?an id etiã ali quis præterea possit?aut cũ res distribuitur í partes,ut si quæratur, quot sint genera rerũ expetendarum,ut,sint'ne tria,corporis,animi,externarum'q; rerum?aut cum quæ forma,et quasi naturalis nota cuiusq; sit,describitur,ut si quæratur auari species,seditiosi,gloriosi. Consecutionis autẽ duo prima quæstionum genera ponũtur. Nam aut simplex est disceptatio,ut si disseratur,expetenda'ne sit gloria?aut ex cõparatione,laus,an diuitiæ magis expetendæ sint?Simplicium autem sunt tres modi,de expetendis fugiendis'ue rebus, ut expetendi'ne honores sint?num fugienda paupertas?de æquo,aut iniquo,æquum'ne sit ulcisci iniurias etiam propinquorum?de honesto, aut turpi,ut hoc,sit'ne honestum gloriæ causa mortem obire? Comparationis autem duo sunt modi,unus,cum idem'ne sit , an aliquid intersit quæritur,ut metuere,et uereri,ut rex,& tyrannus,ut assentator,et amicus,alterum,cum quid præstet aliud alij quæritur,ut illud,optimi'ne cuiusq; sapientes,an populari laude ducantur? Atq; eæ quidem disceptationes,quæ ad cognitionem referuntur,sic ferè à doctissimis hominibus describuntur. Quæ uero referũtur ad agendũ, aut in officij disceptatione uersantur,quo in genere quid rectum,faciendum'q; sit,quæritur,cui loco omnis uirtutum,et uitiorum est sylua subiecta,aut in animorũ aliqua pmotione,aut gignenda,aut sedãda tollenda'ue tractãtur,huic generi subiectæ sunt cohortationes,obiurgationes,consolationes,miserationes,omnis'q; ad omnem animi motũ & impulsio,et,si ita res feret,mitigatio. Explicatis igitur his generibus,ac modis disceptationum omnium,nihil sanè ad rẽ pertinet,siqua in re discrepauit ab Antonij diuisione nostra partitio.eadẽ enim sunt mẽbra in utris'q; disputationibus , sed paulo secus à me,atq; ab illo ptita,ac distributa.Nũc ad reliqua prograediar,mé'q; ad meum munus,pensum'q; reuocabo.Nã ex illis locis,quos exposuit Antonius,omnia sunt ad quæq; genera quæstionum argumenta sumenda,sed alijs generibus alij loci magis erunt apti.de quo non tam quia longum est,quàm quia perspicuum,dici nihil est necesse. Ornatissimæ sunt igitur orationes eæ,quæ latissime uagantur,et à priuata,ac singulari controuersia se ad uniuersi generis uim explicandam conferunt,& conuertunt,ut ij,qui audiant,natura,& genere, & uniuersa re cognita,de singulis reis,& crimnibus,et litibus statuere possint.Hanc ad consuetudinẽ exercitationis uos adolescẽtes est cohortatus Antonius,atq; à minutis, angustis'q; concertationibus ad omnẽ uim,uarietatem'q; uos differendi traducendos putauit. Qua-

re non est paucorum libellorum hoc munus, ut ij, qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neq; thusculani, atq; huius ambulationis antemeridianæ, aut nostræ pomeridianæ sessionis. Non.n. solum acuenda nobis, neq; procudenda lingua est, sed onerandum, complendumq; pectus maximarum rerum, & plurimarum suauitate, copia, uarietate. Nostra est enim (si modo nos oratores sumus, si in cuiũ disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi authores, et principes sumus) nostra est inquam omnis ista prudẽtiæ, doctrinæq; possessio, in quã homes quasi caducam, atq; uacuam abundantes otio nobis occupatis inuolauerunt, atque etiã aut irridentes oratorẽ, ut ille in Gorgia Socrates cauillatur, aut aliquid de oratoris arte paucis præcipiunt libellis, eosq; rhetoricos inscribunt, quasi non illa sint propria rhetorum, quæ ab ijsdẽ de iustitia, de officio, de ciuitatibus instituendis, & regendis, de omni uiuẽdi, denique etiam de naturæ ratione dicuntur. Quæ quoniam iam aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab ijs ipsis, à quibus expilati sumus, dummodo illa ad hanc ciuilem scientiam, quo pertinent, & quam intuentur, transferamus, neque (ut ante dixi) omnem teramus in his discendis rebus ætatẽ, sed cum fontes uiderimus, quos nisi qui celeriter cognorit, nunquam cognoscet omnino, tum quotiescunque opus erit, ex ijs, tantum, quantum res petet, hauriemus.

Nam neque tam est acris acies in naturis hominum, & ingenijs, ut res tantas quisquam, nisi monstratas, possit uidere, neque tanta tamẽ in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri uir ingenio cernat, si modo aspexerit. In hoc igitur tanto, tamq; immenso campo, cum liceat oratori uagari libere, atq; ubicunque constiterit, consistere in suo, facile suppeditat omnis apparatus, ornatusq; dicendi. Rerum enim copia uerborum copiam gignit, & si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicatur, existit ex rei natura quidam splendor in uerbis. sit modo is, q dicet, aut scribet institutus liberaliter educatione, doctrinaq; puerili, & flagret studio, & à natura adiuuetur, & in uniuersorum generum infinitis disceptationibus exercitatus, ornatissimos scriptores, oratoresq; ad cognoscendum, imitandumq; cognorit, næ ille haud sanè, quemadmodum uerba struat, & illumnet à magistris istis requiret. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamẽta sine duce, natura ipsa, si modo est excretata, labetur. Hic Catulus, Dij immortales inquit, quantam rerum uarietatem, quantam uim, quantam copiam Crasse complexus es, quantisq; ex angustijs oratorem educere ausus es, & in maiorum suorum regno collocare.

Nanq; illos ueteres doctores, authoresq; dicendi nullum genus disputationis a' se alienũ putasse accepimus, semperq; esse in omni orationis ratione uersatos. ex quibus Helæus Hippias, cum Olympiã ueniisset maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est cuncta pene' audiente Græcia, nihil esse ulla in arte rerũ omniũ, quod ipse nesciret, nec solum has artes, quibus liberales doctrinæ, atq; ingenuæ continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem, et poëtarum, atq; illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebus p. dicerentur, sed annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. scilicet nimis hic quidem est progressus, sed ex eo ipso est coniectura facilis, quantũ sibi illi ipsi oratores de præclarissimis artibus appetierint, q ne sordidiores qdem repudiarint. Quid de Prodico Cio? qd de Thrasimacho chalcedonio? de Protagora Abderita loquar? quorum unusquisq; plurimum temporibus illis etiam de natura rerum & disseruit, & scripsit. Ipse ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato uoluit) philosopho succubuit orator, qui aut non est uictus unquá à Socrate, neq; sermo ille Platonis uerus est, aut si est uictus, eloquentior uidelicet fuit, & disertior Socrates, &, ut tu appellas, copiosior, & melior orator. Sed hic in illo ipso Platonis libro de omni re, quæcunq; in disceptationẽ, quæstionemq; uocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur, isq; princeps ex omnibus ausus est in conuentu poscere, qua de re qsq; uellet audire, cui tantus honos habitus est à Græcia soli, ut ex omnibus, delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Atq; ij, quos nominaui, multiq; præterea summi dicendi doctores uno tempore fuerunt, ex qbus intelligi potest, ita se rẽ habere, ut tu Crasse dicis, oratorisq; nomẽ apud antiquos i Græcia maiores quadã uel copia uel gloria floruisse. Quo qdem magis dubito, tibi ne plus laudis, an græcis uituperationis esse tribuendũ statuã? cũ tu i alia lingua, ac moribus natus, occupatissima in ciuitate, uel priuatorum negotijs pene' omnibus, uel orbis terræ procuratione, ac summi imperij gubernatione districtus, tantã uim rerũ, cognitionemq; comprehenderis, eamq; omnem cum eius, qui consilio, et oratione in ciuitate ualeat scientia, atque exercitatione sociaris, illi nati in literis, ardẽtesq; his studijs, otio uero diffluentes non modo nihil acquisierint, sed ne relictum quidẽ, et traditũ et' suum conseruauerint. Tum Crassus, Non in hac inquit una Catule re, sed in alijs etiam cõpluribus, distributione partium, ac separatione magnitudines sunt artiũ diminutæ. An tu existimas, cum esset Hippocrates ille cous, fuisse tum

alios medicos, qui morbis, alios, qui uulneribus, alios, q̃ oculis mederentur? num geometriã Euclide, aut Archimede, num musicam Damone, aut Aristoxeno, num ipsas literas Aristophane, aut Callimacho tractante tam discerptas fuisse, ut nemo genus uniuersum complecteretur, atq; ut alius aliã sibi partem, in qua elaboraret, seponeret? Eqdem sæpe hoc audiui de patre, et de socero meo, nostros quoq; homines, qui excellere sapientiæ gloria uellent, omnia, quæ quidem tum hæc ciuitas nosset, solitos esse complecti, memnerant illi Sex. Aelium. M. uero Manliũ nos etiam uidimus transuerso ambulantem foro, quod erat insigne, eum, q̃ id faceret, facere ciuibus omnibus consilij sui copiã, ad quos olim & ita ambulantes, et in solio sedentes domi, sic adibatur, non solũ, ut de iure ciuili ad eos, uerũ etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colẽdo, de omni deniq; aut officio, aut negotio referretur. Hæc fuit P. Crassi illius ueteris, hæc T. Corrũcani, hæc proaui generi mei Scipionis prudẽtissimi hominis sapientia, q̃ omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus diuinis, atq; humanis rebus referretur, ijdemq; & in senatu, et apud populum, & in causis amicorum, & domi, & militiæ consilium suum, fidemq; præstabant. Quid enim M. Catoni præter hanc politissimam doctrinam transmarinam, atq; aduentitiam defuit? num quia ius ciuile didicerat, causas non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat? at utroq; in genere & laborauit, et præstitit. num propter hanc ex priuatorum negotijs collectam gratiam tardior in rep. capessenda fuit? nemo apud populum fortior, nemo melior senator, idem facile optimus imperator. deniq; nihil in hac ciuitate temporibus illis sciri, discive potuit, quod ille non cũinuestigarit, & scierit, tum etiam conscripserit. Nunc contra pleriq; ad honores adipiscendos, & ad remp. gerendam nudi ueniunt, atq; inermes, nulla cognitione rerũ, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellet unus è multis, effert se, si unum aliquid affert, ut bellicam uirtutem, aut usum aliquem militarem, quæ sanè nunc quidem obsoleuerunt, aut iuris scientiam, ne eius quidem uniuersi, nam pontificium, quod est coniunctum, nemo discit, aut eloquentiam, quam in clamore, & in uerborum cursu positam putant. omnium uero bonarum artium, deniq; uirtutum ipsarum societatem, cognationemq; non norunt. Sed ut ad græcos referã orationem, quibus carere in hoc quidem sermonis genere non possumus, nã ut uirtutis a nostris, sic doctrinæ sunt ab illis exẽpla repetenda, septem fuisse dicuntur uno tempore, q̃ sapientes & haberentur, et nocarẽtur, hi omnes præter milesiũ Tha-

lem ciuitatibus ſuis præfuerunt. quis doctior ijſdẽ illis temporibus, aut cuius eloquentia literis inſtructior fuiſſe traditur, quàm Piſiſtrati? qui primus Homeri libros confuſos antea ſic diſpoſuiſſe dicatur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidẽ ciuibus ſuis utilis, ſed ita eloquentia floruit, ut literis, doctrinaq; præſtaret. Quid Pericles? de cuius dicendi copia ſic accepimus, ut cum contra uoluntatem Athenienſiũ loqueretur pro ſalute patriæ, ſeuerius tamen id ipſum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus, & iucundũ uideretur, cuius in labris ueteres comici etiam cum illi maledicerẽt (quãtum Athenis fieri licebat) leporem habitaſſe dixerunt, tantamq; in eo um fuiſſe, ut in eorũ mentibus, qui audiſſent, quaſi aculeos quoſdã relinqueret. At hunc non declamator aliqs ad clepſydrã latrare docuerat, ſed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras uir ſummus in maximarum rerum ſcientia. Itaq; hic doctrina, conſilio, eloquentia excellens quadraginta annos præfuit Athenis, et uróanis eodẽ tempore, & bellicis rebus. Quid Critias? Quid Alcibiades? ciuitatibus ſuis qdem non boni, ſed certe docti, atq; eloquentes, non'ne ſocraticis erant diſputationibus eruditi? Quis Dionem ſyracuſium doctrinis omnibus expoliuit? non Plato? atq; eum idem ille non linguæ ſolum, uerũ etiam animi, ac uirtutis magiſter ad liberandam patriam impulit, inſtruxit, armauit. alijs'ne igitur artibus hunc Dionem inſtituit Plato? alijs Iſocrates clariſſimum uirum Timotheum Cononis præſtantiſſimi imperatoris filium ſummum ipſum imperatorẽ, hominemq; doctiſſimũ? aut alijs pythagoreus ille Lyſias Thebanum Epamunndam, haud ſcio an ſummum uirũ unũ omnis Græciæ? aut Xenophon Ageſilaum? aut Philolaum Architas tarentinus? aut ipſe Pythagoras totam illam ueterem Italiæ Græciã, quæ quondam magna uocitata eſt? Equidem nõ arbitror. Sic enim uideo, unã quãdam omnium rerum, quæ eſſent homine erudito dignæ, atque eo, qui in rep. uellet excellere, fuiſſe doctrinam, quam q accepiſſent, ſi ijdem ingenio ad pronuntiandum ualuiſſent, & ſe ad dicendum quoque non repugnante natura dediſſent, eloquentia præſtitiſſe. Itaque ipſe Ariſtoteles, cum florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum uideret, quod ipſe ſuas diſputationes à cauſis forenſibus, et ciuilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet, mutauit repente totã formã propè diſciplinæ ſuæ, uerſumq; quendã de Philocteta paulo ſecus dixit. ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cũ barbaris. Hic autem cũ Iſocratẽ pateretur dicere. itaq; armauit, & illuſtrauit doctrinã illã omnem, rerumq; cognitionẽ cũ orationis exercita-

tione coniunxit. Neq; uero hoc fugit sapientissimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem adiecerit, à quo eodem ille & agendi acciperet præcepta, & eloquendi. Nunc siue qui uolet, eũ philosophum, qui copiam nobis rerum, orationisq; tradat, per me appellet oratorem licet, siue hunc oratorem, quem ego dico sapientiam iunctam habere eloquentiæ, philosophum appellare malit, nõ impediam, dummodo hoc constet, neq; infantiam eius, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat, neq; insatiam illius, cui res non suppetit, uerba non desint, esse laudandam. quorũ si alterũ sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quàm stultitiam loquacem. sin quærimus quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est, quem si patiuntur eundem esse philosophum sublata controuersia est. sin eos disiungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia, in philosophorũ autem cognitione nõ continuo inest eloquentia, quæ quamuis contemnatur ab eis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre uideatur. Hæc cum Crassus dixisset, parumper & ipse conticuit, et cæteris silentiũ fuit. Tum Cotta, Equidẽ inquit Crasse non possum queri, quod mihi uideare aliud quiddam, et non id, quod suscepueris, disputasse. plus enim aliquanto attulisti, quàm tibi esset tributũ à nobis, ac denuntiatum. Sed certe hæ partes fuerunt tuæ, de illustrãda oratione ut diceres, & eras ipse iam ingressus, atq; in quatuor partes omnem orationis laudẽ descripseras, cumq; de duabus primis nobis quidem satis, sed ut ipse dicebas, celeriter, exigueq; dixisses, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte diceremus, quo cũ ingressus esses, repente te quasi quidam æstus ingenij tui procul à terra abripuit, atq; in altum à conspectu pene omnium abstraxit, omnemq; rerum scientiam complexus non tu quidem eam nobis tradidisti. neq; enim fuit tam exigui temporis, sed apud hos quid profeceris nescio, ne quidem in academiam totum compulisti, in qua uelim sit illud, quod sæpe posuisti, ut non necesse sit consumere ætatem, atq; ut possit is illa omnia cernere, qui tantummodo aspexerit, sed etiam, si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto nunquam conquiescam, neq; defatigabor antequàm illorum ancipites uias, rationesq;, & pro omnibus, & contra omnia disputandi percepero. Tum Cæsar, Vnum inquit me ex tuo sermone maxime Crasse commouit, quod eum negasti, qui non cito quid didicisset, unquam omnino posse perdiscere, ut mihi non sit difficile periclitari, & aut statim percipere ista quæ

in uerbis ad cœlum extuliſti, aut ſi non potuerim, tempus non perdere, cum tamen his noſtris poſſim eſſe contentus. Hic Sulpitius, Ego uero inquit Craſſe, neq; Ariſtotelem iſtum, neq; Carneadem, nec philoſophorum quenquam deſydero, uel me licet existimes desperare poſſe iſta perdiſcere, uel id quod facio, contemnere. mihi rerũ forenſium, & communium uulgaris hæc cognitio ſatis magna eſt ad eam, quam ſpecto eloquentiam, ex qua ipſa tamen permulta neſcio, quæ tũ deniq; cum cauſa aliqua, quæ à me dicenda eſt, deſyderat, quæro. Quamobrem niſi forte es iam defeſſus, et ſi tibi non graues ſumus, refer ad illa te, quæ ad ipſius orationis laudem, ſplendoremq; pertinent, quæ ego ex te audire uolui, non ut deſperarem me eloquentiã conſequi poſſe, ſed ut aliquid addiſcerem. Tum Craſſus, Permulta res requiris inquit, et tibi, nõ incognitas Sulpiti, quis enim de iſto genere non docuit, non inſtituit, non etiam ſcriptum reliquit? ſed geram morẽ, & ea duntaxat, quæ mihi nota ſunt, breuiter exponam tibi. cenſebo tamen ad eos, qui authores, & inuentores ſunt harum ſanè minutarum rerum reuertendum. Omnis igitur oratio conficitur ex uerbis, quorũ primum nobis ratio ſimpliciter uidenda eſt, deinde coniuncte. nam eſt quidam ornatus orationis, qui ex ſingulis uerbis eſt, alius, qui ex continuatis, coniunctisq; conſtat. Ergo utemur uerbis aut ijs, quæ propria ſunt, & certa quaſi uocabula rerũ pene una nata cum rebus ipſis, aut ijs, quæ transferuntur, et quaſi alieno in loco collocantur, aut ijs, quæ nouamus, & facimus ipſi. In proprijs eſt igitur uerbis illa laus oratoris, ut abiecta, atq; obſoleta fugiat, lectis, atq; illuſtribus utatur, in qbus plenum quiddã, et ſonans ineſſe uideatur. Sed in hoc uerborum genere propriorũ delectus eſt quidam habendus, atq; is aurium quodam iudicio ponderandus, in quo conſuetudo etiam bene loquendi ualet plurimum. Etiã hoc, quod uulgo de oratoribus ab imperitis dici ſolet. bonis is uerbis, aut aliqs non bonis utitur. non arte aliqua perpenditur, ſed quodã quaſi naturali ſenſu iudicatur, in quo non magna laus eſt uitare uitium, quanquam id eſt magnum, uerum hoc quaſi ſolum quoddam, atq; fundamentum eſt, uerborum uſus, & copia bonorum, ſed quid ipſe ædificet orator, & in quo adiungat artem, id eſſe à nobis quærendum, atq; explicandũ uidetur. Tria ſunt igitur in uerbo ſimplici, quæ orator afferat ad illuſtrandam, atq; exornandã orationem, aut inuſitatum uerbũ, aut nouatum, aut translatum. Inuſitata ſunt priſca ferè, ac uetuſta, et ab uſu quotidiani ſermonis iandiu intermiſſa, quæ ſunt poëtarum licentiæ liberiora, quàm noſtra, ſed tamen raro habet

etiam

etiam in oratione poëticum aliquod uerbum dignitatem. neq; enim illud fugerim dicere, ut Cœlius, qua tempestate pœnus in Italiã uenit, nec prolem, aut sobolem, aut effari, aut nuncupari, aut, ut tu soles Catule, non rebar, aut opinabar, & alia multa, quibus loco positis grandior, atq; antiquior oratio sæpe uideri solet. Nouantur autem uerba, quæ ab eo, qui dicit, ipso gignuntur, ac fiunt, uel coniungendis uerbis, ut hæc.

Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

Num non uis huius me uersutiloquas malitias.

Videtis enim & uersutiloquas, & expectorat ex coniunctione facta esse uerba non nata. uel sæpe sine coniũctione uerba nouantur * ut ille sensus disertus indigenitalis. ut

-Baccarum ubertate incuruescere.

Tertius ille modus transferendi uerbi, late patet, quem necessitas genuit inopia coacta, & angustijs, post autem delectatio, iucunditas q; celebrauit. nam ut uestis frigoris depellẽdi causa reperta primo, post adhiberi cœpta est ad ornatum etiam corporis, & dignitatẽ, sic uerbi translatio instituta est inopiæ causa, frequentata delectationis. nã gemmare uites, luxuriem esse in herbis, lætas segetes etiam rustici dicunt. quod enim declarari uix uerbo proprio potest, id translato, cum est dictum, illustrat id, quod intelligi uolumus eius rei, quam alieno uerbo posuimus, similitudo. Ergo hæ translationes quasi mutationes sunt, cum quod non habeas, aliũde sumas. Illæ paulo audaciores, quæ non inopiam indicant, sed orationi splendoris aliqd accersunt, quarum ego quid uobis aut inueniendi rationem, aut genera ponam? Similitudinis est ad uerbum unum contracta breuitas, quod uerbum in alieno loco tanquam in suo positum, si agnoscatur, delectat, si simule nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quæ aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia.

-inhorrescit mare

Tenebræ conduplicantur, noctis q; & nimbum occæcat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, cœlum tonitru contremit,
Grando mista imbri largifluo subita præcipitans cadit,
Vndiq; omnes uenti erumpunt, sæui existunt turbines,
feruet æstu pelagus-

omnia fere quo essent clariora, translatis per similitudinem uerbis dicta sunt. Aut quo significetur magis res tota siue facti alicuius, siue consilij, ut ille, qui occultantem consulto, ne id, quod ageretur, intelligi posset, duobus translatis uerbis similitudine ipsa indicat.

Quandoquidem iste circunuestit dictis, sepit sedulo.

Nonnunquam etiã breuitas translatione conficitur, ut illud. si telum manu fugit. imprudentia teli emissi breuius proprijs uerbis exponi non potuit, quàm est uno significata translato. Atq; hoc in genere persæpe mihi admirandum uidetur, quid sit, quod omnes translatis, & alienis magis delectantur uerbis, quàm proprijs, & suis. nam si res suum nomen, et proprium uocabulũ non habet, ut pes in naui, ut nexum, quod per libram agitur, ut in uxore diuortiũ, necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere, sed in suorum uerborũ maxima copia, tamen homines aliena multo magis, si sunt ratiõe translata, delectant. Id accidere credo, uel quod ingenij specimen est quoddam transilire ante pedes posita, & alia longe repetita sumere. uel quod is, qui audit, alio` ducatur cogitatione, neq; tamen aberrat, quæ maxima est delectatio. uel quod singulis uerbis res, ac totum simile confictur. uel quod omnis translatio, quæ quidẽ sumpta ratione est, ad sensus ipsos admouetur, maxime oculorũ, q est sensus acerrimus. Nam & odor urbanitatis, et mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis, sunt ducta à cæteris sensibus. Illa uero oculorum multo acriora, quæ ponunt pene` in conspectu animu, quæ cernere, & uidere non possimus. Nihil est enim in rerum natura, cuius nos non in alijs rebus possimus uti uocabulo, et nomine. unde enim simile duci potest, potest autem ex omnibus, indidem uerbum unum, quod similitudinem continet translatum, lumen affert orationi. Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo.

=Cœli ingentes fornices.

Quamuis sphærã in scenam (ut dicitur) attulerit Ennius, tamen in sphæra fornicis similitudo non potest inesse.

=Viue Vlysses dum licet,
Oculis postremum lumen radiatum rape.

Non dixit cape, non pete. haberet enim morã sperantis diutius esse sese uicturum, sed rape, hoc uerbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, dum licet. Deinde uidendum est, ne longe simile sit ductum, syrtim patrimonij, scopulum libentius dixerim, charybdim bonorũ, uoraginẽ potius. facilius enim ad ea, quæ uisa, quàm ad illa, quæ audita sunt, mentis oculi feruntur. Et quoniam hæc uel summa laus est uerbi transferendi, ut sensum feriat id, quod translatum sit, fugienda est omnis turpitudo earum rerũ, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet similitudo. Nolo morte dici Africani castratam esse remp. nolo stercus curiæ dici Glauciam, quamuis sit simile, tamen est

in utroq;

in utroq; deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut maius, quàm res postulet, tempestas comesationis, aut minus comesatio tempestatis, nolo esse uerbum angustius id, quod translatũ sit, quàm fuisset illud proprium, ac suum.

Quidnam est obsecro? quid te adiri abnutas? melius esset, uetas, prohibes, absterres, quoniam ille dixerat,

-illico istic
Ne contagio mea bonis, umbraue obsit.

Atq; etiã si uereare, ne paulo durior translatio esse uideatur, molliẽda est præpositio sæpe uerbo, ut si olim M. Catone mortuo pupillũ senatum quis relictum diceret, paulo durius, sin, ut ita dicam, pupillum, aliquanto mitius est. Etenim uerecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse, atq; ut precario, non ui uenisse uideatur. Modus autem nullus est florẽtior in singulis uerbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Nã illud, quod ex hoc genere profluit, non est in uno uerbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit.

-Neq; me patior,
Iterum ad unum scopulum, & telum classem achiuum offendere.

Atq; illud,

Erras, erras. nam exultantem te, & præsidentem tibi
Repriment ualidæ legum habenæ, atq; imperij insistent iugo.

Sumpta re simili, uerba eius rei propria deinceps in rem aliam (ut dixi) transferuntur. Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est, etenim ex hoc genere fiunt ea, quæ dicuntur ænigmata. non est autem in uerbo modus hic, sed in oratione, id est in continuatione uerborum. Ne illa quidem traductio, atq; immutatio in uerbo quandam fabricationem habet, sed in oratione.

Africa terribili tremut horrida terra tumultu.

Pro afris est sumpta Africa, neq; factum uerbum est, ut
-Mare saxifragis undis, neq; translatum, ut
Mollitur mare, sed ornandi causa proprium pro-
prio commutatum,
Desine Roma tuos hostis,=
Testes sunt campi magni-

Grauis est modus in ornatu orationis, et sæpe sumendus, ex quo genere hæc sunt, Martem belli esse communem, Cererẽ pro frugibus, Liberũ appellare pro uino, Neptunum pro mari, curiã pro senatu, campũ pro comitijs, togam pro pace, arma, ac tela pro bello. Quo itẽ in-

genere & uirtutes,et uitia pro ipſis,in quibus illa ſunt,appellantur, luxuries quam in domum irrupit, & quo auaritia penetrauit,aut fides ualuit,iuſtitia confecit. Videtis profecto genus hoc totum cũ inflexo,commutatóq; uerbo res eadem enuntiatur ornatius,cui ſunt finitima illa minus ornata,ſed tamen non ignoranda, cum intelligi uolumus aliquid aut ex parte totum,ut pro ædificijs,cũ pariẽtes,aut tecta dicamus,aut ex toto partem,ut cum unam turmam equitatum populi R. dicimus,aut ex uno plures.

At romanus homo,tamen,& ſi res bene geſta eſt,
Corde ſuo trepidat– aut cum ex pluribus intelligitur unum.
Nos ſumu' romani,qui fuimus rutuli.

aut quocunq; modo non ut dictum eſt, in eo genere intelligitur, ſed ut ſenſum eſt. Abutimur ſæpe etiam uerbo,non tam eleganter,quàm in transferendo,ſed etiam ſi licentius,tamen interdum non impudẽter,ut cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicamus. Verum illa uidetis'ne eſſe non uerbi, ſed orationis, quæ ex pluribus,ut expoſui,translationibus connexa ſunt,hæc autẽ, quæ aut immutata eſſe dixi,aut aliter intelligenda,ac dicerẽtur,ſunt translata quodam modo. Ita fit,ut omnis ſingulorum uerborũ uirtus,atq; laus tribus exiſtat ex rebus,ſi aut uetuſtum uerbum ſit,quod tamen conſuetudo ferre poſſit,aut factum,uel coniunctione, uel nouitate,in quo item eſt auribus,conſuetudiniq; parcẽdũ,aut translatum,quod maxime tanquam ſtellis quibuſdam notat, & illuminat orationem. Sequitur continuatio uerborũ, quæ duas res maxime, collocationem primum,deinde modum quendam,formamq; deſyderat. Collocationis eſt componere,et ſtruere uerba ſic,ut ne'ue aſper eorum concurſus,ne'ue hiulcus ſit,ſed quodam modo coagmentatus, & leuis,in quo lepide ſoceri mei perſona luſit is,qui elegantiſſime id facere potuit,Lucilius.

Quàm lepide lexeis compoſtæ,ut teſſerulæ omnes
Arte pauimento,atq; emblemate uermiculato.

quæ cum dixiſſet in Albutium illudens,ne à me quidem abſtinuit. Craſſum habco generum,ne rhetoricotero' tu ſis.

Quid ergo iſte Craſſus,quoniam eius abuteris nomine,quid efficit? idem illud ſcilicet,ut ille uoluit,et ego uellem,melius aliquãto,quàm Albutius. uerum in me quidem luſit ille,ut ſolet. Sed eſt tamen collocatio conſeruanda uerborum,de qua loquor,quæ iunctam orationẽ efficiat,quæ cohærentem,quæ lenem,quæ æquabiliter fluentẽ. id aſſequemni,ſi uerba extrema cum conſequẽtibus primis ita iungetis,ut

ne'ue aſpere

ne'ue aſpere cõcurrant,ne'ue naſtius deducãtur. Hanc diligentiã ſubſequitur modus etiam,& forma uerborum,quod iam uereor,ne huic Catulo uideatur eſſe puerile. Verſus enim ueteres illi in hac ſoluta oratione propemodum,hoc eſt numeros quoſdam nobis eſſe adhibendos putauerunt. interſpirationis enim,nõ defatigationis noſtræ, neq; librariorum notis,ſed uerborum,& ſententiarum modo,inter punctas clauſulas in orationibus eſſe uoluerũt,idq; princeps Iſocrates inſtituiſſe fertur, ut incondità antiquorum dicendi cõſuetudinẽ delectationis,atq; aurium cauſa(quemadmodum ſcribit diſcipulus eius Naucrates)numeris aſtringeret. Nanq; hæc duo muſici,qui erãt quondam ijdem poëtæ,machinati ad uoluptatem ſunt,uerſum,atq; cantum,ut et uerborum numero,et uocum modo,delectatione uincerent aurium ſatietatem. Hæc igitur duo,uocis dico moderationem, et uerborum concluſionem,quo ad orationis ſeueritas pati poſſit,a' poëticã ad eloquentiam traducẽda duxerũt,in quo illud eſt uel maximum,quod uerſus in oratione ſi efficitur coniunctione uerborum, uitium eſt,et tamen eam coniunctionem,ſicuti uerſum numeroſe cadere,et quadrare,& perfici uolumus,neq; eſt ex multis res una , quæ magis oratorem ab imperito dicendi,ab ignaroq; diſtinguat , quàm quod ille rudis incondite fundit,quantum poteſt,et id,quod dicat,ſpiritu,non arte determinat. orator autem ſic illigat ſententiã uerbis,ut eam numero quodam complectatur,et aſtricto,& ſoluto. nam cum uinxit modis,forma & relaxat,et liberat immutatione ordinis,ut uerba neq; alligata ſint,quaſi certa aliqua lege uerſus,neq; ita ſoluta,ut uagentur. Quonã igitur modo tantum munus inſiſtemus,ut arbitremur nos hanc uim numeroſe dicendi conſequi poſſe? Nõ eſt res tam difficilis,quàm neceſſaria. nihil eſt enim tam tenerum,neq; tam flexibile,neq; quod tam facile ſequatur,quocunq; ducas,quàm oratio,ex hac uerſus,ex eadem diſpares numeri conficiũtur,ex hac hæc etiam ſoluta uarijs modis,multorumq; generũ oratio . nõ enim ſunt alia ſermonis,alia contentionis uerba,neque ex alio genere aduſum quotidianum,alio ad ſcenam,pompamq; ſumuntur,ſed ea nos cum iacentia ſuſtulimus e' medio , ſicut molliſſimam ceram ad noſtrum arbitrium formamus,& fingimus. itaq; tum graues ſumus, tũ ſubtiles,tum mediũ quiddam tenemus,ſic inſtitutam noſtram ſententiam ſequitur orationis genus,idq; ad omnem rationem,& aurium,uoluptatem,& animorum motum mutatur,& uertitur. Sed ut in pleriſq; rebus incredibiliter hoc natura eſt ipſa fabricata,ſic in oratione,ut ea,quæ maximam utilitatem in ſe continerent,eadẽ haberent

plurimũ uel dignitatis,uel ſæpe etiã uenuſtatis. Incolumitatis,ac ſalutis omnium cauſa uidemus hũc ſtatum eſſe huius totius mundi,atq; naturæ,rotundum,ut cœlum,terrá'q; ut media ſit,ea'q; ſua ui,mutú'q; teneatur,ſol ut circunferatur,ut accedat ad brumale ſignum, & inde ſenſim aſcendat in diuerſam partem,ut luna accęſſu,et recęſſu ſuo ſolis lumen accipiat,ut eadem ſpatia quinq; ſtellæ diſpares motu,cur ſú'q; conficiant. hæc tantam habent urm,ut paulum immutata cohærere non poſſint,tantá pulchritudinem,ut nulla ſpecies ne excogitari quidem poſſit ornatior. Referte nunc animum ad hominum, uel etiam cæterarum animantium formam,et figuram,nullam partem corporis ſine aliqua neceſſitate affictam , totamq; formã quaſi perfectam reperietis arte,non caſu. Quid in arboribus? in quibus non truncus,nõ rami,non folia ſunt deniq;,niſi ad ſuam retinendã, conſeruandamq; naturam,nuſquã tamen eſt ulla pars,niſi uenuſta. Limquamus naturã,artesq; uideamus. quid tam in nauigio neceſſarium, quàm latera,quàm carinæ,quàm prora,quàm puppis,quàm antemnæ,quàm uela,quàm mali? quàm reliqua? quæ tamem hãc habẽt in ſpecie uenuſtatem,ut non ſolum ſalutis , ſed etiã uoluptatis cauſa inuenta eſſe uideantur. Columnæ & templa, & porticus ſuſtinent, tamen habent non plus utilitatis,quàm dignitatis . Capitolij faſtigiũ illud,& cæterarũ ædium,non uenuſtas,ſed neceſſitas ipſa fabricata eſt. nam cum eſſet habita ratio,quemadmodum ex utraq; parte tecta aqua delaberetur,utilitatem templi,faſtigij dignitas conſecuta eſt,ut etiam ſi in cœlo capitolium ſtatueretur,ubi imber eſſe non poſſet,nullam ſine faſtigio dignitatem habiturum fuiſſe uideatur. Hoc in omnibus item partibus orationis euenit,ut utilitatẽ,ac propè neceſſitatẽ, ſuauitas quædam,et lepos conſequatur. clauſulas enim, atque interpuncta uerborum,animæ intercluſio,atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt. id inuentum eſt ita ſuaue,ut ſicui ſit infinitus ſpiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus. id enim auribus noſtris gratũ eſt inuentum , quod hominum lateribus non tolerabile ſolum , ſed etiam facile eſſe poſſit. Longiſſima eſt igitur complexio uerborum, quæ uolui uno ſpiritu poteſt, ſed hic naturæ modus eſt, artis alius. nã cum ſint numeri plures, iambũ, et trochæũ frequentem ſegregat ab oratore Ariſtoteles Catule ueſter, qui natura tamen incurrunt ipſi in orationẽ, ſermonemq; noſtrũ, ſed ſunt inſignes percuſſiones corũ numerorum, et minuti pedes. Quare primũ ad heroum nos dactyli, & anapæſti, et ſpondei pedem inuitat, in quo impune progredi licet duos duntaxat pedes, aut paulo plus, ne plane in uerſum, aut ſimilitudinem

militudinem uerſuũ incidamus. aliæ ſunt geminæ, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum uerborũ ſatis decore cadũt, probatur autem ab eodem illo maxime pæan, qui eſt duplex. nã aut a` longa oritur, quam tres breues conſequuntur, ut hæc uerba, deſinite, incipite, comprimite, aut a` breuibus deinceps tribus extrema producta, atq; longa, ſicut illa ſunt, domuerant, ſonipedes, atq; illi philoſopho ordiri placet a` ſuperiore pæane, poſteriore finire. eſt aũt pæan hic poſterior nõ ſyllabarũ numero, ſed auriũ mẽſura, qđ ẽ acrius iudiciũ, et certius, par fere` cretico, q eſt ex lõga, et breui, et lõga, ut Quid petam præſidij, aut exequar? quo'ue nunc.

A` quo numero exorſus eſt Fannius. Si quirites munas illius. hũc ille clauſulis aptiorem putat, quas uult lõga plerũq; ſyllaba terminari. Neq; uero hæc tam acrem curam, diligentiamq; deſyderant, q̃ eſt illa poëtarum, quos neceſſitas cogit, et ipſi numeri, ac modi, ſic uerba uerſu includere, ut nihil ſit, ne ſpiritu qdẽ minimo breuius, aut longius, q̃ neceſſe eſt. Liberior eſt oratio, et plane`, ut dicatur, ſic et eſt uere ſoluta, non ut fugiat tamẽ, aut erret, ſed ut ſine uinculis ſibiipſa moderetur. Nãq; ego illud aſſentior Thophraſto, qui putat orationẽ, quæ quidem ſit polita, atq; facta quodãmodo, nõ aſtricte, ſed remiſſius numeroſam eſſe oportere. Etenim ſicut ille ſuſpicatur, ex illis modis, quibus hic uſitatus uerſus efficitur, poſt anapæſtus procerior qdã numerus efloruit, inde ille licentior, et diuitior fluxit dithyrãbus, cuius membra, et pedes, ut ait idem, ſunt in omni locupleti oratione diffuſa. & ſi numeroſum eſt id in omnibus ſonis, atq; uocibus, qđ habet quaſdam impreſſiones, et quod metiri poſſumus interuallis æqualibus, recte genus hoc numerorũ, dummodo ne continuum ſit, in orationis laude ponetur. Nam ſi rudis, & indocta putanda eſt illa ſine interuallis loquacitas perennis, et profluens, quid eſt aliud cauſæ, cur repudietur? niſi quod hominũ aures uocem naturæ modulãtur ipſæ, quod fieri, niſi ineſt numerus in uoce, nõ poteſt. numerus autem in cõtinuatione nullus eſt, diſtinctio, et æqualium, & ſæpe uariorum interuallorum percuſſio, numerũ conficit, quem in cadẽtibus guttis, qđ interuallis diſtinguntur notare poſſumus, in amnu præcipitante non poſſumus. Quod ſi cõtinuatio uerborũ hæc ſoluta multo eſt aptior, atq; iucundior, ſi eſt articulis, membriſq; diſtincta, quàm ſi continuata, ac producta, uerba illa modificata eſſe debebunt, quæ ſi in extremo breuiora ſunt, infringitur ille quaſi uerborũ ambitus. ſic enim has oratiõis cõuerſiões græci nomnãt. Quare aut paria eſſe debẽt poſteriora ſupioribus, extrema primis, aut qđ etiã ẽ melius, et iucũ-

dius longiora. Atque hæc quidem ab ijs philoſophis, quos tu maxime diligis Catule, dicta ſunt, quod eo ſæpius teſtificor, ut authoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam. Quarum tandẽ inquit Catulus? aut quid diſputatione iſta afferri poteſt elegantius? aut omnino dici ſubtilius? At enim uereor inquit Craſſus, ne hæc aut difficiliora iſtis ad proſequendum eſſe uideantur, aut quia nõ tradantur in uulgari iſta diſciplina, nos ea maiora, ac difficiliora uideri uelle uideamur. Tum Catulus erras inquit Craſſe, ſi aut me, aut horum quenquam putas à te hæc opera quotidiana, & peruagata expectare. iſta, quæ dicis, dici uolumus, neque tam dici, quàm iſto dici modo, neq; tibi hoc pro me ſolum, ſed pro his omnibus ſine ulla dubitatione reſpondeo. Ego uero inquit Antonius, inueni tandẽ quẽ negaram in eo, quem ſcripſi, libello me inueniſſe, eloquentem, ſed eo te ne laudandi quidem cauſa interpellaui, nequid de hoc tam exiguo ſermonis tui tempore uerbo uno meo diminueretur. Hanc igitur Craſſus inquit ad legem cum exercitatione, tum ſtylo, qui & alia, et hoc maxime ornat, ac limat formanda uobis oratio eſt, neq; tamen hoc tanti laboris eſt, quanti uidetur, nec ſunt hæc rhythmicorum, ac muſicorum acerrima norma dirigenda, & efficiendum eſt illud modo uobis, ne fluat oratio, ne uagetur, ne inſiſtat interius, ne excurrat longius, ut membris diſtinguatur, ut conuerſiones habeat abſolutas. Neque ſemper utendum eſt perpetuitate, et quaſi conuerſione uerborum, ſed ſæpe capienda membris minutioribus oratio eſt, quæ tamẽ ipſa membra ſunt numeris uincienda. Neque uos pæan, aut herous ille conturbet, ipſi occurrent orationi, ipſi inquam ſe offerent, & reſpondebunt non uocati, conſuetudo modo illa ſit ſcribendi, atque dicendi, ut ſententiæ uerbis finiantur, eorumq; uerborũ iunctio naſcatur à proceris numeris, ac liberis, maxime heroo, & pæane priore, aut cretico, ſed uarie, diſtincteq; conſidat. Notatur enim maxime ſimilitudo in conquieſcendo, & ſi primi, & poſtremi illi pedes ſunt hac ratione ſeruati, medij poſſunt latere, modo ne arcuitus ipſe uerborũ ſit aut breuior, quàm aures expectent, aut longior, quàm uires, atque anima patiatur. Clauſulas autem diligentius etiam ſeruãdas eſſe arbitror, quã ſuperiora, quod in his maxime perfectio, atq; abſolutio iudicatur. nam uerſus æque prima, & media, & extrema pars attenditur, qui debilitatur in quacunq; ſit parte titubatum. in oratione autem prima pauca cernunt, poſtrema pleriq;, quæ quoniam apparent, & intelliguntur, uarianda ſunt, ne aut animorũ iudicijs repudientur, aut auriũ ſatietate. Duo enim, aut tres ſunt fere extremi ſeruandi,

mi ſeruandi,& notandi pedes,ſi modo non breuiora,et præciſa erũt ſupiora,quos aut chorios,aut heroos,aut alternos eſſe oportebit, aut in pæane illo poſteriore,quẽ Ariſtoteles probat, aut ei pari cretico. Horum uicaſſitudines efficient,ut neq; ij ſatientur,qui audient,faſtidio ſimilitudinis,nec nos id,quod faciemus , opera dedita facere uideamur. Quod ſi Antipater ille ſidonius,ille, quem tu probe Catule memniſti,ſolitus eſt uerſus hexametros,alioſq; uarijs modis , atque numeris fundere ex tempore,tantũq; homnis ingenioſi,ac memoris ualuit exercitatio,ut cũ ſe mente,ac uolũtate coniecaſſet in uerſum, uerba ſequerẽtur,quanto id facilius in oratione exercitatione,& cõ ſuetudine adhibita conſequemur? Illud autẽ nequis admiretur quo nam modo hæc uulgus imperitorũ in audiendo notet,cum in omni genere,tum in hoc ipſo magna quædã eſt uis,incredibilisq; naturæ.omnes enim tacito quodá ſenſu ſine ulla arte , aut ratione quæ ſint in artibus,ac rationibus recta,ac praua diiudicant,idq; cum faciunt in picturis et in ſignis,& in alijs operibus,ad quorum intelligentiam à natura minus habent inſtrumenti, tum multo oſtendũt magis in uerborum,numerorum,uocumq; iudicio,quod ea ſunt in communibus inſixa ſenſibus,neq; earum rerum quenquam funditus natura uoluit eſſe expertem. Itaq; non ſolum uerbis arte poſitis mouentur oẽs,uerum etiam numeris,ac uocibus. Quotus.n. quiſq; eſt,qui teneat artem numerorum,ac modorum? at in his ſi paulum modo offenſum eſt,ut aut contractione breuius fieret,aut productione longius,theatra tota reclamant. Quid hoc,non idem fit in uocibus? ut à multitudine,et populo,non modo cateruæ,atq; conuentus, ſed etiam ipſi ſibi ſinguli diſcrepantes eijciantur. Mirabile eſt,cũ plurimum in faciendo interſit inter doctum,& rudem, quã non multum differat in iudicando. Ars enim,cum à natura profecta ſit,niſi naturam moueat,ac delectet,nihil ſanè egiſſe uideatur.nihil eſt autem tam cognatum mentibus noſtris,quã numeri,atque uoces, quibus & excitamur,& incendimur,et lenimur,& langueſcimus,& ad hilaritatem,& ad triſtitiam ſæpe deducimur.quorum illa ſumma uis carminibus eſt aptior,et cantibus,non neglecta,ut mihi uidetur à Numa rege doctiſſimo,maioribusq; noſtris,ut epularum ſolennium fides,ac tibiæ,ſaliorumq; uerſus indicant , maxime autem à Græcia uetere celebrata,quibus utinam,ſimilibusq; de rebus diſputari,quã de puerilibus his uerborũ translationibus maluiſſetis. Verum ut in uerſu uulgus,ſi eſt peccatum,uidet, ſic ſiquid in noſtra oratione claudicat,ſentit,ſed poëtæ nõ ignoſcit , nobis concedit,

tacite tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum, perfectum q̃s cernunt. Itaq; illi ueteres, sicut hodie etiã nonnullos uidemus, cũ circuitum, et quasi orbem uerborum conficere non possent (nam id quidem nuper uel posse, uel audere cœpimus) terna, aut bina, aut nõnulli singula etiam uerba dicebant, qui in illa infantia naturali illud, qđ aures hominũ flagitabãt, tenebant tamen, ut & illa essent paria, quæ dicerent, et æqualibus interspirationibus uterentur. Exposui fere, ut potui, quæ maxime adornatũ orationis ptinere arbitrabar, dixi enim de singulorũ laude uerborum, dixi de coniunctione eorũ, dixi de numero, atque forma. Sed si habitum etiam orationis, & quasi colorem aliquem requiritis, est plena quædã, & tamen teres, & tenuis, et non sine neruis, ac uiribus, et ea, quæ particeps utriusq; generis quadã mediocritate laudatur. His tribus figuris insidere quandam uenustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color.

Tũ denique nobis hic orator ita conformãdus est & uerbis, & sententijs, ut quemadmodũ qui utuntur armis, aut palæstra, non solum sibi uitandi, aut feriendi rationem esse habendam putant, sed etiam ut cum uenustate moueãtur, sic uerbis quidem ad aptam compositionem, et condecentiam, sententijs uero ad grauitatẽ orationis utatur, ut ij, qui in armorũ tractatione uersantur. Formantur autem et uerba, & sententiæ penè innumerabiles, quod satis scio notũ esse uobis, sed inter conformationem uerborum, & sententiarum hoc interest, quod uerborum tollitur, si uerba mutaris, sententiarũ permanet, quibuscunque uerbis uti uelis. Quod quidem uos et si factis, tamen admonendos puto, nequid esse aliud oratoris putetis, quod qdẽ sit egregium, atq; mirabile, nisi in singulis uerbis illa tria tenere, ut translatis utamur frequenter, interdumq; factis, raro autẽ etiam peruetustis, in perpetua autem oratione, cum & coniunctionis lenitatem, & numerorum, quam dixi rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda, et frequentanda omnis oratio sententiarum, atq; uerborum. Nam et commoratio una in re permultum mouet, & illustris explanatio, rerumq;, quasi gerantur, sub aspectum penè subiectio, quæ et in exponẽda re plurimum ualet, et ad illustrandum id, quod exponitur, & ad amplificandum, ut ijs, qui audient, illud quod augebimus, quantũ efficere oratio poterit, tantum esse uideatur, & huic contraria sæpe præcisio est, et plus ad intelligendum, quàm dixeris, significatio, et distincte concisa breuitas, & extenuatio, & huic adiuncta illusio à præceptis Cæsaris non abhorrens, et abre non longa digressio, in qua cum fuerit delectatio, tũ reditus ad rem

aptus,& cõcinnus esse debebit,propositioq; quid sis dicturus,et ab eo,quod est dictum,seiunctio,& reditus ad propositum, & iteratio, & rationis apta conclusio,tum augendi,minuendi'ue causa ueritatis superlatio,atque traiectio,& rogatio,atque huic finitima quasi percunctatio,expositioq; sententiæ suæ,tum illa,quæ maxime quasi irrepit in hominum mentes alia dicentis , ac significantis dissimulatio, quæ est periucunda,cum in oratione,non contentione, sed sermone tractatur,deinde dubitatio,tum distributio,tũ correctio,uel ante,uel postquam dixeris,uel cum aliquid a' te ipso reijcias, præmunitio est etiam ad id,quod aggrediare,& reiectio in alium, communicatio, quæ est quasi cum ijs ipsis,apud quos dicas,deliberatio,morum,ac uitæ imitatio uel in personis,uel sine illis,magnum quoddam ornamẽtum orationis,& aptum ad animos conciliandos uel maxime, sæpe autem etiam ad commouendos.personarum ficta inductio,uel grauissimum lumen augendi,descriptio,erroris inductio,& in hilaritatem impulsio,ante occupatio,tum duo illa,quæ maxime mouent , similitudo,& exemplum,digestio,interpellatio, contentio , reticentia, commendatio,uox quædam libera,atque etiam effrenatior augendi causa.iracundia,obiurgatio,promissio,deprecatio,obsecratio, declinatio breuis a' proposito,non ut superior illa digressio,purgatio,cõciliatio,læsio,optatio,atque execratio.His fere' lumnibus illustrant orationem sententiæ.Orationis autem ipsius tanquam armorum est, uel ad usum comminatio,& quasi petitio , uel ad uenustatem ipsa tractatio.Nam & gemnatio uerborum habet interdum uim,leporem aliâs.& paulum immutatum uerbum, atque deflexum , & eiusdem uerbi crebra tum a' primo repetitio,tum in extremum cõuersio,& in eadem uerba impetus,& concursio,& adiunctio,& progressio,& eiusdem uerbi crebrius positi quædam distinctio , & reuocatio uerbi,& illa,quæ similiter desinunt,aut quæ cadunt similiter,aut quæ paribus paria referũtur,aut quæ sunt inter se similia. Est etiam gradatio quædam,& conuersio , & uerborum concinna transgressio,& contrarium,& dissolutum,& declinatio,& reprehensio,& exclamatio,& immutatio,& quod in multis casibus ponitur,& quod de singulis rebus propositis ductum,refertur ad singula,& ad propositum subiecta ratio,& item in distributis supposita ratio,& permissio,& rursum alia dubitatio , & improuisum quiddam,& dinumeratio,& alia correctio,& disputatio,& quod continuatum,& interruptum,& imago, & sibiipsi responsio , & immutatio , & disiunctio , & ordo, & relatio, & digressio,&

circunscriptio. Hæc enim sunt ferè, atque horum simlia uel plura etiam esse possunt, quæ sententijs orationem, uerborumq; conformationibus illumnent. Quæ quidem te Crasse uideo inquit Cotta, quod nota esse nobis putes, sine definitionibus, & sine exemplis effudisse. Ego uero inquit Crassus, nè illa quidem, quæ supra dixi, nota uobis esse arbitrabar, sed uoluntati uestrum omnium parui. His autem de rebus sol me ille admonuit, ut breuior essem, qui ipse iam præcipitans me quoque hæc præcipitem penè euoluere cogit. Sed tamen huius generis demonstratio est, & doctrina ipsa uulgaris, usus autem grauissimus, & in hoc toto dicendi studio difficillimus. Quamobrem, quoniam de ornatu omni orationis, si non sunt omnes patefacti, at certe commostrati loci, nunc quid aptum sit, hoc est, quod maxime deceat in oratione, uideamus, quanquam id quidem perspicuum est, non omni causæ, nec auditori, neque personæ, neque tẽpori congruere orationis unum genus. Nã et causæ capitis alium quẽdam uerborum sonum requirunt, alium rerum priuatarum, atque paruarum, et aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud obiurgatio, aliud disputatio, aliud historia desyderat. Refert etiam qui audiant senatus, an populus, an iudices, frequẽtes, an pauci, an singuli, et quales ipsi quoq; oratores, qua sint ætate, honore, authoritate, debent uideri. tẽpus pacis, an belli, festinationis, an otij. Itaque hoc loco nihil sanè est, quod præcipi posse uideatur, nisi ut figuram orationis, plenioris, & tenuioris, et item illius mediocris ad id, quod agimus, accommodatã deligamus, ornamentis ijsdem uti ferè licebit, aliâs contentius, aliâs summissius, omniq; in re posse, quod deceat facere, artis, et naturæ est, scire quid, quandoq; deceat, prudentiæ. Sed hæc ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur, actio inquam in dicendo una dominatur, sine hac summus orator esse in numero nullo potest, mediocris hac instructus summos sæpe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur quid in dicendo esset primũ, huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiã illud ab Aeschine dictũ uideri solet, qui, cum propter ignominiam iudicij cessisset Athenis, & se Rhodũ contulisset, rogatus à Rhodijs legisse fertur orationẽ illam egregiã, quam in Ctheſiphontẽ contra Demosthenem dixerat, qua perlecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illã etiã, quæ erat cõtra à Demosthene pro Ctheſiphonte edita, quam cum suauissima, et maxima uoce legisset, admirantibus omnibus, quanto inquit magis admiremini, si audissetis ipsum? ex quo satis significauit, q̃tũ esset in actione,

qui orationem eandem aliam esse putaret authore mutato. Quid fuit in Graccho? quem tu Catule melius memmisti, quod me puero tantopere ferretur? Quo' me miser conferã? quo' uertam? in capitoliũ ne? at fratris sanguine redundat. an domum? matrem' ne ut miserã, lamentantem'q; uideam, & abiectam? quæ sic ab illo acta esse constabat oculis, uoce, gestu, inimici ut lachrymas tenere non possent. Hæc eo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt ueritatis ipsius actores, reliquerunt, imitatores autem ueritatis histriones occupauerunt. Ac sine dubio in omni re uincat imitationem ueritas, sed ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto nó egeremus. uerum quia animi permotio, quæ maxime aut declaranda, aut imitanda est actione, pturbata sæpe ita est, ut obscuretur, atq; pene' obruatur, discutienda sunt ea, quæ obscurant, et ea, quæ sunt eminẽtia, et prompta sumenda. Omnis enim motus animi, suũ quendã à' natura habet uultum, & sonum, & gestum, totum'q; corpus hominis, & eius omnis uultus, omnes'q; uoces, ut nerui in fidibus ita sonant, ut à' motu animi quoq; sunt pulsæ. Nam uoces, ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quenq; tactum respondeãt, acuta, grauis, cita, tarda, magna, parua, quas tamen inter omnes est suo quoq; in genere mediocris. Atq; etiã illa sunt ab his delapsa plura genera, leue, asperum, contractum, diffusum, continenti spiritu, intermisso, fractum, scissum, flexo sono, attenuatum, inflatum. Nullum est enim horum simulium generũ, quod non arte, ac moderatione tractetur, hi sunt actori, ut pictori exposiri ad uariandũ colores. Aliud enim uocis genus iracundia sibi sumat, acutum, incitatum, crebro incidens.

Impius hortatur me frater, ut meos malis miser
Manderem natos-
& ea, quæ tu dudum Antoni
protulisti.

Segregare abs te ausus, &
Ecquis hoc animaduertit? uincite-
& Atreus fere' totus. Aliud miseratio, ac mœror, flexibile, plenum, interruptum, flebili uoce.

Quo' nunc me uertam? quo iter incipiam ingredi?
Domum paternam' ne? an ne ad Peliæ filias? & illa.
O pater, o patria, o Priam domus, & quæ sequuntur.
Hæc omnia uidi inflammari,
Priamo ui uitam euitari.

Aliud metus, demissum, & hæsitans, & abiectum.

Multi' modis sum circunuentus, morbo, exilio, atque inopia,

Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat,
Alter terribilem minitatur uitæ cruciatum, & necem,
Quæ nemo est tam firmo ingenio, & tanta confidentia,
Quin refugiat timido sanguine, atq; exalbescat metu,
Aliud uis, contentum, uehemens, imminens, quadam incitatione grauitatis.
Iterum Thyestes Atreum attractum aduenit,
Iterum iam aggreditur me, & quietum excitat,
Maior mihi moles, maius miscendum est malum,
Qui illius acerbum cor contundam, & comprimam.
Aliud uoluptas, effusum, lene, tenerum, hilaratum, ac remissum.
Sed mihi cum tetulit coronam ob collocandas nuptias,
Tibi ferebat, cum simulabat sese alteri dare,
Tum adyte ludibunda docte, & delicate detulit.
Aliud molestia, sine commiseratione graue quiddam, & uno pressu, ac sono obductum,
Qua tempestate Paris Helenam innuptis iunxit nuptijs,
Ego tum grauida expletis iam fere ad pariendum mensibus,
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit.

Omnem autem hos motus subsequi debet gestus non hic uerba exprimens scenicus, sed uniuersam rem, & sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterũ inflexione, hac forti, ac uirili non ab scena, & histrionibus, sed ab armis, aut etiã a palæstra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens uerba nõ exprimens, brachium procerius proiectum quasi quoddam telum orationis, suppositio pedis in contentionibus aut incipiẽdis, aut finiendis. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorũ, quo melius nostri illi senes, qui personatum, ne Roscium quidẽ, magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio, & imago animi uultus est, indices oculi, nam hæc est una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes, & commutationes possit efficere. neq; uero est quisquam, qui eadẽ contuens efficiat, Theophrastus qdem Tauriscum quendam dixit actorem auersum solitum esse dicere, qui in agendo contuens aliquid, pronuntiaret. Quare oculorũ est magna moderatio. nam oris non est nimiũ tantanda species, ne aut ad ineptias, aut ad prauitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorũ tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. est enim actio quasi sermo corporis, quo magis menti congruẽs esse debet. Oculos autem na-

tura nobis, ut equo, & leoni setas, caudam, aures, ad motus animorũ declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundũ uocẽ uultus ualet, is autem oculis gubernatur. Atq; in ijs omnibus, quæ sunt actionis, inest quædam uis à natura data. quare etiam hac imperiti, hac uulgus, hac deniq; barbari maxime cõmouẽtur. uerbi enim nemnem mouent, nisi eum, qui eiusdem linguæ societate coniunctus est, sententiæq; sæpe acutæ, non acutorum hominum sensus præteruolant, actio, quæ præ se motum animi fert, omneis mouet. ijsdẽ enim omnium animi motibus concitantur, & eos ijsdem notis, & in alijs agnoscunt, et in seipsi iudicant. Ad actionis autem usum, atq; laudẽ, maximam sine dubio partem uox obtinet, quæ primũ est optanda nobis, deinde, quæcunq; erit, ea tuenda, de quo illud iã nihil ad hoc præcipiendi genus quemadmodum uoci seruiatur, equidem magnopere cẽseo seruiendum. sed illud uidetur ab huius nostri sermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paulo ante, plurimis in rebus, quod maxime est utile, id nescio quo pacto etiam decet maxime. nã ad uocem in dicendo obtinendã nihil est utilius, quàm crebra immutatio, nihil perniciosius, quàm effusa sine intermissione contentio, quid? ad aures nostras, & actionis suauitatem, quid est uicissitudine, et uarietate, et commutatione aptius? Itaq; idẽ Gracchus, quod potes audire Catule ex Erycino cliente tuo literato homine, quẽ seruũ sibi ille habuit ad manum, cũ eburneola solitus est habere fistula, q̃ staret occulte post ipsum, cum concionaretur, peritum hominẽ, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut à contentione reuocaret. Audiui mehercule inquit Catulus, & sæpe sum admiratus hominis cum diligentiam, tum etiã doctrinam, & scientiã.

Ego uero inquit Crassus, ac doleo quidem illos uiros in eã fraudem in rep. esse delapsos, quanq̃ ea tela texitur, & ea imitatur in ciuitate ratio uiuendi, ac posteritatis ostenditur, ut eorũ ciuiũ, quos nostri patres non tulerunt, iã simules habere cupiamus. Mitte obsecro inquit Crasse Iulius sermonem istum, et te ad Gracchi fistulã refer, cuius ego non dũ planè rationẽ intelligo. In omni uoce inqt Crassus, est quiddam mediũ, sed suũ cuiq; uoci, hinc gradatim ascendere uocem utile, & suaue est. nam à principio clamare agreste quiddã est, & illud idẽ ad firmandũ est uocem salutare. deinde est quiddã contentionis extremũ, quod tamen inferius est, q̃ acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet, et tamen ab ipsa contentione reuocabit. Est itẽ cõtra q̃ddã in remissione grauissimũ, quo q; tanq̃ sonorũ gradibus descenditur. Hæc uarietas, et hic p̃ omnes sonos uocis cur-

ſus,& ſe tuebitur,& actioni afferet ſuauitatem,ſed fiſtulatorem domi relinquetis,ſenſum huius conſuetudinis uobiſcum ad forum deferetis. Edidi quæ potui,nõ ut uolui,ſed ut me tẽporis anguſtiæ coegerunt.ſcitum eſt enim,cauſam conferre in tempus,cum afferre plura ſi cupias,non queas. Tu uero inqt Catulus,collegiſti omnia,quantũ ego poſſum iudicare,ita diuinitus,ut nõ à græcis didiciſſe,ſed eos ipſos hæc docere poſſe uideare.Me quidem iſtius ſermonis participem factum eſſe gaudeo,ac uellem ut meus gener ſodalis tuus Hortenſius affuiſſet,quem quidem ego confido omnibus iſtis laudibus,quas tu oratione complexus es,excellentem fore. Et Craſſus fore dicas inquit? ego uero eſſe iam iudico, & tum iudicaui,cũme conſule in ſenatu cauſam defendit Africæ,nuperq; etiam magis cum pro Bithyniæ rege dixit.Quamobrem recte uides Catule,nihil enim iſti adoleſcenti neq; à natura,neq; à doctrina deeſſe ſentio,quo magis eſt tibi Cotta, & tibi Sulpiti uigilandũ,ac laborandũ.non enim ille mediocris orator ueſtræ quaſi ſuccreſcit ætati,ſed & ingenio peracri,& ſtudio flagranti, & doctrina eximia, & memoria ſingulari.cui quanquam faueo,tamen illum ætati ſuæ præſtare cupio,uobis uero illum tanto minorem præcurrere uix honeſtum eſt. Sed iam ſurgamus inquit, noſq; curemus,et aliquando ab hac contentione diſputationis animos noſtros,curamq; laxemus.

FINIS.

M. TVLLII CICERONIS DE CLARIS ORATORIBVS, QVI DICITVR BRVTVS.

VME' Cilicia decedens Rhodum ueniſſem, et eo' mihi de Q. Hortẽſij morte eſſet allatum, opinione omniũ maiorẽ animo cepi dolorem. c Nam & amico amiſſo, cum conſuetudine iucunda, tum multorũ officiorũ conuunctione me priuatum uidebam, et interitu talis auguris dignitatem noſtri collegij diminutam dolebam, qua in cogitatione, et cooptatũ me ab eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudiciũ dignitatis meæ fecerat, & inauguratum ab eodẽ, ex quo augurum inſtitutis in parentis eum loco colere debebã. Augebam etiã moleſtiam, quod magna ſapientium cuiũ, bonorumq; penuria, uir egregius, coniunctiſſimusq; mecum conſiliorũ omnium ſocietate, alieniſſimo reip. tempore extinctus, & authoritatis, & prudentiæ ſuæ triſte nobis deſyderiũ reliquerat. Dolebamq;, quod, non ut pleriq; putabant, aduerſariũ, aut obtrectatorẽ laudũ mearum, ſed ſocium potius, et conſortem glorioſi laboris amiſeram. Etenim ſi in leuiorũ artium ſtudio memoriæ proditum eſt, poëtas nobileis poëtarũ æqualium morte doluiſſe, quo tandẽ animo eius interitum ferre debui? cum quo certare erat glorioſius, quàm omnino aduerſarium non habere. cũ præſertim non modo nunquam ſit, aut illius a' me curſus impeditus, aut ab illo meus, ſed contra ſemper alter ab altero adiutus, et cõmunicando, et monendo, & fauendo. Sed quoniam ppetua quadam felicitate uſus ille ceſſit e' uita ſuo magis, quàm ſuorum cuiuũ tempore, & tum occidit, cum lugere facilius remp. poſſet, ſi uiueret, quàm iuuare, uixitq; tandiu, quàm licuit in ciuitate bene, beateq; uiuere, noſtro incommodo, detrimentoq;, ſi eſt ita neceſſe, doleamus, illius uero mortis opportunitatẽ beneuolẽtia potius, quàm miſericordia proſequamur, ut quotieſcunq; de clariſſimo, & beatiſſimo uiro cogitemus, illum potius, quàm noſmetipſos diligere uideamur. Nam ſi id dolemus, quod eo iã frui nobis non licet, noſtrum eſt id malũ, quod modice feramus, ne id non ad amicitiã, ſed ad domeſticam utilitatẽ referre uideamur. ſin tanquã illi ipſi acerbitatis aliqd acciderit angimur, ſummã eius felicitatẽ non ſatis grato animo interpretamur. Etenim ſi uiueret Q. Hortenſius, cætera fortaſſe deſyderaret una' cum reliquis bonis, et fortibus ciuibus, hũc autẽ, et præ-

ter cæteros, aut cum paucis sustineret dolorem, cum forum populi R. quod fuisset quasi theatrum illius ingenij, uocę erudita, & romanis, græcisq; auribus digna, spoliatum, atq; orbatum uideret. Equidē angor animo, non cōsilij, non ingenij, non authoritatis armis egere remp. quæ didiceram tractare, quibusq; me assuefeceram, quæq; erāt propria, cum præstantis in rep. uiri, tum bene moratæ, & bene cōstitutæ ciuitatis. quod si fuit in rep. tempus ullum, cum extorquere arma posset è manibus iratorum ciuium boni ciuis authoritas, et oratio, tum profecto fuit, cum patrocinio pacis excluſum est aut errore hominum, aut timore. Ita nobismetipsis accidit, ut quanquam essemus multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, qđ quo tempore ætas nostra perfuncta rebus amplissimis tanquā in portum cōfugere deberet, non inertiæ, neq; desidiæ, sed otij moderati, atq; honesti, cumq; ipsa oratio iam nostra cāneſceret, haberetq; suam quandā maturitatem, et quasi senectutem, tum arma sunt ea sumpta, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti glorioſe, quemadmodum salutariter uterentur, nō reperiebant. Itaq; ij mihi uidentur fortunate, beateq; uixisse, cum in cæteris ciuitatibus, tum maxime in nostra, quibus, cū authoritate, rerumq; gestarum gloria, tum etiam sapientiæ laude perfrui licuit. Quorum memoria, & recordatio in maximis nostris, grauissimisq; curis iucunda sanè fuit, cum in eā nuper ex sermone quodā incidiſ senuus. Nam cum mambularem in xiſto, et essem otioſus domi, M. ad me Brutus, ut cōsueuerat, cum Tito Pomponio uenerat, homines cū inter se coniuncti, tum mihi ita cari, itaq; iucundi, ut eorum aspectu omnis, quæ me angebat, de rep. cura cōsederit, quos postquam salutaui, quid uos inquam Brute, et Atticę nunc? quid tandē noui? Nihil sanè inquit Brutus, quod quidem, aut tu audire uelis, aut egò pro certo dicere audeam. Tum Atticus, eo inquit ad te animo uenimus, ut de rep. esset silentiū, & aliqd audiremus potius ex te, quàm te affligerenus ulla molestia. Vos uero inquam Attice, & præsentem me cura leuatis, & absenti magna solatia dediſtis. nam uestris primū literis recreatus, me ad priſtina studia reuocaui. Tum ille, legi inquit perlubēter epistolā, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi uisus est & monere te prudēter, et cōsolari amicissime. Recte inquam est uisus, nam me istis scito literis, ex diuturna pturbatione totius ualetudinis, tanquam ad aspiciendā lucem esse reuocatum. Atq; ut post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prælio populus se romanus erexit, posteaq; prosperæ res de inceps multæ cōsecutæ sunt, sic post rerum nostrarum, & cōminuium

murium grauſſimos caſus, nihil ante epiſtolam Bruti *mihi accidit, qđ uellem, aut quod aliqua ex parte ſolicitudines alleuaret meas.* Tũ Brutus, *uolui id quidem efficere certe, & capio magnum fructum, ſiquidem quod uolui, tanta in re conſecutus ſum. Sed ſcire cupio quæ te* Attici *literæ delectauerunt?* Iſtæ uero mq̃ Brute *non modo delectationem mihi, ſed etiam, ut ſpero, ſalutem attulerunt. Salutem inqt ille? quodnam tandem genus iſtuc tam præclarũ literarũ fuit?*

An mihi potuit *inquam eſſe aut gratior ulla ſalutatio, aut ad hoc tẽpus aptior, q̃ illius libri, quo me hic affatus, quaſi iacentẽ excitauit?*

Tum *ille, nempe eum dicis inqt, quo iſte omnem rerũ memoriam breuiter, & ut mihi qdẽ uiſum eſt, pdiligenter cõplexus eſt.* Iſtũ *ipſum inquã* Brute *dico librũ mihi ſaluti fuiſſe.* Tũ Atticus, Optatiſſimum *mihi qdẽ eſt, quod dicis, ſed quid tandem habuit liber iſte, quod tibi aut nouũ, aut tanto uſui poſſet eſſe?* Ille *uero, & noua inquam mihi qdem multa, et eã utilitatem, quam requirebã, ut explicatis ordinibus temporũ, uno in conſpectu omnia uidere, quæ cũ ſtudioſe tractare cœpiſſem, ipſa mihi tractatio literarũ ſalutaris fuit, admonuitq; Pomponi, ut a te ipſo ſumerem aliqd ad me reficiendũ, teq; remunerandum, ſi non pari, at grato tamen munere, quanquam illud Heſiodium laudatur a doctis, quod eadẽ menſura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſſis.* Ego *autem uolũtatem tibi profecto emetiar, ſed rem ipſam non dum poſſe uideor, idq; ut ignoſcas a te peto.* Nec *enim ex nouis (ut agricolæ ſolẽt) fructibus eſt, unde tibi reddam, quod accepi, ſic omnis fœtus repreſſus, exuſtusq; flos ſiti ueteris ubertatis exaruit, nec ex conditis, qui iacẽt in tenebris, & ad quos omnis nobis aditus, q pene ſolis patuit, obſtructus eſt. Seremus igitur aliquid tanquam in inculto, et derelicto ſolo, quod ita diligenter colemus, ut impendijs etiam augere poſſimus largitatem tui muneris, modo idẽ noſter animus efficere poſſit, quod ager, qui, cum multos annos quieuit, uberiores efferre fruges ſolet.*

Tum *ille,* Ego *uero & expectabo ea, quæ polliceris, neq; exigam, niſi tuo commodo, & erunt mihi pergrata, ſi ſolueris.* Mihi *quoq; inquit* Brutus, *& expectanda ſunt ea, quæ* Attico *polliceris, & ſi fortaſſe ego a te huius uoluntarius procurator petam, quod ipſe, cui debes, incommodo exacturum negat.* At *uero inquam tibi ego* Brute *non ſoluam, niſi prius a te cauero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio ſit, petiturum.* Non *mehercule inquit tibi repromittere iſtuc quidem auſus ſim, nam hunc, qui negat, uideo flagitatorem, nõ illum quidem tibi moleſtum, ſed aſſiduum ta-*

men,& acrem,fore. Tum pomponius,ego uero inquit Brutum nihil mentiri puto. Videor enim iam te ausurus esse appellare,quoniã longo interuallo modo primũ animaduerti paulo te hilariorẽ. Itaq; quoniam hic quod mihi deberetur se exacturum professus est,quod huic debes,ego a` te peto. Quidnam id inquã? Vt scribas inqt aliquid,iampridẽ enim cõticuerunt tuæ literæ. Nã,ut illos de rep. libros edidisti,nihil a` te sane` postea accepimus, eisq; nosmetipsi ad rerum naturalium memoriam comprehendendã impulsi,atq; incensi sumus. Sed illa cum poteris,atq; ut possis rogo. Nunc uero inqt,si es animo uacuo,expone nobis , quod quærimus. Quidnam est id inquam? Quod mihi nuper in Thusculano inchoasti de oratoribus,quando esse cœpissent,qui etiã,& quales fuissent. Quem ego sermonem cum ad Brutum tuum,uel nostrũ potius,detulissem,magnopere hic audire se uelle dixit. Itaq; hunc elegimus diẽ,cum te sciremus esse uacuum. Quare,si tibi est commodum,æde illa, quæ cœperas,& Bruto,& mihi. Ego uero inquã,si potuero , faciam uobis satis. Poteris inquit. relaxa modo paulũ animum,aut sane` (si potes) libera. Nempe igitur hinc tum Póponi ductus est sermo,quod erat a` me mentio facta,causam Deiotari fidelissimi, atq; optimi regis ornatissime,& copiosissime a` Bruto me audisse defensam. Scio inqt ab isto initio tractum esse sermonem, teq; Bruti dolentẽ uicẽ, quasi defleuisse iudiciorum uastitatem,& fori. Fecit inquam istuc quidem,& sæpe facio. Nam mihi Brute in te intuenti crebro in mentem uenit uereri,ecquodnam curriculũ aliquando sit habitura tua, et natura admirabilis,& exquisita doctrina,et singularis industria. Cum enim in maximis causis uersatus esses, & cũ tibi ætas nostra iam cederet,fascisq; summitteret,subito in ciuitate cũ alia ceciderunt, tum etiam ea ipsa,de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit. Tum ille cæterarum rerũ causa inquit istuc et doleo, & dolendum puto, Dicendi autem me,non tam fructus , & gloria,quàm studium ipsum,exercitatioq; delectat,quod mihi nulla res eripiet,te præsertim tam studioso. Et dicere enim bene nemo potest,nisi qui prudẽter intelligit. Quare qui eloquentiæ ueræ dat operam,dat prudentiæ, qua ne maximis quidem in bellis æquo animo carere quisquã potest. Præclare inquam Brute dicis,eoq; magis ista dicendi laude delector,quod cætera,quæ sunt quondam habita in ciuitate pulcherrima,nemo est tam humilis,qui se non aut posse adipisci,aut adeptum putet. Eloquentem neminem uideo factum esse uictoria. Sed quo facilius sermo explicetur,sedentes,si uidetur,agamus. Cum idẽ placuisset illis

set illis, tum in pratulo propter Platonis statuã consedimus. HIC ego: laudari igitur eloquentiã, et quanta uis sit eius expromere, quãtamq; ijs, qui sint eam consecuti, dignitatem afferat, neq; propositum nobis est hoc loco, neque necessarium. Hoc uero sine ulla dubitatione confirmauerim, siue illa arte pariatur aliqua, siue exercitatione quadam, siue natura, rem unam esse omnium difficillimã. quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquæq; est ars ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximarum, quãtam uim, quantamq; difficultatem habeant, existimari potest. Testis est Græcia, quæ cũ eloquentiæ studio sit incensa, iádiuq; excellat in ea, præstetq; cæteris, tamen omneis artes uetustiores habet, & multo ante, non inuentas solum, sed etiã perfectas, quàm hæc est à græcis elaborata dicẽdi uis, atq; copia. In quam cum intueor, maxime mihi occurrunt Atticæ, et quasi lucent Athenæ tuæ, qua in urbe primum se orator extulit, primumq; etiam monimentis, & literis oratio est cœpta mandari, tamen ante Periclem, cuius scripta quædam feruntur, & Thucydidem, qui nó nascentibus Athenis, sed iã adultis fuerunt, litera nulla est, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris esse uideatur. Quanquam opinio est, & eum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum, & paulo seniorẽ etiã Solonem, posteáq; Clisthenẽ multum ut temporibus illis ualuisse dicendo. Post hãc ætatem aliquot annis, ut ex Attici monimentis potest perspici, Themistocles fuit, quem constat cum prudentia, tum etiam eloquentia præstitisse. post Pericles, qui cũ floreret omni genere uirtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illũ quidem ciuem, sed tamen eloquentem constat fuisse, huic ætati suppares Alcibiades, Critias, Theramenes, quibus temporibus, quod dicendi genus uiguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. grandes erant uerbis, crebri sententijs, compressione rerum breues, & ob eam ipsam causam interdum subobscuri. Sed, ut intellectum est, quantam uim haberet accurata, et facta quodam modo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito extiterunt, tum Leontinus Gorgias, Trasymachus Chalcædonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ciius, Hippias Helæus, in honore magno fuit, alijq; multi temporibus eisdem docere se profitebantur, arrogantibus sane uerbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicẽdo fieri superior posset. Iis oppositit sese Socrates, qui subtilitate quadã disputandi refellere eorum instituta solebat uerbis. Huius ex uberrimis sermonibus extiterunt doctissimi uiri, primumq; tum philoso-

phia,non illa de natura,quæ fuerat antiquior, ſed hæc, in qua de bonis rebus,& malis,deq; hominum uita,et moribus diſputatur,inuenta dicitur,quod quoniam genus ab hoc,quod propoſuimus,abhorret,philoſophos aliud in tempus reiciamus,ad oratores,a` quibus digreſſi ſumus,reuertamur. Extitit igitur iam ſenibus illis, quos paulo ante diximus,Iſocrates, cuius domus cunctæ Græciæ quaſi ludus quidam patuit,atq; officina dicendi,magnus orator,& perfectus magiſter,quanquam forenſi luce caruit, intraq; parietes aluit eam gloriam,quam nemo quidem meo iudicio,eſt poſtea conſecutus. is & ipſe ſcripſit multa præclare,& docuit alios, & cum cætera melius,quàm ſuperiores,tum primus intellexit,etiam in ſoluta oratione,dum uerſum effugeres,modum tamen,et numerum quendam oportere ſeruari. Ante hunc enim uerborum quaſi ſtructura, & quædam ad numerum concluſio nulla erat,aut ſiquando erat, non apparebat,eam dedita opera eſſe quæſitam,quæ forſitan laus ſit,uerum tamen natura magis,tum caſu nonnunquam, quàm aut ratione aliqua,aut obſeruatione fiebat. Ipſa enim natura circunſcriptione quadam uerborum comprehendit,concludit'q; ſententiam. Quæ cum aptis conſtricta uerbis eſt,cadit etiam plerunque numeroſe. Nam & aures ipſæ quid plenum,quid inane ſit,iudicant,et ſpiritus quaſi necæſſitate aliqua,uerborum comprehenſio terminatur, in quo non modo defici,ſed etiam laborare turpe eſt. Tum fuit Lyſias ipſe quidem in cauſis forenſibus non uerſatus, ſed egregie ſubtilis ſcriptor,atq; elegans,quem iam prope' audeas oratorem perfectum dicere,nam plane' quidem perfectum,& cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixeris,nihil acute inueniri potuit in eis cauſis, quas ſcripſit,nihil(ut ita dicam)ſubdole,nihil uerſute,quod ille non uiderit,nihil ſubtiliter dict,nihil preſſe,nihil enucleate,quo fieri poſſit aliquid limatius,nihil contra grande,nihil inornatum,nihil ornatum,uel uerborum grauitate,uel ſententiarum,quo quicquam eſſet elatius. Huic Hyperides proximus,& Aeſchines fuit, & Lycurgus,& Dinarchus,& is,cuius nulla extant ſcripta,Demades,aliiq; plures. hæc enim ætas effudit hanc copiam,& , ut opinio mea fert, ſucus ille,& ſanguis incorruptus uſque ad hanc ætatem oratorum fuit,in qua naturalis ineſſet,non fucatus nitor. Phalereus enim ſuccęſſit eis ſenibus adoleſcens,eruditiſſimus ille quidem horum omnium, ſed non tam armis inſtitutus,quàm palæſtra,itaque delectabat magis Athenienſes,quàm inflammabat. procęſſerat enim in ſolem, & puluerem,non ut è militari tabernaculo, ſed ut è Theophraſti doctiſſimi

ctissimi hominis umbraculis. hic primus inflexit orationem, & eã mollem, teneramq; reddidit, & suauis, sicut fuit, uideri maluit, quã grauis, sed suauitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret, & tantum ut memoriam cognitatis suæ, non quemadmodũ de Pericle scripsit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, à quibus esset auditus. Vides'ne igitur, ut in ea ipsa urbe, in qua & nata, et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem? siquidem ante Solonis ætatem, & Pisistrati, de nullo, ut diserto memoriæ proditum est. At hi quidẽ, ut populi R. ætas est, senes, ut Atheniensium secla numerãtur, adolescentes debent uideri. Nam & si seruio Tullo regnante uiguerunt, tamen multo diutius Athenæ iam erant, quàm est Roma ad hodiernũ diẽ, nec tamen dubito, quin habuerit uim magnam semper oratio. Neq; enim iã troicis temporibus tantum laudis in dicendo Vlyssi tribuisset Homerus, & Nestori, quorum alterum uim habere uoluit, alterum suauitatẽ, nisi iam tum esset honos eloquentiæ. neq; ipse poëta hic tam idẽ ornatus in dicendo, ac planè orator fuisset, cuius & si incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum, siquidem non infra superiorem Lycurgum fuit, à quo est disciplina Lacedæmoniorum astricta legibus. Sed studiũ eius generis, maiorq; uis agnoscitur in Pisistrato. Deniq; hunc proximo seculo Themistocles insecutus est, ut apud nos perantiquus, ut apud Athenienses non ita sanè uetus. fuit. n. regnante iam Græcia, nostra autem ciuitate non ita pridem dominatu regio liberata, nam bellum Volscorum illud grauissimum, cui Coriolanus exul interfuit, eodem ferè tempore, quo Persarum bellũ fuit, simulq; fortuna clarorum uirorũ, siquidẽ uterq;, cum ciuis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria, se ad hostes contulit, conatũq; iracundiæ suæ, morte sedauit, nam & si aliter est apud te Atticæ de Coriolano, cõcede tamen, ut huic generi mortis potius assentiar. At ille ridens, tuo uero inquit arbitratu, quoniã qdẽ concessum est rhetoribus mentiri & in historijs, ut aliqd dicere possint argutius ut enim tu nũc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. Nam quẽ Thucydides, qui & Atheniensis erat, & summo loco natus, summusq; uir, et paulo ætate posterior, tantũ mortuũ scripsit, & in Attica clàm humatum, addidit fuisse suspicionem ueneno sibi conscisse mortem, hũc isti aiunt, cum taurũ immolauisset, excepisse sanguinem patera, & eo poto, mortuũ concidisse. hanc enim mortem rhetoricæ, & tragicæ ornare potuerunt. illa mors uulgaris nullam præbebat materiem ad ornatum. quare quoniam tibi quadrat, oĩa

fuisse in Themistocle paria, et Coriolano, pateram quoque à me sumas licet, præbebo etiam hostiam, ut Coriolanus sit planè alter Themistocles. Sit sanè inquam, ut lubet de isto, et ego cautius posthac historiam attingam te audiente, quem rerum romanarum authorẽ laudare possum religiosissimũ. Sed tũ fere Pericles Xantippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam, quæ quanquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxagora physico eruditus exercitationem mentis à reconditis, abstrusisq; rebus, ad causas forenses, populariq; facile traduxerat, huius suauitate maxime hilaratæ sunt Athenæ, huius ubertatem, et copiam admiratæ, eiusdem uim dicendi, terroremq; timuerunt. Hæc igitur ætas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nec enim in, constituentibus rẽp. nec in bella gerentibus, nec in impeditis, ac regum dominatione deuinctis, nasci cupiditas dicendi solet. Pacis est comes, otijq; socia, et iam bene constitutæ ciuitatis, quasi alumna, quædam eloquentia. Itaq; ait Aristoteles, cum sublatis in Siciliâ tyrannis res priuatæ longo interuallo iudicijs repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens, et cõtrouersia natura, artem, & præcepta siculos Coracem, et Tisian conscripsisse, nam antea nemnem solitum uia, nec arte, sed accurate tamen, & de scripto pleroque dicere, scriptasq; fuisse, & paratas à Protagora rerũ illustriũ disputationes, quæ nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, cũ singularum rerum laudes, uituperationesq; conscripsisset, quod iudicaret hoc oratoris maxime proprium, rem augere posse laudando, uituperandoq; rursus affligere. Huic Antiphontem Rhamnusium simulia quædam habuisse conscripta, quo nemnem unquam melius ullam orauisse capitis causam, cũ se ipse defenderet, se audiente locuplex author scripsit Thucydides. Nã Lysiam primo profiteri solitũ artem esse dicendi, deinde qđ Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere alijs cœpisse, artem remouisse. Similiter Isocratem primo artem dicendi esse negauisse, scribere autem alijs solitum orationes, quibus in iudicijs uterentur, sed cum ex eo, quia quasi committeret contra legem, quo quis iudicio circunueniretur, sepe ipse in iudicium uocaretur, orationes alijs desitisse scribere, totumq; se ad artes componendas transtulisse. Et Græciæ quidem oratorum partus, atq; fontes uides ad nostrorũ annalium rationem ueteres, ad ipsorum sanè recentes. Nam ante quàm delectata est Athenienſiũ ciuitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia & in domesticis, & in bellicis rebus effecerat. Hoc autem studiũ non erat cõmune Græ-

cæ, sed

ciæ,ſed proprium Athenarũ.quis enim aut argiuum oratorem,aut corinthium,aut Thebanum ſcit fuiſſe temporibus illis ? niſi quid de Epamnunda docto homine ſuſpicari libet.Lacædæmoniũ uero uſq; ad hoc tempus audiui fuiſſe neminem,Menelaum ipſum,dulcem illũ quidem tradit Homerus,ſed pauca dicentem.breuitas autem laus eſt interdum in aliqua parte dicendi,in uniuerſa eloquentia laudẽ non habet.At uero extra Græciam magna dicendi ſtudia fuerunt,maximiq; huic laudi habiti honores illuſtre oratorum nomẽ reddiderũt. Nam,ut ſemel è Pelopo eloquentia euecta eſt,omnes peragrauit inſulas,atq; ita peregrinata tota Aſia eſt,ut ſe externis oblineret moribus,omnẽq; illã ſalubritatẽ atticæ dictionis,quaſi ſanitatem perderet,ac log pene dediſceret.Hinc aſiatici oratores nõ contẽnendi quidem,nec celeritate,nec copia,ſed parum preſſi,& nimis redũdãtes, Rhodij ſaniores,et atticorum ſimiliores,ſed de græcis hactenus.cteni hæc ipſa forſitan fuerunt non neceſſaria. Tum Brutus, iſta uero inquit,quàm neceſſaria fuerint,nõ facile dixerim,iucunda certe mihi fuerunt,neq; ſolum non longa,ſed etiam breuiora,quàm uellem. Optime inquam,ſed ueniamus ad noſtros,de quibus difficile eſt plus intelligere,quã ãtum ex monimentis ſuſpicari licet.Quis enim putet aut celeritatem ingenij L.Bruto illi nobilitatis ueſtræ prĩcipi defuiſſe?qui de matre ſuauianda ex oraculo Apollinis tam acute,argutéq; coniecerit,q ſummã prudentiã ſimulatione ſtultitiæ texerit,q potentiſſimum regem,clariſſimi regis filium,expulerit,ciuitatẽq; ppetuo dominatu liberatam,magiſtratibus annuis,legibus,iudiciiſq; deuinxerit,qui collegæ ſuo imperiũ abrogauerit,ut è ciuitate regalis nomnis memoriã tolleret,quod certe effici nõ potuiſſet,niſi eſſet oratione pſuaſum.Videmus itẽ paucis annis poſt reges exactos,cũ plebs propè ripam Anienis ad tertium milliarium conſediſſet,eumq; mõtem,qui ſacer appellatus eſt,occupauiſſet,M.Valerium dictatorem dicendo ſedauiſſe diſcordias,eiq; ob eam rem honores ampliſſimos habitos,& eum primum ob eam ipſam cauſam maximum eſſe appellatum.Ne L.Valerium quidem potitum,arbitror non aliquid potuiſſe dicendo,qui poſt decemuiralem inuidiã plebem in patres incitatam, legibus,et concionibus ſuis mitigauerit.Poſſumus Appiũ Claudiũ ſuſpicari diſertũ,qa ſenatũ iamiam inclinatum,à Pyrrhi pace reuocauerit.Poſſumus C.Fabricium,qa ſit ad Pyrrhum de captiuis recuperandis miſſus orator.T.Corũcanũ,quod ex põtificũ cõmentarijs longe plurimũ ingenio ualuiſſe uideatur.M.Curiũ,quod is tribunus pl. interrege Appio Cæco diſerto homine comitia contra leges habẽte,

cum de plebe cõsulẽ non acciebat, patres ante authores fieri coegerit, quod fuerit permagnum non dum lege Menia lata. Licet aliqd etiam de M. Popilij ingenio suspicari, qui cum cons. esset, eodemq; tẽpore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen carmentalis, plebis contra patres conatatione, & seditione nuntiata, ut erat læna amictus, ita uenit in concionem, seditionemq; cum authoritate, tũ oratione sedauit. Sed eos oratores habitos esse, aut omnino tũ ullũ eloquẽtiæ præmũ fuisse, nihil sane mihi legisse uideor, tantummodo coniectura ducor ad suspicandum. Dicitur etiam C. Flaminius is, qui tribunus pl. legem de agro gallico, et picæno uiritim diuidendo tulerit, qui cons. apud Trasimenum sit interfectus, ad populũ ualuisse dicendo. Quintus etiam Maximus uerrucosus orator habitus est temporibus illis, & Q. Metellus is, qui bello punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit. Quem uero extet, & de quo sit memoriæ proditum eloquentem fuisse, & ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiæ est author, & idoneus quidem mea sententia Q. Ennius, præsertim cum & ipse eum audiuerit, et scribat de mortuo, ex quo nulla suspicio est, amatiæ causa esse mentitum. est igitur sic apud illum in nono (ut opinor) annali.

Additur orator Cornelius suauiloquenti,

*Ore Cethegus Marcus studio, collegam,

Filius,- & oratorem appellat, & suauiloquentiam tribuit, quæ nunc quidem non tam est in plerisq; latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur, sed est ea laus eloquentiæ certe maxima.

-Is dictus Ollis popularibus olim

Qui tum uiuebant homines, atque æuum agitabant,

Flos delibatus populi.- Probe uero, ut enim homnis decus ingenium, sic ingenij ipsius lumen est eloquentia, qua uirum excellentem plæclare tum illi homnes florem populi esse dixerunt.

-Suadæq; medulla,

πειθω quam uocant græci, cuius effector est orator, hanc suadam appellauit Ennius, eius autem Cethegum medullam fuisse uult, ut quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitauisse, huius hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. At hic Cethegus cons. cum P. Tuditano fuit bello punico secundo, quæstorq; his consulibus M. Cato, modo plane, annis. CXL. ante me consulem, & id ipsum nisi unius esset Ennij testimonuo cognitũ, hũc uetustas, ut alios fortasse multos, obliuione obruisset. Illius autẽ ætatis, q sermo fuerit ex Næuianis scriptis intelligi potest. his enim consulibus, ut in ue-

teribus commentarijs scriptum est, Næuius est mortuus, quanq̃ Varro noster diligentissimus inuestigator antiquitatis, putat in hoc erratum, uitamq; Næuij producat longius. Nã Plautus P. Claudio L. Portio uiginti annus post illos, quos ante dixi, consules mortuus est Catone censore. Hũc igitur Cethegum consecutus est ætate Cato, qui annis IX. post eum fuit cons. eum nos, ut peruetere̅ habemus, qui L. Martio. M. Manilio cons. mortuus est annis. LXXXIII. ipsis ante me consulem. Nec uero habeo quenquam antiquiorem, cuius quidẽ scripta proferenda putem, nisi quẽ Appij Cæci oratio hæc ipsa de Pyrrho, & nonnullæ mortuorũ laudationes forte delectant, et hercules hæ quidem extant. ipsæ enim familiæ sua quasi ornamenta, ac monimẽta seruabant, & adusum, siquis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudũ domesticarũ, et ad illustrandum nobilitatẽ suã, q̃q̃ his laudationibus historia rerũ nostrarũ est facta mendosior. multa enim scripta sunt in eis, quæ facta non sunt, falsi triũphi, plures consulatus, genera etiã falsa, et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nomnis infunderentur genus, ut si ego me a' M. Tullio esse dicerem, qui Patricius cũ Ser. Sulpitio cõsul anno decimo post exactos reges fuit. Catonis autẽ orationes nõ munus multæ fere' sunt, quã attica Lysiæ, cuius arbitror plurimas esse. est enim atticus, quoniam certe Athenis est & natus, et mortuus, et functus omni ciuium munere, quanquam' Timæus eum, quasi licinia, et mutia lege repetit Syracusas. & quodãmodo ẽ nonnulla in ijs etiã inter ipsos similitudo, acutĩ sunt, elegãtes, facẽti, breues. Sed ille græcus ab omni laude felicior. habet. n. certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quã gracilitates consectentur, quos, ualetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat, quanquam in Lysia sunt sæpe etiam lacerti, sic, ut & fieri nihil possit ualentius, uerum est certe genere toto strigosior, sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa eius subtilitate admodum gaudeant. Catonem uero quis nostrorũ oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis nouit omnino? At quẽ uirum (dij boni) mitto ciuem, aut senatorem, aut imperatorẽ? oratorem enim hoc loco quærimus, quis illo grauior in laudando? acerbior in uituperãdo? in sententijs argutior? in docendo, edisserẽdoq; subtilior? Refertæ sunt orationes amplius centumquinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim, & legerim, et uerbis, et rebus illustribus, licet ex his eligant ea, quæ notatione, et laude digna sint, omnes oratoriæ uirtutes in eis reperientur. Iam uero origines eius quẽ florẽ, aut q̃ lumẽ eloquẽtiæ nõ habent? amatores huic desunt, sicuti multis iã ante

ſeculis,& Philiſto ſiracuſio,& ipſi Thucydidi.Nam,ut horum cõci
ſis ſententijs,interdum etiam non ſatis apertis cum breuitate,tum ni
mio acumine,officit Theopõpus elatione,atq; altitudine oratiõis ſuæ,
quod idem Lyſiæ Demoſthenes,ſic Catonis luminibus obſtruxit hæc
poſteriorum quaſi exaggerata altius oratio. Sed & in noſtris inſci-
tia eſt,quod ij ipſi,qui in græcis antiquitate delectantur,cáq; ſubti
litate,quã atticam appellant,hãc in Catone non nouerunt quidem,
Hyperidæ uolunt eſſe,& Lyſiæ,laudo,ſed cur nolunt Catonis? atti-
co genere dicendi ſe gaudere dicunt,ſapienter id quidẽ,atq; utinam
imitarentur,nec oſſa ſolum, ſed etiã ſanguinem ,gratum eſt tamen
quod uolunt,cur igitur Lyſias,et Hyperides amatur,cũ penitus igno
retur Cato? antiquior eſt huius ſermo.& quædã horridiora uerba.
ita enim tum loquebãtur,id muta,quod tum ille non potuit,& adde
numeros,& aptior ſit oratio,ipſa uerba compone , et quaſi cõgmen=
ta,quod ne græci quidem ueteres factitauerunt,iã nemunem antepo
nes Catoni. Ornari orationem græci putant,ſi uerborum ĩmutatio
nibus utantur,quos appellant τρόπους,et ſentẽtiarũ,orationiſq; for
mis,quæ uocant χήματα,non ueriſimile eſt,quàm ſit in utroq; gene
re & creber,et diſtinctus Cato. Nec uero ignoro non dum eſſe ſatis
politum hunc oratorem,& quærendum eſſe aliquid perfectius,quip
pe cum ita ſit ad noſtrorum temporũ rationem uetus,ut nullius ſcri
ptum extet dignum quidem lectione,quod ſit antiquius, ſed maiore
honore in omnibus artibus,quã in hac una dicendi,uerſatur antiq
tas. quis enim eorum,qui hæc minora animaduertunt,nõ ĩtelligit Ca
nachi ſigna rigidiora eſſe,quã ut imitentur ueritatẽ? Calamidis du=
ra illa quidem,ſed tamen molliora,quàm Canachi. nõ dũ Myronis
ſatis ad ueritatem adducta,iam tamen quæ non dubites pulchra di
cere. pulchriora etiã Policleti,& iam planè perfecta , ut mihi q̃dẽ
uideri ſolent. Similis in pictura ratio eſt,in qua Zeuſim,et Polygno
tum,& Timantem,et eorum,qui non ſunt uſi pluſquam quatuor co
loribus,formas et liniamenta laudamus. At in Eetione, Nicomacho,
Protogene, Apelle iã q̃fecte ſunt omnia,et neſcio an reliquis in rebus
omnibus idẽ eueniat. nihil eſt enim ſimul et inuentum,et q̃fectum.
Nec dubitari debet,quin fuerint ante Homerũ poëtæ,q̃ ex eis car
minibus intelligi poteſt,quæ apud illũ,et in phæacum, & in proco=
rum epulis canuntur. Quid noſtri ueteres uerſus ubi ſunt?

Quos olim Fauni,uatesq; canebant,

Cum neq; muſarum ſcopulos,nec dicti ſtudioſus quiſquam erat an=
te hunc. ait ipſe de ſe,nec mentitur in gloriando . ſic enim ſeſe res

habet,nam & odyssea latina est,sic,tanquam opus aliquod Dædali, & Liuianæ fabulæ non satis dignæ,quæ iterum legantur. Atq; hic Liuius,qui primus fabulã C.Clodio Cæci filio,et M.Tuditano cõs. docuit anno ipso ante quàm natus est Ennius,post Romam conditam autem quadringentesimodecimo, ut hic ait,quem nos sequimur. est enim inter scriptores de numero annorum controuersia. Accius autem a' Q. Maximo Quintum consule captum Tarento scripsit Liuium annis.XXX.postquam eum fabulam docuisse, & Atticus scribit,& nos in antiquis commentarijs inuenimus. Docuisse autem fabulam annis post XI.C.Cornelio Q u. Minutio cons.ludis luctatijs, quos Salinator senensi prælio uouerat,in quo tantus error Accij fuit, ut his cons.XL.annos natus Ennius fuerit,cui cũ æqualis fuerit Liuius,minor fuit aliquanto is,q primus fabulã dedit,quam ij q multas docuerant ante hos cons.& Plautus,& Næuius. Hæc si minus apta uidentur huic sermoni Brute Attico assigna,qui me inflammauit studio illustrium hominum ætates, & tempora persequendi.

Ego uero inquit Brutus,et delector ista quasi notatione temporum, & ad id,quod instituisti oratorum genera distinguere ætatibus, istã diligentiam esse accommodatam puto. Recte inquã Brute intelligis,atq; utinam extarent illa carmina,quæ multis seclis ante suam ætatẽ in epulis esse cantitata a' singulis conuiuis de clarorũ uirorũ laudibus in originibus scriptũ reliqt Cato,tamen illius,quẽ in uatibus,et faunis enumerat Ennius,bellũ punicũ,quasi Myronis opus delectat.Sit Ennius sane', ut est certe,pfectior,q si illũ,ut simulat,contẽneret,non oia bella psequens primũ illud punicũ acerrimũ bellũ reliqsset.Sed ipse dicat,cur id faciat,-Scripsere(inquit)alij rẽ Versibus- et luculente qdẽ scripserunt,etiam si minus, quàm tu,polite. Nec uero tibi aliter uideri debet,q a' Næuio, uel sumpsisti multa,si fateris,uel si negas,surripuisti. Cũ hoc Catone grãdiores natu fuerũt C.Flaminius.C.Varro.Q. Maximus.Q. Metellus.P. Lentulus.P. Crassius,q cum superiore Africano cons.fuit. Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse, filius qdem eius,is qui hunc minorem Scipionem a' Paulo adoptauit,si corpore ualuisset imprimis habitus esset disertus,indicant cum oratiunculæ,tum historia quædã græca,scripta dulcissime.Numeroq; eodem fuit Sex. Aelius,iuris qdem ciuilis omnium peritissimus,sed etiam ad dicendũ paratus. De minoribus autem C.Sulpitius gallus,q maxime omniũ nobiliũ græcis literis studuit,isq; & oratorũ in numero est habitus,& fuit reliqs rebus ornatus,atq; elegans.iam enim erat unctior quædam, splen-

didiorq; consuetudo loquendi. Nam hoc prætore ludos Apollini faciẽ te, cum Thyesten fabulam docuisset Q. Martio. Gn. Seruilio cons. mortem obijt Ennius. Erat ijsdem temporibus T. Gracchus. P. F. qui bis consul, & censor fuit, cuius est oratio græca apud Rhodios, quẽ ciuem cum grauem, tum etiam eloquentem constat fuisse. P. etiã Scipionem Nasicam, qui est Corculum appellatus, qui item bis cons. & censor fuit, habitum eloquentem, M. aliũ illius, qui sacra acceperit filiũ, dicunt etiã L. Lentulum, qui cum C. Figulo cons. fuit Q. nobiliorẽ M. filium, iam patrio instituto deditum studio literarum, q etiã Q. Ennium, q cum patre eius in Aetolia militauerat ciuitate donauit, cum triumuir coloniã deduxisset, et T. Annium Luscum huius Q. filij collegam non indisertum dicunt fuisse. Atq; etiã L. Paulus Africani pater, personam principis ciuis facile dicendo tuebatur. At uero etiam tum Catone uiuo, qui annos quinq;, & LXXX. natus excessit è uita, cum quidẽ eoipso anno contra Seruium Galbam, ad populum summa contentione dixisset, quam etiam orationem scriptam reliquit, sed uiuo Catone minores natu multi uno tẽpore oratores floruerunt. Nam & A. Albinus is, qui græce scripsit historiã, qui cons. cum L. Lucullo fuit, & literatus, et disertus fuit, & tenuit cum hoc locum quendam, etiam Ser. Fuluius, et una` Ser. Fabius pictor, & iuris, & literarũ, & antiquitatis bene peritus. Q. q; Fabius Labeo fuit ornatus ijsdem fere` laudibus. Nam Q. Metellus, is, cuius quatuor filij consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit, accusante Africano, cuius et aliæ sunt orationes, & contra. T. Gracchum exposita est in C. Fannij annalibus, tũ ipse L. Cotta ueterator habitus, sed C. Lælius, & P. Africanus in primis eloquentes, quorum extant orationes, ex quibus existimari de ingenijs oratorũ potest. Sed inter hos ætate paulũ his antecedens sine controuersia Ser. Galba eloquentia præstitit, & nimirũ is princeps ex latinis, illa oratorũ propria, & quasi legitima opera tractauit, ut egrederetur à` proposito ornandi causa, ut delectaret animos, aut permoueret, ut augeret rem, ut miserationibus, ut cõmunibus locis uteretur, sed nescio quomodo huius, quem constat eloquentia præstitisse, exiliores orationes sunt, & redolẽtes magis antiqtatem, quàm aut Lælij, Scipionis, aut etiam ipsius Catonis. Itaq; exaruerunt, uixiã ut appareant. De ipsius Lælij, et Scipionis ingenio, quanquam ea est iam, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Lælio illustrior. At oratio Lælij de collegis nõ melior, quàm de multis, quàm uoles Scipionis, non quo illa Lælij quicquam sit dulcius, aut

quod de religione dici possit augustius, sed multo tamen uetustior, & horridior ille, quàm Scipio, & cũ sint in dicendo uariæ uoluntates, delectari mihi magis antiquitate uidetur, & lubenter uerbis etiam uti paulo magis priscis Lælius. Sed est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Nã ut ex bellica laude aspirare ad Africanũ nemo potest, in qua ipsa, egregium Viriati bello reperimus fuisse Læliũ, sic ingenij, literarum, eloquentiæ, sapientiæ deniq;, & si utriq; primas, priores tamen libenter deferunt Lælio. Nec mihi cæterorum iudicio solũ uidetur, sed etiam ipsorũ inter ipsos concessu, ita tributum fuisse. Erat omnino tum mos, ut in reliqs rebus melior, sic in hoc ipso humanior, ut faciles eẽnt in suũ cuiq; tribuẽdo, memoria teneo Smyrnæ me ex P. Rutilio Rufo audiuisse, cũ diceret adolescẽtulo se accidisse, ut ex. S. C. P. Scipio, & D. Brutus (ut opinor) cons. de re atroci, magna q; quærerent. Nã cum in * stuasita facta cædes esset, notiq; homines interfecti, insimularetur q; familia, partim etiã liberi, societatis eius, quæ piacarias de P. Cornelio. L. Mũmio censoribus redemisset, decreuisse senatum, ut de ea re cognoscerent, et statuerent consules, causam pro publicanis accurate, ut semper solitus esset, eleganter q; dixisse Lælium, cum consules re audita, amplius de consilij sententia pronuntiauissent, paucis interpositis diebus iterũ Læliũ multo diligentius, meliusq; dixisse, iterumq; eodem modo à consulibus rem esse prolatam, tum Lælium, eum cum socij domum reduxissent, egissentq; gratias, & ne defatigaretur orauissent, locutum esse ita, se quæ fecisset honoris eorũ causa, studiose, accurateq; fecisse, sed se arbitrari causam illam à Ser. Galba, qđ is in dicendo ornatior, acriorq; esset, grauius, & uehementius posse defendi. Itaq; authoritate C. Lælij publicanos causam detulisse ad Galbam. Illum autem, quod ei uiro succedendũ esset, uerecunde, & dubitanter recepisse, unũ, quasi comperendinatus, medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa, componendaq; posuisse, & cum cognitionis dies esset, & ipse Rutilius rogatu sociorum domum ad Galbam mane uenisset, ut eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret, usq; illũ quoad ei nuntiatum esset, consules descendisse, omnibus exclusis commentatum in quadã testudine cum seruis literatis fuisse, quorũ aliud dictare eodem à tempore solitus esset, interim cum esset ei nuntiatũ tempus esse, exisse in ædes eo colore, & ijs oculis, ut egisse causam nõ commentatum putares. Addebat etiam, idq; ad rem pertinere putabat, scriptores illos male multatos exisse cum Galba. Ex quo significabat illum non in agendo solũ, sed etiam in meditando uehementẽ

atq; incensum fuisse. Quid multa? magna expectatione, plurimis audientibus coràm ipso Lælio, sic illã causam, tanta ui, tantáq; grauitate dixisse Galbam, ut nulla ferè pars orationis silentio præteriretur. Itaq; multis querelis, multáq; miseratione adhibita, socios, omnibus approbantibus, illa die quæstione liberatos esse. Ex hac Rutiliana narratione suspicari licet, cum duæ summæ sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi ad docendũ. altera grauiter agẽdi ad animos audientium pmouendos, multóq; plus proficiat is, q̃ inflammet iudicem, quàm ille, qui doceat, elegantiam in Lælio, uim in Galba fuisse. Quæ q̃dẽ uis tum maxime cognita est, cum Lusitanis à seruio Galba prætore, contra interpositam, ut existimabatur, fidẽ, interfectis T. Libone tribuno pl. populũ incitante, & rogationem in Galbam priuilegij simulẽ ferente, summa senectute (ut ante dixi) M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit, quam orationem in origines suas retulit, paucis ante, quàm mortuus est, an diebus, an mensibus? Tum igitur recusans Galba pro sese, & Populi R. fidem implorans, cum suos pueros, tum. C. Galli etiã filium flens commendabat, cuius orbitas, & fletus mire miserabilis fuit, propter recentem memoriam clarissimi patris, usq; se tum eripuit flãmæ propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato. Atq; etiã ipsum Libonem non infantẽ uideo fuisse, ut ex orationibus eius intelligi potest. Cum hæc dixissem, & paulum interquieuissem, Quid igitur inquit est causæ Brutus, si tanta uirtus in oratore Galba fuit cur ea nulla in orationibus eius apparet? quod mirari nõ possum in eis, qui nihil omnino scripti reliquerunt. Nec enim est eadem inquam Brute causa non scribendi, & non tam bene scribẽdi, quàm dixerint. Nam uidemus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus etiam labor accederet ad forensem, pleræq; enim scribuntur orationes habitæ iam, non ut habeantur. alios nõ laborare, ut meliores fiant. nulla enim res tantum ad dicendũ proficit, quantum scriptio. memoriam autem in posterum ingenij sui non desyderant, cum se putant satis magnam adeptos esse dicendi gloriã, eamq; etiam maiorem uisumiri si in existimantium arbitrium sua scripta non uenerint. Alios quod melius putent dicere se posse, quàm scribere, quod pingeniosis hominibus, neq; satis doctis plerunq; contigit, ut ipsi Galbæ, quẽ fortasse uis non ingenij solũ, sed etiam animi, & naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatq;, ut et incitata, & grauis, & uehemens esset oratio, dein cũ otiosus stylum prehenderat, motusq; omnis anim, tanquam uentus hominem defecerat,

flaccescebat

flaccescebat oratio, quod ijs, qui limatius dicendi consectantur genus, accidere non solet, propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille utens eodem modo possit & dicere, & scribere, Ardor animi non semper adest, isq; cum consedit, omnis illa uis, & quasi flama oratoris extinguitur. Hac igitur ob causam uidetur Lælij mens spirare etiam in scriptis, Galbæ autem uis occidisse. Fuerunt etiã in oratorum numero mediocrium L. & SP. Mummij fratres, quorum extant amborum orationes. simplex quidem Lucius, & antiquus, Spurius autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen astrictior. fuit enim doctus ex disciplina stoicorum. Multæ sunt SP. Albini oratióes, Sunt etiam L. & C. Aureliorũ orestarum, quos aliquo uideo in numero oratorum fuisse. P. etiam Popilius cum cauis egregius, tum non indisertus fuit. C. uero filius eius disertus. C. q; Tuditanus cũ omni uita, atq; victu excultus, atq; expolitus, tum eius elegans est habitum etiam orationis genus. Eodemq; in genere est habitus is, qui iniuria acceptа fregit T. Gracchum patientia, ciuis in rebus optimus constantissimus M. Octauius. At uero M. Aemilius Lepidus, qui est Porcina dictus, ijsdem temporibus ferè, quibus Galba, sed paulo minor natu, et summus orator est habitus, et fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sanè bonus. Hoc in oratore latino primum mihi uidetur & lenitas apparuisse illa græcorum, & uerborum comprehensio, etiam artifex, ut ita dicam, stylus. Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi & propè æquales C. Carbo, & T. Gracchus audire soliti sunt, de quibus iam dicendi locus erit, cum de senioribus pauca dixero. Q. enim Pompeius non contemptus orator temporibus illis fuit, q summos honores, homo per se cognitus, sine ulla commendatione maiorũ, est adeptus. Tum L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen, homo non liberalitate, ut alij, sed ipsa tristitia, & seueritate popularis, cuius quidem legi tabellariæ M. Antius Briso tribunus pl. diu restitit, M. Lepido consule adiuuãte. Eaq; res Publio Africano uituperationi fuit, quod eius authoritate de sententia deductus, Briso putabatur. Tum duo Cæpiones multum clientes consilio, & lingua, plus authoritate tamen, & gratia subleuabant. Sed Pompeij sunt scripta, nec nimis extenuata, quanquam ueterum est similis, & plena prudentiæ. P. Crassum ualde probatum oratorem ijsdem ferè temporibus accepimus, qui & ingenio ualuit, & studio, & habuit quasdam etiam domesticas disciplinas. Nam & cum summo illo oratore Seruio Galba, cuius C. filio filiam suam collocauerat, affinitate sese deuinxerat, et cũ esset P. Mutij filius, fratremq; haberet P. Scæ-

uolam domi ius ciuile cognouerat, in eo industriam constat summã fuisse, maximamq; gratiam, cum & consuleretur plurimum, & diceret. Horũ ætatibus adiuncti duo C. Fanij Caij, Marci filij fuerunt, quorũ Caij filius, qui consul cum Domitio fuit, unã orationem de socijs, & nomine latino, contra Gracchum reliquit, sane & bonã, et nobilem. Tum Atticus, qd ergo? est ne ista Fannij? nam uaria opinio pueris nobis erat, alij a C. Persio literato homine scriptam esse aiebant illo, quẽ significat ualde doctum esse Lucilius, alij multos nobiles, quod quisq; potuisset in illam orationem contulisse. Tum ego, audiui equidem ista inquam de maioribus natu, sed nunquam sum adductus, ut crederem, eamq; suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset, oratio autem uel optima esset illo quidem tempore orationum omnium, sed nec eiusmodi est, ut a pluribus confusa uideatur. unus enim sonus est totius orationis, et idem stylus, nec de Persio reticuisset Gracchus, cum & Fannius de Menelao Marathenio, & de cæteris obiecisset, præsertim cum Fannius nunquam sit habitus elinguis, nam et causas defensitauit, & tribunatus eius, arbitrio, & authoritate P. Africani gestus, non obscurus fuit. Alter autem C. Fannius M. F. C. Lælij gener, & moribus, & ipso genere dicendi durior, is socœri instituto, quem quia coaptatus in augurum collegiũ non erat, non admodum diligebat, præsertim cum ille Q. Scæuolam sibi, minorem natu generum, prætulisset, cui tamen Lælius se excusans non genero minori dixit se illud, sed maiori filiæ detulisse. Is tamen instituto Lælij Panætiũ audiuerat. Eius omnis in dicendo facultas, ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quæ neq; nimis est infans, neq; pfecte diserta. Mutius autem augur, quod per se opus erat, ipse dicebat, ut de pecunijs repetundis contra T. Albutium, is oratorũ in numero non fuit, iuris ciuilis intelligentia, atq; omni prudentiæ genere præstitit. L. Cœlius antipater scriptor, quemadmodum uidetis, fuit, ut tẽporibus illis, luculentus, iuris ualde peritus, multorũ etiã, ut L. Crassi magister. Vtinam in Tiberio Graccho C. q; Carbone talis mens ad remp. bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit. profecto nemo his uiris gloria præstitisset, sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex inuidia fœderis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa rep. est interfectus. Alter propter perpetuam in populari ratione leuitatem morte uoluntaria se a seueritate iudicũ uindicauit. Sed fuit uterq; summus orator, atq; hoc memoria patrum teste dicimus. Nam & Carbonis, et Gracchi habemus orationes

mus orationes non dũ satis splendidas uerbis, sed acutas, prudẽtiæq; pleniſſimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliæ matris à puero doctus, et græcis literis eruditus. Nã semper habuit exquiſitos è Græcia magiſtros. In eis iam adoleſcens Diophanem Mithylenæum Græcæ temporibus illis diſertiſſimum, ſed & breue tempus ingenij augẽdi, & declarandi fuit. Carbo, quod uita ſuppeditauit, eſt in multis iudicijs, cauſisq; cognitus. Hunc qui audierant prudentes homnes, in quibus famliaris noſter L. Gellius, qui ſe illi contubernalẽ in conſulatu fuiſſe narrabat, canorum oratorem, & uolubilem, et ſatis acrẽ, atq; eundem & uehementem, & ualde dulcem, & perfacetum fuiſſe dicebat. Addebat induſtrium etiam, & diligentem, et in exercitationibus, commentationibusq; multum operæ ſolitum eſſe ponere. Hic optimus illis tẽporibus eſt patronus habitus, eoq; forũ tenente plura fieri iudicia cœperunt. Nã et quæſtiones ꝑpetuæ, hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerunt. L. enim Piſo Tr. pl. legem primus de pecunijs repetundis Cẽſorino, & Manilio coss. tulit. Ipſe etiã Piſo & cauſas egit, & multarum legum aut author, aut diſſuaſor fuit. Isq; & orationes reliquit, quæ iam euanuerunt, et annales ſane exiliter ſcriptos, & iudicia populi, quibus aderat Carbo, iã magis patronum deſyderabant, tabella data, quam legem L. Caſſius Lepido, & Manano coss. tulit. Veſter etiam D. Brutus M. filius, ut ex famliari eius L. Accio poëta ſum audire ſolitus, et dicere non inculte ſolebat, & erat cum literis latinis, tum etiam græcis, ut temporibus illis, ſatis eruditus. Quæ tribuerat idem Accius etiam Q. Maximo L. Pauli nepoti, & uero ante Maximum illũ Scipionem, quo duce priuato T. Gracchus occiſus eſſet, cum omnibus in rebus uehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuiſſe. Tum etiam P. Lentulus ille princeps, ad remp. duntaxat quod opus eſſet, ſatis habuiſſe eloquẽtiæ dicatur, ijſdemq; temporibus L. Furius Pilus perbene latine loqui putabatur, literatiusq;, quàm cæteri. P. Scæuola ualde prudenter, & acute, paulo etiam copioſius, nec multo minus prudenter M. Manilius, Appij Claudij uolubilis, ſed paulo feruidior erat oratio. In aliquo numero etiam M. Fuluius Flaccus, & C. Cato Africani ſororis filius mediocres oratores, etſi Flacci ſcripta ſunt, ſed ut ſtudioſi literarum. Flacci autem æmulus P. Decius fuit, non infans ille quidem, ſed ut uita, ſic oratione etiam turbulentus M. Druſus C. F. qui in tribunatu C. Gracchum collegam iterum tri. fecit uir & oratione grauis, & authoritate, eiq; proxime adiunctus C. Druſus frater fuit, tuus etiam gentilis Brute M. Pennus fa-

cle agitauit in tribunatu paulum C. Gracchum ætate antecedens. Fuit enim M. Lepido, & L. Oreſte conss. quæſtor Gracchus, tr. Pennus illius M. F. qui cum Q. Aelio con. fuit, ſed omnia is ſumma ſperans, ædilitius eſt mortuus. Nam de T. Flamnio, quem ipſe uidi, nihil acepi, niſi latine diligenter locutum. Iis adiuncti ſunt C. Curio M. Scaurus. P. Rutilius. C. Gracchus. De Scauro, & Rutilio breuiter licet dicere, quorum neuter ſummi oratoris habuit laudē, & uterq; in multis cauſis uerſatus. erat in quibuſdam laudandis uiris etiā ſi maxim ingenij non eſſent, probabilis tamen induſtria, quanquā iis quidem non omnino ingenium, ſed oratorium ingenium defuit. neq; enim refert uidere, quid dicendum ſit, niſi id queas ſolute, & ſuauiter dicere, ne id quidem ſatis eſt, niſi id, quod dicitur, ſi tuoce, uultu, motuq; conditius. quid dicam opus eſſe doctrina? ſine qua etiā ſiquid bene dicatur adiuuante natura, tamen id, quia fortuito fit, ſemper paratum eſſe non poteſt. In Scauri oratione ſapientis hominis, & recti grauitas ſumma, & naturalis quædam inerat authoritas, non ut cauſam, ſed ut teſtimonium dicere putares, cū pro reo diceret. hoc di=cendi genus ad patrocinia mediocriter aptum uidebatur, ad ſenatoriam uero ſententiā, cuius erat ille princeps, uel maxime. ſignificabat enim nō prudentiā ſolum, ſed quod maxime rem continebat, fidem. habebat hoc à natura ipſa, quod à doctrina non facile poſſet, quanquā huius quoq; ipſius rei, quemadmodum ſcis, præcepta ſunt. huius & orationes ſunt, & tres ad L. Fufidiū libri ſcripti de uita ipſius acta, ſanè utiles, quos nemo legit, at Cyri uitam, & diſciplinā legunt, præclarā illam q̄dem, ſed neq; tam rebus noſtris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam. Ipſe etiā Fufidius, in aliquo patronorum numero fuit. Rutilius autem in quodā triſti, & ſeuero genere dicendi uerſatus eſt, & uterq; natura uehemens, & acer. Itaq; cum una cōſulatum petiuiſſent, non ille ſolum, qui repulſam tulerat, accuſauit ambitus deſignatum competitorem, ſed Scaurus etiā abſolutus, Rutilium in iudicium uocauit, multaq; opera, multaq; induſtria Rutilius fuit, quæ erat propterea gratior, quod idē magnū munus de iure reſpondēdi, ſuſtinebat, ſunt eius orationes ieiunæ, multa præclara de iure, doctus uir, & græcis literis eruditus, Panætij auditor, prope perfectus in ſtoicis, quorum peracutum, et artis plenū orationis genus, ſed tamen exile, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum. Itaq; illa, quæ propria eſt huius diſciplinæ, philoſophorum de ſe ipſorum opinio, firma in hoc uno, et ſtabilis inuenta eſt, qui quanquam innocentiſſimus in iudicium uocatus eſſet, quo iudicio conuulſam

conuulſam penitus ſcimus eſſe remp. cum eſſent eo tempore eloquentiſſimi uiri L. Craſſus, & M. Antonius conſulares, eorum adhibere neutrum uoluit, dixit ipſe pro ſeſe, & pauca C. Cotta, quod ſororis erat filius, & is quidem tamen ut orator, quanquam erat admodum adoleſcens. Sed Q. Mutius enucleate ille quidem, & polite, ut ſolebat, nequaquam autem ea ui, atq; copia, quã genus illud iudicij, & magnitudo cauſæ poſtulabat. Habemus igitur in ſtoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis, utrunq; tamen laudemus, quoniã per illos, ne hæc quidem in ciuitate genera, hac oratoria laude caruerũt. Volo enim ut in ſcena, ſic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu, & difficili utantur, ſed eos etiam, quos ſtatarios appellant, quorum ſit illa ſimplex in agendo ueritas non moleſta. Et quoniam ſtoicorum eſt facta mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore L. Pauli nepos, nullo in oratorum numero, ſed uita ſeuerus, & congruens cum ea diſciplina, quam colebat, paulo etiã durior, qui quidem in triumuiratu iudicauerit contra P. Africani auunculi ſui teſtimonium, uacationem augures, quo munus iudicijs operam darent, nõ habere, ſed ut uita, ſic oratione durus, incultus, horridus, itaq; honoribus maiorum reſpondere non potuit. Fuit autem conſtans ciuis, & fortis, et in primis Graccho moleſtus, qđ indicat Gracchi in eũ oratio. Sunt etiam in Gracchum Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctiſſimus in diſputando. Tum Brutus, quam hoc idem in noſtris contingere intelligo, quod in græcis, ut omnes fere ſtoici prudentiſſimi in diſſerendo ſint, & id arte faciant, ſintq; architecti pene uerborum. Iidem traducti a diſputando ad dicendũ inopes reperiãtur. Vnum excipio Catonem, in quo perfectiſſimo ſtoico ſummam eloquẽtiam non deſyderem, quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidẽ magnam, in Tuberone nullam uideo fuiſſe. Et ego non inquã Brute ſine cauſa, propterea quod iſtorum in dialecticis omnis cura cõſumitur. Vagum illud orationis, & fuſum, & multiplex, non adhibetur genus. Tuus autem auunculus, quemadmodũ ſcis, habet a ſtoicis id, quod ab illis petendum fuit, ſed dicere didicit a dicendi magiſtris, eorumq; more ſe exercuit, quod ſi omnia a philoſophis eſſent petenda, Peripateticorum inſtitutis commodius fingeretur oratio, quo magis tuũ Brute iudiciũ probo, qui eorũ ideſt ex uetere Academia philoſophorum ſectam ſecutus es, quorũ in doctrina, atq; præceptis diſſerendi ratio coniungitur cum ſuauitate dicendi, & copia, quanq; ea ipſa Peripateticorum, Academicorumq; conſuetudo in ratione dicendi talis eſt, ut nec perficere oratorem poſſit ipſa p ſeſe, nec ſine ea

orator esse perfectus. Nam ut stoicorum astrictior est oratio, aliquã=
to q; contractior, quá aures populi requirunt, sic illorum liberior, &
latior, quàm patitur consuetudo iudicorum, et fori. Quis enim ube
rior in dicendo platone? Iouẽ sic, ut aiunt philosophi, si græce loqua
tur, loqui. Quis Aristotele neruosior? Theophrasto dulcior? lectitaui s
se platonem studiose, audiuisse etiam Demosthenes dicitur. Id q; appa
ret ex genere, et granditate uerborum. Dicit etiam in quadam epi
stola hoc ipse de sese, sed & huius oratio in philosophiam translata
pugnatior (ut ita dicam) uidetur, et illorum in iudicia pacatior. Nũc
reliquorum oratorũ ætates, si placet, et gradus persequamur. No=
bis uero inqt Atticus, et uehemẽter quidem, ut pro Bruto etiã respõ
deam. Curio fuit igitur eiusdem ætatis ferè, sanè illustris orator,
cuius de ingenio ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim &
aliæ, et pro Seruio Fuluio de incæstu nobilis oratio. Nobis q dẽ pue=
ris hæc omnium optima putabatur, quæ uix iam comparet in hac
turba nouorum uoluminum. Præclare inqt Brutus teneo, q istã
turbam uoluminum effecerit. Et ego inquam intelligo Brute, quem
dicas. certe enim et boni aliqd attulimus iuuentuti, magnificentius,
quàm fuerat genus dicendi, et ornatius, et nocuimus fortasse, quod
ueteres orationes post nostras, non a me q dem, meis. n. illas antepo=
no, sed a pleriq; legi sunt desitæ. Enumera inqt me in pleriq;, q q
uideo mihi multa legenda iam te authore, quæ antea contemnebam.

Atqui hæc inquã de incæstu laudata oratio puerilis est locis mul
tis, de amore, de tormentis, de rumore, loci sanè inanes, ueruntamẽ
nondũ tritis nostrorũ hominũ auribus, nec erudita ciuitate, tolerabi
les. Scripsit etiam alia nonnulla, & multa dixit, & illustria, & in
numero patronorum fuit, ut eum mirer, cum et uita suppeditauisset,
& splendor ei non defuisset, consulem non fuisse. Sed ecce in manibus
uir, et præstantissimo ingenio, & flagranti studio, & doctus a pue=
ro C. Gracchus. Noli enim putare quenquam Brute pleniorẽ, & ube
riorem ad dicendum fuisse. Et ille sic prorsus inquit, sic existimo,
atq; istum de superioribus penè solum lego. Immo planè inquã
Brute legas censeo. Damnũ enim illius immaturo interitu res Roma
næ, latinæq; literæ fecerunt, utinam non tam fratri pietatẽ, quam pa
triæ, præstare uoluisset, quam ille facile tali ingenio, diutius si uixisset,
uel paternam esset, uel auitam gloriam consecutus. Eloquẽtiã q dẽ ne
scio an habuisset parem neminem, grandis est uerbis, sapiẽs sententijs,
genere toto grauis, manus extrema non accessit operibus eius, præcla
re inchoata multa, perfecta nõ planè, legendus inquam est hic orator

Brute,

Brute,si quisquã alius iuuentuti.non enim solũ acuere,sed etiã alere ingenium potest.Huic successit ætati C.Galba Seruij illius eloquẽtissimi uiri filius P.Crassi eloquentis, et iurisperiti gener.Laudabãt hunc patres nostri,fauebant etiã propter patris memoriã,sed cecidit in cursu.Nã rogatione manilia,Augurthinæ coniurationis inuidia, cum pro sese ipse dixisset,oppressus est.extat eius peroratio,qui epilogus dicatur,qui táto in honore pueris nobis erat,ut eũ etiã ediscere= mus hic,q in collegio sacerdotũ esset,primus post Romã conditã iudicio publico est condẽnatus.P.Scipio,q est in consulatu mortuus,nõ multum ille qdem,nec sæpe dicebat,sed et latine loquẽdo,cuiuis erat par, et omnes sale,facetijsq; superabat.Eius collega L.Bestia bonis initijs orsus tribunatus.nã P.Popiliũ ui C.Gracchi expulsum sua rogatione restituit,uir & acer,& non indisertus,tristis exitus habuit consulatus.Nã inuidiosa lege manilia quæstio C.Galbam sacerdotem,& quatuor consulares L.Bestiã.C.Catonem.Sp.Albinũ,cuemq; præstantissimum L.Opimũ Gracchi interfectorem a populo absolutum,cũ is contra populi studiũ stetisset,gracchani iudices sustulerũt. Huius dissimilis in tribunatu,reliquaq; omni uita,cuius improbus C. Licinius Nerua non indisertus fuit.C.Fimbria tẽporibus ijsdem fere,sed longius ætate prouectus,habitus est sane (ut ita dicã)luculẽtus patronus,asper,maledicus,genere toto paulo feruidior,atq; cõmotior,diligentia tamen,& uirtute animi,atq;ita bonus author in senatu.Idem tolerabilis patronus,nec rudis in iure ciuili,et cũ uirtute, tum etiã ipso orationis genere liber,cuius orationes pueri legebamus, quas iam reperire uix possumus.Atq; etiã ingenio,et sermone elegãti,ualetudine incommoda C.Sextius Caluinus fuit,qui,et si cũ remisserant dolores pedũ,non deerat in causis,tamen id nõ sæpe faciebat. Itaq; consilio eius,cum uolebãt,homines utebantur,patrocinio,cum licebat.Iisdem temporibus M.Brutus,in quo magnum fuit Brute decus generi uestro,qui cum tanto nomine esset,patremq; optimũ uirum habuisset,& iuris peritissimũ,accusationẽ facilitauerit,ut Athenis Lycurgus,is magistratus nõ petiuit,sed fuit accusator uehemens, et molestus,ut facile cerneres naturale quoddã stirpis bonum,degenerauisse uitio deprauatæ uoluntatis.Atq; eodem tempore accusator de plebe L.Cæsidenus fuit,quem ego audiui iam senem,cum ab L.Sabelio multam lege aquilia de iustitia petiuisset.Non fecissem hominis pene infimi mentionem,nisi iudicarem qui suspiciosius,aut criminosius diceret,audiuisse me neminẽ.Doctus etiam græcis T. Albitius, uel potius pene græcus (loquor,ut opinor)sed licet ex orationibus in

dicere. Fuit autem Athenis adolescẽs, perfectus Epicureus euaserat, minime aptum ad dicendum genus. Iamq; Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro, nisi quid fieri potest perfectius, eruditus, multæ literæ, summa, non uitæ solum, atq; naturæ, sed orationis etiam comitas, incorrupta quædam latini sermonis integritas, quæ perspici cum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quẽ de cõsulatu, & de rebus gestis suis conscriptum molli, et Xenophõteio genere sermonis misit ad A. Furium poëtam familiarem suum, qui liber nihilo notior est, quàm illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri.

Tum Brutus, mihi quidem nec iste notus est, nec illi, sed hæc mea culpa est. nunquam enim in manus inciderunt. Nũc autem et a` te summam, et conquirã ista posthac curiosius. Fuit igitur in Catulo sermo latinus, quæ laus dicendi nõ mediocris ab oratoribus plerisq; neglecta est. nam de sono uocis, et suauitate appellandarum literarũ, quoniam filium cognouisti, noli expectare quid dicam, quanquam filius quidem non fuit in oratorum numero, sed non deerat ei tamẽ in sententia dicenda cum prudentia, tum elegans quoddam, & eruditum orationis genus. Nec habitus est tamen pater ipse Catulus princeps in numero patronorum, sed erat talis, ut cum quosdã audires, qui tum erant præstantes, uideretur esse inferior. Cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quæreres. Q. Metellus numidicus, & eius collega M. Syllanus dicebant de R. P. quod esset illis uiris, & consulari dignitati satis. M. Aurelius Scaurus, non sæpe dicebat, sed polite, latine uero in primis est eleganter locutus, quæ laus eadẽ in Aulo Albino bene loquẽdi fuit. Namq; flamẽ Albinus etiam in numero est habitus diserторũ. Q. etiã Cæpio uir acer, & fortis, cui fortuna belli, crimini, inuidiæ populi, calamitati fuit. Tum etiam C. L. Memmij fuerunt oratores mediocres, accusatores acres, atq; acerbi. Itaq; in iudiciũ capitis multos uocauerunt, pro reis non sæpe dixerunt. Sp. Torius satis ualuit in populari genere dicendi, is, qui agrũ publicũ uitiosa, et inutili lege, uectigale leuauit. M. Marcellus Esernini pater non ille quidẽ in patronis, sed et in promptis tamen, et non inexercitatis ad dicendũ fuit, ut filius eius P. Lẽtulus. L. etiam Cotta prætorius in mediocriũ oratorum numero, dicendi nõ ita multũ laude processerat, sed de industria, cum uerbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico prosequebatur, atq; imitabatur antiquitatem. Atq; ego & in hoc ipso Cotta, & in alijs pluribus intelligo me nõ ita disertos hoies et retulisse in oratorum numerũ, et relaturum. Est enim propositum colligere eos, qui

hoc munere in ciuitate functi sint, ut tenerent oratorũ locum, quorũ quidem quæ fuerit assensio, et quã in omnibus rebus difficilis optimi pfectio, atq; absolutio, ex eo, quod dicam, existimari potest. Quàm multi enim iam oratores commemorati sunt, & q̃diu in eorũ enumeratione uersamur, cũ tamen spisse, atq; uix, ut dudũ ad Demosthenem, & Hyperidem, sic nũc ad Antoniũ, Crassumq; pucnimus. Nã ego sic existimo hos oratores fuisse maximos, et in his primum cum græcorum gloria, latine dicendi copiã æquatam. Omnia ueniebant Antonio in mentem, eaq; suo quæq; loco, ubi plurimum proficere, et ualere possent, ut ab imperatore equites, pedites, leuis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio, imparatus semper aggredi ad dicendũ uidebatur, sed ita erat paratus, ut iudices illo dicente nonnunq̃ uiderentur non satis parati ad cauendũ fuisse. Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone, itaq; diligenter loquendi laude caruit, neq; tamen est admodũ inquinate locutus, sed illa, quæ proprie laus oratoris est in uerbis, nam ipsum latine loqui est illud quidem (ut paulo ante dixi) in magna laude ponendum, sed non tã sua sponte, quàm quod est à pleriq; neglectum. non enim tam præclarum est scire latine, quã turpe nescire, neq; tam id mihi oratoris boni, quàm ciuis romani proprium uidetur, sed tamen Antonius in uerbis & eligendis, neq; idipsum tam leporis causa, quàm ponderis, & collocandis, & cõprehensione deuincendis, nihil non ad rationem, et tanquam ad artem dirigebat, uerum multo magis hoc idem in sententiarũ ornamentis, et cõformationibus, quo genere quia præstat omnibus Demosthenes, iaircò à doctis oratorũ est princeps iudicatus. σχήματα enim quæ uocant græci, ea maxime ornant oratorem, eaq; non tam in uerbis pingendis habent pondus, quàm in illuminandis sententijs, sed cum hæc magna in Antonio, tum actio singularis, quæ si partienda est in gestũ, atq; uocem, gestus erat nõ uerba exprimens, sed cũ sententijs congruens, manus, humeri, latera, suppplosio pedis, status, incessus, omnisq; motus cum uerbis, sententijsq; consentiens, uox permanens, uerum subraucæ natura, sed hoc uitium huic uni in bonum conuertebat, habebat. n. flebile quiddã in questionibus, aptumq; cum ad fidem faciendã, tum ad misericordiã commouendã, ut uerũ uideretur in hoc illud, qđ Demosthenem ferunt, ei, q̃ quæsiuisset, qd primũ esset in dicendo, actionem, q̃d secũdũ, idem, et idem tertiũ respõdisse. Nulla res magis penetrat ĩ aios, eosq; fingit, format, flectit, talesq; oratores uideri facit, quales ipsi se uideri uolũt. Huic alij parẽ

esse dicebant, alij anteponebant. L. Crassum, illud qdem certe omnes ita iudicabant, nemnem esse, qui horũ alterutro patrono, cuius q̃ ingeniũ requireret. Equidem quanq̃ Antonio tantum tribuo, q̃tum supradixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius, erat summa grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum, & urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos, latine loquendi accurata, & sine molesta diligens elegantia, in differendo mira explicatio, cum de iure ciuili, cum de æquo, et bono disputaretur, argumentorum, & similitudinum copia. Nam ut Antonius coniectura mouenda, aut sedãda suspicione, aut excitanda, incredibilem uim habebat, sic in interpretãdo, in diuidendo, in explicanda æquitate, nihil erat Crasso copiosius, idq; cum sæpe aliâs, tum apud centumuiros in M. Curij causa cognitum est. Ita enim multa tum contra scriptum, pro æquo, & bono dixit, ut hominem acutissimum. Q. Scæuolam, & in iure, in quo illa causa uertebatur, paratissimum, obrueret argumentorum, exemplorumq; copia, atq; ita tum ab his patronis æqualibus, etiam consularibus causa illa dicta est, cum uterq; ex contraria parte ius ciuile defenderet, ut eloquentium iuris peritissimus Crassus, iurisperitorum eloquẽtissimus Scæuola putaretur, qui quidẽ cum peracutus esset ad excogitandum quid in iure, aut in æquo, uerum, aut esset, aut non esset, tum uerbis erat ad rem cum summa breuitate mirabiliter aptus. Quare sit nobis orator in hoc interpretandi, explanandiq;, et differendi genere mirabilis, sic ut simile nihil uiderim. In augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus, quàm admirandus orator. Verum ad Crassum reuertamur. Tum Brutus, etsi satis inquit mihi uidebar haberi cognitum Scæuolã ex ijs rebus, quas audiebã sæpe ex C. Rutilio, quo utebatur propter famliaritatem Scæuolæ nostri, tamen ista mihi eius dicẽdi tãta laus nota nõ erat. Itaq; cæpi uoluptatem tã ornatũ uirum, tamq; excellens ingenium fuisse in nostra rep. Hic ego. Noli inquam Brute existimare his duobus quicquam fuisse in nostra ciuitate præstantius. Nã (ut paulo ante dixi) consultorum alterum disertissimum, disertorum alterũ consultissimum fuisse, sic in reliquis rebus ita dissimiles erant inter seſe, statuere ut tamen non posses, utrius te malles simliorẽ. Crassus erat elegantium parcissimus, Scæuola parcorum elegantissimus. Crassus in summa comitate habebat etiam seueritatis satis, Scæuolæ multa in seueritate non deerat tamen comitas, licet omnia hoc modo, sed uereor, ne fingi uideãtur hæc, ut dicãtur à me, quodammodo res se tamẽ sic habet, cum omnis uirtus sit, ut uestra Brute uetus Academia dixit,

mediocritas,uterq; horum medium quiddam uolebat ſequi,ſed ita cæ debat,ut alter ex alterius laude partem,uterq; autẽ ſuam totam haberet. Tũ Brutus,cũ ex tua oratione mihi uideor inqt bene Craſſum,& Scæuolam cognouiſſe,tum de te, & de Seruio Sulpitio cogitans eſſe quandam uobis cum illis ſimilitudinem iudico. Quonã inquam iſtuc modo? Quia mihi & tu uideris inquit tantũ iuris ciuilis ſcire uoluiſſe,quantum ſatis eſſet oratori,& Seruius eloquentiæ tantum aſſumpſiſſe,ut ius ciuile facile poſſit tueri,ætatesq; ueſtræ, ut illorum,nihil,aut non ferè multum,differunt. Et ego de me inquam dicere nihil eſt neceſſe,de Seruio autem et tu probe dicis,et ego dicam quod ſentio.Non enim facile quem dixerim plus ſtudij,quàm illum,& ad dicendum,et ad omnes bonarum rerũ diſciplinas adhibuiſſe,nam & in iſdẽ exercitationibus ineunte ætate fuimus,et poſtea Rhodum unà ille etiam profectus eſt,quo melior eſſet,& doctior,et inde ut redijt,uidetur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe,quàm in prima ſecundus. Atq; haud ſcio an par principibus eſſe potuiſſet,ſed fortaſſe maluit,id quod eſt adeptus,longe omnium non eiuſdem modo ætatis,ſed eorũ etiam,qui fuiſſent,in iure ciuili eſſe princeps. Hic Brutus ain' tu inquit? etiam'ne Q. Scæuolæ Seruium noſtrum anteponis? Sic enim inquam Brute exiſtimo, iuris ciuilis magnum uſum & apud Scæuolam,et apud multos fuiſſe,artem in hoc uno,quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia,niſi eam præterea didiciſſet artẽ,quæ doceret rem uniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo,obſcuram explanare interpretando, ambiguam primũ uidere,deinde diſtinguere,poſtremo habere regulam,qua uera,et falſa iudicarẽtur,et quæ q̃bus propoſitis eſſent,quæq; non eſſent,cõſequẽtia.Hic.n.attulit hanc artẽ oĩum artiũ maximã, quaſi lucẽ,ad ea,quæ cõfuſe ab alijs aut rñdebantur,aut agebantur. Dialecticã mihi uideris dicere inqt. Recte inq̃ ĩtelligis,ſed adiunxit ẽt et literarũ ſcientiã,et loquendi elegantiã,quæ ex ſcriptis eius, quorũ ſimilia nulla ſunt,facillime p̃ſpici poteſt.Cumq; dicendi cauſa duobus p̃itiſſimis operã dediſſet.L.Lucilio Balbo C.Aq̃lio Gallo,Galli hominis acuti,& exercitati,pr̃optam,et paratam ĩ agendo,et ĩ reſpondẽdo celeritatem ſubtilitate,diligentiaq; ſuperauit.Balbi docti, et eruditi hominis in utraq; re cõſyderatam tarditatem uicit,expediendis,conficiendiſq; rebus,ſic & habet,quod uterque eorum habuit,& expleuit,quod utrique defuit.Itaque ut Craſſus mihi uidetur ſapientius feciſſe,quàm Scæuola,hic enim cauſas ſtudioſe recipiebat, in quibus à Craſſo ſuperabatur, ille ſe conſuli ſolebat,

nequa in re inferior esset, quàm Scæuola, sic Seruius sapientissime, cũ duo ciuiles artes, ac forenses plurimum & laudis haberent, & gratiæ, perfecit, ut altera præstaret omnibus, ex altera tantum assumeret, quantum esset & ad tuendum ius ciuile, & ad obtinendam consularem dignitatem satis. Tum Brutus, ita prorsus inqt & antea putabam. Audiui enim nuper eum studiose, & frequenter Sam, cum ex eo ius nostrum pontificium, qua ex parte, cum iure ciuili coniunctum esset, uellem cognoscere, & nunc meum iudicium multo magis confirmo testimonio, & iudicio tuo, simul illud gaudeo, quod et æqualitas uestra, & pares honorum gradus, & artiũ, studiorũq; quasi finitima uicinitas, tantum abest ab obtrectatione inuidiæ, quæ solet lacerare plerosq;, uti ea non modo non exulcerare uestram gratiam, sed etiam concaliare uideatur. quali enim te erga illum perspicio, tali illum in te uoluntate, iudicioq; cognoui. Itaq; doleo et illius consilio, & tua uoce populum R. carere tandiu, quod cum per se dolendum est, tum multo magis consyderanti ad quos ista non translata sint, sed nescio quo pacto deuenerint. Hic Atticus dixeram inquit a principio de rep. ut sileremus, itaq; faciamus. nam si isto modo uolumus singulas res desyderare, non modo querendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus. Pergamus ergo inquam ad reliqua & institutum ordinem persequamur. Paratus igitur ueniebat Crassus, expectabatur, audiebatur a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, expectatione dignus uidebatur, non multa iactatio corporis, nõ inclinatio uocis, nulla inambulatio, nõ crebra suppulsio pedis, uehemens et interdum irata, et plena iusti doloris oratio, multæ et cũ grauitate facetiæ, quodq; difficile est, idẽ et pornatus, et pbreuis. Iam in altercando inuenit parem neminẽ. uersatus est in omni fere genere causarum. mature in locum principum oratorũ uenit. Accusauit C. Carbonem eloquentissimum hominem admodũ adolescens, summã ingenij nõ laudẽ modo, sed etiã admirationẽ est consecutus. Defendit postea Liciniã uirginem, cũ annos. XXVII. natus esset, in ea ipsa causa fuit eloquentissimus, orationisq; eius scriptas quasdã partes reliqt. Voluit adolescens in colonia Narbonensi causæ popularis aliqd attingere, eãq; coloniã ut fecit, ipse deducere. Extat in eã legem senior (ut ita dicã) quã ætas illa ferebat oratio. Multæ deinde causæ, sed ita tacitus tribunatus, ut nisi in eo magistratu cœnauisset apud præconẽ Graniũ, idq; nobis bis narrauisset Lucilius, tribunum pl. nesciremus fuisse. Ita prorsus inquit Brutus, Sed ne de Scæuolæ qdẽ tribunatu qcq; audiuisse uideor, et cũ collegã Crassi credo fuisse.

Omnibus quidem alijs inquam in magistratibus, sed tribunus anno post fuit, eoq; in rostris sedente suasit Seruiliam legem Crassus. Nam censurã sine Scæuola gessit, eum enim magistratum nemo unquam Scæuolarũ petiuit, sed hæc Crassi cum edita oratio est, quam te sæpe legisse certo scio, quatuor, et triginta tum habebat annos, totidemq; annis mihi ætate præstabat. His enim consulibus eã legem suasit, quibus nati sumus, cum ipse esset. Q. Cæpione cons. natus, & C. Lælio, triennio ipso minor, quàm Antonius, quod iccirco posui, ut dicendi latine, prima maturitas, in qua ætate extitisset, posset notari, & intelligeretur iam ad summum pene esse pductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure ciuili, ab historia fuisset instructior. Erit inquit M. Brutus, aut iam est iste, quẽ expectas. Nescio inquam, sed est etiam L. Crassi in consulatu, pro Q. Cæpione defensione iuncta, non breuis, ut laudatio, ut oratio autem, breuis, postrema censoris oratio, qua anno duodequinquagesimo usus est. In his omnibus inest quidam sine ullo fuco ueritatis color, quinetiam cõprehensio, & ambitus ille uerborum (si sic periodum appellari placet) erat apud illũ contractus & breuis, & in membra quædã, quæ κῶλα græci uocant, dispertiebat orationẽ lubentius. Hoc loco Brutus, Quandoquidem tu istos oratores inquit tantopere laudas, uellem aliquid Antonio præter illũ de ratione dicendi, sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere, cũ enim omnibus memoriã sui, tum etiam disciplinam dicendi nobis reliquisset. Nam Scæuolæ dicendi elegantiam satis ex ijs orationibus, quas reliquit, habemus cognitã. Et ego mihi quidẽ a pueritia quasi magistra fuit inquam illa in legẽ Cæpionis oratio, in qua et authoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur, et inuidia concitatur in iudicũ, & in accusatorũ factionem, contra quorũ potentiam populariter tum dicendũ fuit, multa in illa oratione grauiter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt, plura etiã dicta, quàm scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis intelligi potest. Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerũ, & orationis commentarium paulo plenius. Nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita maioribus. Et uero fuit in hoc et popularis dictio excellens. Antonij genus dicendi multo aptius iudicijs, quàm concionibus. hoc loco ipsum Domitium non relinquo. nam etsi non fuit in oratorũ numero, tamen pono satis in eo fuisse orationis, atq; ingenij, quo & magistratus personam, & consularem dignitatem tueretur, quod idem de C. Cælio di-

xerim, industriã in eo summam fuisse, summasq; uirtutes, eloquẽtiæ tantum, quod esset in rebus priuatis amicis eius, in rep. ipsius dignitati satis. Eodẽ tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus latine, et diligenter loquentibus numeratus est, qui tamen summa nobilitate hominem cognatione, sodalitate, collegio, summa etiã eloquentia L. Philippum in consulatus petitione superauit. Eodem tempore C. Clodius, & si propter summã nobilitatẽ, & singularẽ potentiã magnus erat, tamen etiã eloquentiæ quandã mediocritatem afferebat. Eius dẽ ferè temporis fuit eques romanus. C. Titius, q meo iudicio, eò puenisse uidetur, quo potuit ferè latinus orator sine græcis literis, et sine multo usu puenire. Huius orationes tantum argutiarũ, tantum exẽplorum, tantum urbanitatis habent, ut penè attico stylo scriptæ esse uideãtur. Easdem argutias in tragœdias, satis qdem ille acute, sed parum tragicæ transtulit, quem studebat imitari L. Afranius poëta, homo pargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus. Fuit etiã Q. Rubrius Varro, qui a senatu hostis, cum C. Mario iudicatus est, acer, et uehemens accusator. In eo genere sanè probabilis, doctus autem græcis literis, propinquus noster, factus ad dicendũ M. Gratidius M. Antonij perfamiliaris, cuius perfectus, cum esset in Cilicia, est interfectus, q accusauit C. Fimbriam M. Marij Gratidiani patrẽ. atq; etiã apud socios, & latinos oratores habiti sunt, Q. Vectius Vectianus è Marsis, quem ipse cognoui, prudens uir, & in dicendo breuis. Q. D. Valerij Sorani uicini, et familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quàm docti et græcis literis, & latinis. C. Rusticellus Bononiẽsis, is qdem et exercitatus, et natura uolubilis. Omniũ autẽ eloquẽtissimus extra hanc urbẽ T. Betutius Barrus Asculanus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitæ. Illa Romæ contra Cæpionem, nobilis sanè, cui orationi Cæpionis ore respondit Aelius, qui scriptitauit orationes multas, orator ipse nunquam fuit. Apud maiores autem nostros uideo disertissimum habitum ex Latio L. Papyriũ fregellanũ T. Gracchi P. F. ferè ætate, eius autem oratio est pro Fregellanis, Colonisq; latinis habita in senatu. Tum Brutus, Quid tu igitur inqt tribus istis externis quasi oratoribus? Quid censes inquã? nisi id quod urbanis, præter unum, quod non est eorũ urbanitate quadã, quasi colorata oratio. Et Brutus, qui est inqt, iste tandem urbanitatis color? Nescio inquam, tantum esse quendam scio. Id tu Brute iam intelliges, cum in Galliam ueneris, audies tu quidem etiam uerba quædam non trita Romæ, sed hæc mutari, dediscíq; possunt. Illud est maius, quod in uocibus nostrorum oratorum recinit quiddã, &

resonat urbanius. Nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiã in cæteris. Ego memini T. Tincam placentinũ hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio præcone dicacitate certare.

Eon' inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso, sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore uernaculo, ut ego iã non mirer, illud Theophrasto accidisse, quod dicatur, cum pcunctaretur ex anicula quadã, quanti aliquid uenderet, & respondisset illa, atq; addidisset, hospes non pote' minoris, tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, cum ætatem ageret Athenis, optime q; loqueretur. Omnium (sicut opinor) in nostris est qdam urbanorum, sicut ille Atticorum sonus, sed domum redeamus, idest ad nostros reuertamur. Duobus igitur summus Crasso, & Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo interuallo tamẽ proximus. Itaq; eum, & si nemo intercedebat, qui se illi anteferret, neq; secundum tamen, neq; tertium dixerim. Nec enim in quadrigis eum secundum numerauerim, aut tertiũ, q uix e' carceribus exierit, cum palmam iam primus acceperit, nec in oratoribus, qui tantum absit a' primo, uix ut in eodem curriculo esse uideatur, sed tamen erant ea in Philippo, quæ qui sine comparatione illorũ spectaret, satis magna diceret, summa libertas in oratione, multæ facetiæ, satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententijs, erat etiam in primis, ut temporibus illis, græcis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo, et maledicto facetus. Horum ætati prope' coniunctus L. Gellius non tam uendibilis orator, quàm ut nescires quid ei deesset, nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandũ, nec romanarum rerũ immemor, & uerbis solutus satis, sed in magnos oratores incaderat eius ætas, multam tamen operã amicis, et utilem præbuit, atq; ita diu uixit, ut multarũ ætatum oratoribus implicaretur, multum etiã in causis uersaretur. I isdem fere' temporibus D. Brutus is, qui consul cum Mamerco fuit, homo & græcis doctus literis, & latinis. Dicebat etiã L. Sapio non imperite, Gneusq; Pompeius Sex. F. aliquem numerũ obtinebat, nam Sex. frater eius præstantissimũ ingeniũ contulerat ad summam iuris ciuilis, & ad pfectam geometriæ, rerũ stoicarũ scientiã. Item in iure, & ante hos M. Brutus, & paulo post eum C. Bilienus homo per se magnus prope' simili ratione, summus euaserat, q; consul factus esset nisi in marianos cõsulatus, et in eas petitionis angustias incidisset. Gn. autem Octauij eloquẽtia, quæ fuerat ante cõsulatũ ignorata, in cõsulatu multis concionibus est uehementer probata, sed ab eis, q tantum in dicentiũ numero

non in oratorũ fuerunt, iam ad oratores reuertamur. Censeo, inquit Atticus, eloquentes enim uidebare, non sedulos uelle cognere.

Festiuitate igitur, et facetijs inquam C. Iulius. L. F. et superioribus, & æqualibus suis omnibus præstitit, oratorq; fuit, minime ille quidem uehemens, sed nemo unquã urbanitate, nemo lepore, nemo suauitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex qbus, sicut ex eiusdẽ tragœdijs, lenitas eius sine neruis perspici potest. Eius æqualis P. Cethegus, cui de rep. satis suppeditabat oratio. totam enim tenebat eã, penitusq; cognorat. Itaq; in senatu consularium authoritatem assequebatur, sed in causis publicis nihil, priuatis satis ueterator uidebatur. Erant in priuatis causis. Q. Lucretius Vispillo & acutus, & iurisperitus, nam Aphilia aptior concionibus, quàm iudicijs. prudẽs etiam T. Annius Velina, & in eius generis causis orator sanè tolerabilis. In eodem genere causarũ multum erat T. Iuuentius, nimis ille qdem lentus in dicendo, et penè frigidus, sed & callidus, & in capiẽdo aduersario uersutus, & præterea nec indoctus, & magna cũ iuris ciuilis intelligentia, cuius auditor P. Orbius meus ferè æqualis, in dicendo non nimis exercitatus, in iure autem ciuili non inferior, quàm magister fuit. Nã T. Ausidius, q uixit ad summam senectutem, uolebat esse similis horũ, eratq; & bonus uir, & innocens, sed dicebat parũ. Nec sanè plus frater eius M. Vergilius, q tribunus pl. L. Syllæ imperatori diẽ dixit. Eius collega P. Magius, in dicendo paulo tamen copiosior. Sed omnium oratorũ, siue rabularum, qui & planè indocti, aut inurbani, aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognouerim, solutissimum in dicendo, & acutissimum iudico nostri ordinis. Q. Sertoriũ, equestris C. Gorgonium. fuit etiã facilis, & expeditus ad dicendũ, & uitæ splendore multo, & ingenio sanè probabili. T. Iunius L. filius tribunitius, quo accusante P. Sextius. Pr. designatus, dãnatus est ambitus, is processisset honoribus longius, nisi semper infirma, atq; etiam ægra ualetudine fuisset. Atque ego præclare intelligo, me in eorũ commemoratione uersari, qui nec habiti sint oratores, neq; fuerint, præteririq; à me aliquot ex ueteribus commemoratione, aut laude dignos, sed hoc quidem ignoratione, qd enim est superioris ætatis, quod scribi possit de ijs, de quibus nulla monimenta loquuntur, nec aliorum, nec ipsorum. De ijs autem, quos ipsi uidimus, neminem ferè prætermittimus eorum, quos aliquando dicentes uidimus. Volo enim sciri in tanta, & tam uetere rep. maximis præmijs eloquentiæ propositis, omnes cupisse dicere, non plurimos ausos esse, potuisse paucos. Ego tamen ita de unoquoq; dicam

ut intelligã

ut intelligi possit, quem existimem clamatorem, quem oratorem fuisse. Iisdem ferè temporibus, ætate inferiores paulo, quàm Iulius, sed æquales propemodum fuerunt C. Cotta. P. Sulpitius. Q. Varius. Cn. Pomponius. C. Curio. L. Fusius. M. Drusus patricius, nec ulla ætate uberior oratorũ fœtus fuit. Ex his Cotta, & Sulpitius cũ meo iudicio, tum omniũ, facile primas tulerunt. Hic Atticus quomodo istuc dicis inquit, cum tuo iudicio, tum omnium? semper'ne in oratore probando, aut improbando uulgi iudicium, cum intelligentium iudicio congruit? An alij probantur multitudine, alij autem ab ijs, qui intelligunt? Recte requiris inquam Attice, sed audies ex me fortasse, quod non omnes probent. An tu ingt adlaborasse huic modo Bruto probaturus es? Planè inquam Attice disputationem hãc de oratore probando, aut improbando multo malim tibi, et Bruto placere, eloquentiam autem meã populo probari uelim. Etenim necesse est, qui ita dicat, ut à multitudine probetur, eundem doctis probari. nã quid in dicẽdo rectum sit, aut prauum ego iudicabo, si modo is sum, qui id possim, aut sciam iudicare, qualis uero sit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi. Tria sunt enim, ut quidẽ ego sentio, quæ sint efficienda dicendo, ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectetur, ut moueatur uehementius, qbus uirtutibus oratoris, horũ quicq; efficiatur, aut quibus uitijs orator aut non assequatur hæc, aut etiam in his labatur, & cadat, artifex aliquis iudicabit. Efficiatur autem ab oratore, necne, ut ij, qui audiunt, ita afficiatur, ut orator uelit, uulgi assensu, et populari approbatione iudicari solet. Itaq; nunquam de bono oratore, aut non bono doctis hominibus cum populo dissensio fuit. An censes, dum illi uiguerunt, quos ante dixi, nõ eosdẽ gradus oratorũ uulgi iudicio, & doctorũ fuisse? De populo siquem ita rogauisses, quis est in hac ciuitate eloquentissimus? in Antonio, & Crasso aut dubitaret, aut hunc alius, illũ alius diceret, nemo'ne Philippum tam suauem oratorem, tam grauem, tam facetum his anteferret? quem nosmetipsi, qui hæc arte aliqua uolumus expendere, proximũ illis fuisse diximus. nemo profecto. id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo uideri. Quare, tibicen Antigenidas dixerit discipulo sanè frigenti ad populum, mihi cane, & musis, Ego huic Bruto dicenti, ut solet, apud multitudinem, mihi cane, et populo mi Brute dixerim, ut qui audient, quid efficiatur, ego etiã cur ita efficiatur, intelligam. Credit ijs, quæ dicuntur, qui audit oratorem, uera putat, assentitur, probat, fidem facit oratio. Tu artifex, quid quæris amplius? delectatur audiens multitudo, & ducitur oratione, et quasi

uoluptate quadam perfunditur, quid habes, quod disputes? gaudet, dolet, ridet, plorat, fauet, odit, contemnit, inuidet, ad misericordiá inducatur, ad pudendũ, ad pigendum, irascatur, miratur, sperat, timet, hæc perinde accidunt, ut eorum, qui adsunt, mentes, uerbis, & sententijs, & actione tractantur. Quid est, quod expectetur docti alicuius sententia? quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est. deniq; hoc specimen est popularis iudicij, in quo nunquam fuit populo cum doctis, intelligentibusq; dissensio. Cum multi essent oratores in uario genere dicendi, quis unquam ex his excellere iudicatus est uulgi iudicio, qui non idem à doctis probaretur? Quando autem dubiũ fuisset apud patres nostros eligendi, cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut Crassum. Aderant multi alij, tamẽ utrũ de his potius, dubitasset aliquis, quin alterum, nemo. Quid adolescẽtibus nobis, cum esset Cotta, & Hortensius, num quis, cui quidem eligendi potestas esset, quenquam his anteponebat? Tũ brutus, Quid tu inquit quæris alios? de te ipso, non nequid optarent rei, quid ipse Hortensius iudicaret, uidebamus? qui cum partiretur tecum causas (sæpe enim interfui) perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem inquam, et mihi beneuolentia credo ductus tribuebat omnia. Sed ego quæ de me populi sit opinio, nescio, de reliquis hoc affirmo, qui uulgi opinione disertissimi habiti sint, eosdem intelligentium quoq; iudicio fuisse probatissimos. Nec enim posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum clarum poëtam ferunt, qui, cũ conuocatis auditoribus legeret, eis magnum illud, quod nouistis, uolumen suum, & eum legentem omnes præter Platonem reliquissent, legam inquit nihilo minus, Plato enim mihi unus instar est omnium, me illum, & recte. Poema enim recondítum paucorũ approbatione, oratio popularis ad sensum uulgi debet moueri. At si eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demosthenes, cum esset relictus à cæteris, uerbum facere non posset. Quid tu Brute posses? si te ut Curionem quendam concio reliquisset?

Ego uero inquit ille, ut me tibi indicem, in eis etiã causis, in quibus omnis res nobis cum iudicibus est, non cum populo, tamẽ si à corona relictus sim, non queam dicere. Ita se inquam res habet, ut si tibiæ inflatæ non referant sonum, abijciendas eas sibi tibicen putet. Sic oratori populi aures tanquam tibiæ sunt, eæ si inflatum nõ recipiũt, aut si auditor omnino tanquam equus non facit, agitandi finis faciẽdus est. Hoc tamen interest, quod uulgus interdum non probandum oratorem probat, sed probat sine comparatione, cũ à mediocri, aut

etiam

etiam à malo delectatur, eo est contentus, esse melius non sentit, illud quod est, qualecunq; est, probat. Tenet enim aures uel mediocris orator, sit modo aliquid in eo, nec res ulla plus apud animos hominum, quàm ordo, & ornatus orationis ualet. Quare quis ex populo cum Q. Scæuolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea causa, de qua ante dixi, quicquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut expectaret, aut posse fieri putaret? Cum is hoc probare uellet M. Curiũ, cum ita hæres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset, quã in suam tutelam uenisset, pupillo non nato hæredem esse non posse. Quid ille nõ dixit de testamentorũ iure, de antiquis formulis? quẽadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato hæres institueretur. Quàm captiosum esse populo, quod scriptum esset negligi, & opinione quæri uoluntates, & interpretatione diserторum scripta simplicium hominum peruertere, quàm ille multa de authoritate patris sui, qui semper ius illud esse defenderat? quàm omnino multa de cõseruando iure ciuili, quæ quidem omnia cum perite, & scienter, tum ita breuiter, & presse, & satis ornate, et pereleganter diceret, qs esset in populo, qui aut expectaret, aut fieri posse quicquam melius putaret? At uero ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamq; rem ædificare nauem cõcupiuisset, exorsus est, similiter Scæuolam ex uno scalmo captionis centumuirale iudicium hæreditatis effecisse, hoc in illo initio consecutus, multis eiusdem generis sententijs delectauit, animosq; omnium, qui aderant, in hilaritatem à seueritate traduxit, quod est unum ex tribus, quæ dixi ab oratore effici debere, deinde hoc uoluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam ueniret, siue non natus, siue ante mortuus, Curius hæres ut esset, ita scribere pleroſq;, et id ualere, et ualuisse semper. Hæc, & multa eiusmodi dicens fidem faciebat, quod est ex tribus oratoris officijs alterum. deinde æquum bonum testamentorũ sententias, uolũtatesq; tutatus est, quanta esset in uerbis captio cũ in cæteris rebus, tum in testamentis, si negligerentur uolũtates, quantam sibi potentiã Scæuola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea, nisi de illius sententia, hæc cum grauiter, tum ab exemplis copiose, tum uarie, tum etiam ridicule, & facete explicans, eam admirationem, assensionemq; commouit, dixisse ut contra nemo uideretur, hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum. Hic ille de populo iudex, qui separatim alterum admiratus esset, idem audito altero, iudiciũ suũ contẽneret. At uero intelligens, et doctus, audiẽs Scæuo-

lă, sentiret esse quoddă uberius dicendi genus, & ornatius, ab utroq; autem causa perorata, si quæreretur uter præstaret orator, nunquam profecto sapientis iudiciu à iudicio uulgi discreparet. Qui præstat igitur intelligens imperitoꝝ magna re, & difficili, siquidem magnum est scire quibus rebus efficiatur, amittatur'ue dicendo illud, quicquid est, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti nõ oportet. Præstat etiá illo doctus auditor indocto, quod sæpe, cum oratores duo, aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum sit, intelligit. Nam illud, quod populo non probatur, ne intelligenti qdem auditori probari potest. Vt enim ex neruorum sono in fidibus, quàm sæpe ter ei pulsi sint, intelligi solet, sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator. Itaq; intelligens dicendi existimator non assidens, & attente audiens, sed uno aspectu, & præteriens de oratore sæpe iudicat. Videt oscitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas quæsitorẽ, ut dimittat rogantem, intelligit oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis iudicum admoucre orationẽ, tanquam fidibus manũ. Idem si præteriens aspexerit, erectos intuentes iudices, ut aut doceri de re, idq; etiã uultu probare uidcantur, aut ut auem cantu aliquo, sic illos uiderit oratione quasi suspensos teneri, aut id quod maxime opus est, misericordia, odio, motu animi aliquo pturbatos esse uchementius, ea si præteriens (ut dixi) aspexerit, si nihil audierit, tamen oratorem uersari in illo iudicio, & opus oratoriũ fieri, aut pfectum iam esse, profecto intelliget. Cum hæc disseruissem, uterq; assensus est, et ego tanq; de integro ordiens, Quando igitur inquam à Cotta, et Sulpitio hæc omnis fluxit oratio, cum hos maxime iudicio illorũ hominum, & illius ætatis dixissem probatos, reuertar ad eos ipsos, tum reliquos, ut instituí, deinceps pſequar. Quoniam ergo oratorũ bonorũ (hos enim quærimus) duo genera sunt. unum attenuate, pressẽq;. alterum sublate, ampleq; dicentium, etsi id melius est, quod splendidius, & magnificentius, tamen in bonis, omnia, uæ summa sunt, iure laudantur, sed cauenda est presso illi oratori, inopia, & ieiunitas. Amplo autem, inflatum, & corruptum orationis genus. Inueniebat igitur acute Cotta, dicebat pure, ac solute, et ut ad infirmitatem laterũ perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad uiriũ imbecillitatem dicẽdi accommodabat genus. Nihil erat in eius oratione, nisi syncerum, nihil nisi siccum, atq; sanum, illudq; maximum, quod cum contẽtione orationis flectere animos iudicum uix posset, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent à se commoti,

commoti, quod a Sulpitio concitati. Fuit enim Sulpitius uel maxime omnium, quos quidem ego audiuerim, grandis, & (ut ita dicam) tragicus orator. Vox cum magna, tum suauis, & splendida, gestus, & motus corporis ita uenustus, ut tamen ad forũ, non ad scenam institutus uideretur. Incitata, & uolubilis, nec ea redundans tamen, nec ar cunfluens oratio. Crassum hic uolebat imitari, Cotta malebat Antonium, sed ab hoc uis aberat Antonij, Crassi ab illo lepos. O magnam inquit artem Brutus, siquidem istis, cum summi essent oratores, duæ res maximæ altera alteri defuit. Atq; in his oratoribus illud animaduertendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimules. Nihil enim tam dissimule, quàm Cotta Sulpitio, & uterq; æqualibus suis plurimũ præstitit. Quare hoc doctoris intelligentis est, uidere quo ferat natura sua quenq;, & ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. Sulpitij orationes quæ feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Canutius putatur æqualis meus, homo extra nostrum ordinem, meo iudicio disertissimus. Ipsius Sulpitij nulla oratio est, sæpéq; ex eo audiui, cum se scribere, neque consueuisse, neque posse diceret. Cottæ pro se lege Varia, quæ inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottæ rogatu. Fuit is omnino uir egregius, et eques romanus cum primis honestus, idemq; eruditissimus & græcis literis, et latinis, antiquitatisq; nostræ, et inuentis rebus et in actis, scriptorumq; ueterum literate peritus, quã scientiã Varro noster acceptam ab illo, auctamq; per sese uir ingenio præstans, omniq; doctrina, pluribus, & illustrioribus literis explicauit, sed idem Aelius stoicus esse uoluit, orator autẽ nec studuit unq̃, nec fuit, scribebat tamen orationes, quas alij dicerẽt, ut Q. Metello. F. ut Q. Cæpioni, ut Q. Pompeio Rufo, q̃q̃ is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed nõ sine Aelio. His enim scriptis etiam ipse interfui, cũ essem apud Aelium adolescens, eumq; audire perstudiose solerẽ. Cottam autem miror summũ ipsum oratorẽ, minimeq; ineptum, ælianas leues orationculas, uoluisse existimari suas. His duobus eiusdem ætatis annumerabatur nemo tertius, sed mihi placebat Põponius maxime, uel dicã minime displicebat. locus erat omnino in maximis causis præter eos, de quibus supra dixi, nemini, propterea quod Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in causis recipiendis erat, fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat, horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum ferè, aut Cæsarem, Cotta, Sulpitius expetebantur, ita ab ijs sex patronis causæ illustres agebantur, neque tam

multa, quàm nostra ætate iudicia fiebant, neq; hoc, quod nũc fit, ut causæ singulæ defenderentur à pluribus, quo nihil est uitiosius. Respondemus ijs, quos non audiuimus, in quo primum sæpe aliter est dictum, aliter ad nos relatum, deinde magni interest coràm uidere me, quemadmodũ aduersarius de quaque re asseueret, maxime aũt quemadmodum quæque res audiatur, sed nihil uitiosius, quàm cũ unũ corpus debeat esse defensionis, nasci de integro causam, cum sit ab altero perorata. Omnium enim causarum, unũ est naturale principium, una peroratio, reliquæ partes, quasi membra suo quæque loco locata, suã uim, & dignitatem tenent. Cum autem difficile sit in lõga oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conueniat, quanto difficilius cauere, nequid dicas, quod non conueniat eius orationi, qui ante te dixerit. sed quia et labor multo maior est totam causam, quàm partem dicere, & quia plures ineuntur gratiæ, si uno tempore dicas pro pluribus, ideirco hanc consuetudinem lubenter asciuimus. Erant tamen quibus uideretur illius ætatis tertius Curio, qa splendidioribus fortasse uerbis utebatur, et quia latine nõ possime loquebatur, usu credo aliquo domestico, nam literarum admodum nihil sciebat. sed magni interest, quos quisq; audiat quotidie dom, quibus cũ loquatur à puero, quẽadmodũ patres, pædagogi, matres etiã loquantur. Legimus epistolas Corneliæ matris Gracchorum, apparet filios nõ tam in gremio educatos, quàm in sermone matris. Auditus est nobis Læliæ Caij filiæ sæpe sermo. ergo illam patris elegantia tinctam uidimus, & filias eius Mutias ambas, quarũ sermo mihi fuit notus, & neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc uero Scipionis etiã tu Brute credo aliquãdo audisti loquentem. Ego uero ac lubenter quidẽ inqt Brutus, & eo lubentius, quod L. Crassi erat filia. Quid Crassum inquã illum censes istius Liciniæ filiũ, Crassi testamento qui fuit adoptatus? Summo iste qdem dicitur ingenio fuisse inquit. Et uero hic Scipio collega meus, mihi sane bene & loqui uidetur, & dicere. Recte inquã iudicas Brute. Etenim istius genus est ex ipsius sapientiæ stirpe generatum. Nam & de duobus auis iã diximus, Scipione, & Crasso, & de tribus proauis, Q. Metello, cuius quatuor filij, P. Scipione, qui ex domnatu T. Gracchi priuatus in libertatem rẽp. uindicauit, Q. Scæuola augure, qui peritissimus iuris, idemq; percomis est habitus. Iã duorum abauorũ quàm est illustre nomen P. Scipionis, qui bis cõsul fuit qui est Corculum dictus, alterius omnium sapientissimi C. Lælij. O generosam inquit stirpem, & tanquam in unam arborẽ plura genera, sic in istam domũ multorum

torum insitam, atq; illuminatam sapientiam. Similiter igitur suspi
cor (ut conferamus parua magnis) Curionis, et si pupillus relictus est,
patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum, et eo magis
hoc iudico, quod nemunem ex ijs qdē, qui aliquo in numero fuerūt,
cognoui in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam ru
dem. Nullum ille poëtam nouerat, nullum legerat oratorem, nullam
memoriā antiquitatis collegerat, non publicum ius, non priuatum, et
cuile cognouerat, quanq̄ id qdem fuit etiā in alijs, & magnis qdē
oratoribus, quos parum his instructos artibus uidimus, ut Sulpitiū,
ut Antoniū. Sed ij tamen unū illud habebāt dicendi opus elaboratū,
idq; cum constaret ex quinq; notissimis partibus, nemo i aliqua par
te earū omnino nihil poterat. In quacūq; n. una plane claudicaret,
orator esse non posset, sed tamen alius i alia excellebat, magis repe=
riebat qd dicā opus esset, et quomodo præpararē, et quo loco locari,
memoriaq; ea comprehendebat Antonius, excellebat autem actione,
erantq; ei quædā ex his paria cum Crasso, quædam etiam superio
ra. At Crassi magis enitebat oratio, nec uero Sulpitio, neq; Cottæ di
cere possumus, neq; cuiq̄ bono oratori rē ullā ex illis qnq; partibus
plane, atq; omno defuisse. Itaq; i Curione hoc uerissime iudicari pōt,
nulla re una magis oratorē commendari, quā uerborū splendore, et
copia. Nā cum tardus in cogitando, tū in instruendo dissipatus fuit.
Reliqua duo sunt, agere, et meminisse, in utroq; cachinnos irridentiū
commouebat. Motus erat is, quem et C. Iulius in perpetuū notauit,
cum ex eo in utranq; partē toto corpore uacillante quæsiuit, qs loque
retur e lintre. et Cn. Sicinius homo īpurus, sed admodū ridiculus,
neq; aliud i eo oratoris simle qcq̄. Is, cū tribunus pl. Curionem, &
Octauiū Coss. produxisset, Curioq; multa dixisset sedente Cn. Octa=
uio collega, qui deuinctus erat fasciis, et multis medicamentis propter
dolorem artuum delibutus, nunquam inquit Octaui collegæ tuo
gratiam referes, qui nisi se suo more iactauisset, hodie te istic mu=
scæ comedissent. Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria
cum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. qui
in iudicio priuato, uel maximo, cum ego pro Ticinia Cottæ perora=
uissem, ille contra me pro Seruio Næuio diceret, subito totam causam
oblitus est, idq; ueneficijs, & cantionibus Ticiniæ factum esse dice=
bat. Magna hæc immemoris ingenij signa, sed nihil turpius, quàm
quod etiam in scriptis obliuiscebatur, quid paulo ante posuisset, ut
in eo libro, ubi se exeuntem è senatu, & cum Pansa nostro, &
cum Curione filio colloquentem facit, cum senatum Cæsar Cons.

habuisset, omnisq; ille sermo ductus è percunctatione filij, quid in senatu esset actum. In quo multis uerbis cum inuehereturin Cæsarẽ Curio, disputatioq; esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum, cum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Cæsar cons. habuisset, reprehendit eas res, quas idem Cæsar anno post, & deinceps reliquis annis administrauisset in Gallia. Tum Brutus admirans, tantam'ne fuisse obliuionem inq̃t in scripto præsertim, ut ne legens quidem unquam senserit, quantum flagitij commisisset? Quid autem inq̃ Brute stultius, q̃ si ea uituperare uolebat, quæ uituperauit, nõ eo tẽpore instituere sermonẽ, cum illarũ rerũ iã tempora præteriissent? Sed ita totus errat, ut in eodem sermone dicat in senatu se Cæsare cõsule non adesse, sed id dicat ipso Cons. exiens è senatu. Iam q̃ hac parte animi, quæ custos est cæterarũ ingenij partiũ, tam debilis esset, ut ne in scripto quidem meminisset quid paulo ante posuisset, huic mi nime mirum est, ex tempore dicenti solitam effluere mentem. Itaq; cũ ei nec officiũ deesset, & flagraret studio dicendi, per paucæ ad eum causæ deferebãtur. Orator autẽ uiuis eius æqualibus proximus optimis numerabatur, propter uerborũ bonitatem, ut ante dixi, et expeditam, ac profluẽtem quodã modo cæleritatẽ. Itaq; eius orationes aspiciendas tamen cẽseo, sunt illæ q̃dẽ languidiores, uerũtamen possunt augere, & quasi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuisse cõcedimus, quod habet tantam uim, ut solum sine alijs in Curione speciẽ oratoris alicuius effecerit. Sed ad instituta redeamus. In codẽ igitur numero eiusdẽ ætatis C. Carbo fuit illius eloquentissimi uiri filius, nõ satis acutus orator, sed tamen orator numeratus est. Erat in uerbis grauitas, & facile dicebat, & authoritatem naturalem quandã habebat oratio. Acutior Q. Varius rebus inueniendis, nec minus uerbis expeditus, fortis uero actor, & uehemens, et uerbis nec inops, nec abiectus, et quẽ planè oratorẽ dicere auderes Cn. Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, crimnosus. Multũ ab ijs aberat L. Fusius, tamen ex accusatione M. Aquilij diligentiæ fructũ ceperat. Nam M. Drusum tuũ magnũ auunculum, grauẽ oratorem, ita dũtaxat cum de rep. diceret. L. autem Lucullũ etiã acutum, patrem'q; tuũ Brute, iuris quoq; et publici, et priuati sanè peritũ M. Lucullum. M. Octauiũ Cn. filios, q̃ tantum authoritate, dicendoq; ualuit, ut legẽ semproniã frumẽtariã populi frequentis suffragijs abroguerit. Cn. Octauiũ M. filiũ. M. Catonem patrẽ Q. etiam Catulũ filiũ aboducamus ex acie, idest à iudicijs, et in præsidijs reip. cui facile satisfacere possint, collocemus. Eodẽ Q. Cæpionẽ referrem, nisi nimis

equestri

equestri ordini deditus, à senatu dissedisset. Cn. Carbonem. M. Marium, & ex codē genere complures minime dignos elegantis conuentus auribus, aptissimos cognoui turbulentis concionibus. quo in genere (ut in ijs perturb m ætatum ordinem) nuper L. Quintius fuit, aptior autem etiam Valicanus auribus imperitorum. Et quoniam huius generis facta mentio est, seditiosorum omniū post Gracchos L. Apuleius saturninus eloquentissimus uisus est, magis specie tamen, & motu, atq; ipso amictu capiebat homines, quàm aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ. Longe autem post natos homines improbissimus C. Seruilius Glaucia, sed peracutus, et callidus, in primisq; ridiculus. Is ex summus & fortunæ, & uitæ sordibus in prætura cōs. factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. Nā et plebem tenebat, et equestrū ordinem beneficio legis deuinxerat. Is prætor eodem die, quo Saturninus tribunus pl. Mario, et Flacco coss. publicè est interfectus, homo simillimus Atheniensis Hyperboli, cuius improbitatem ueteres Atticorum comœdiæ notauerūt. Quos Sex. Tityus consecutus, homo loquax sanè, et satis acutus, sed tam solutus, & mollis in gestu, ut saltatio quædā nascēretur, cui saltationi Tityus nomen esset. Ita cauendū est, nequid in agendo, dicendo'ue facias, cuius imitatio rideatur. Sed ad paulo superiorē ætatem reuecti sumus, nūc ad eā, de qua aliquantum locuti sumus, reuertamur. Cōiunctus igitur Sulpitij ætati P. Antistius fuit rabula sanè probabilis, q multos cū tacuisset annos, neq; contemni solū, sed irrideri etiā solitus esset, in tribunatu primum contra C. Iulij illam consulatus petitionē extraordinariam, uerā causam agens est probatus, & eo magis, quod eandem causam cum ageret, eius collega ille ipse Sulpitius, hic plura, et acutiora dicebat. Itaq; post tribunatum primo multæ ad eum causæ, deinde omnes, maximæ quæcunq; erant, deferebantur. Rem uidebat acute, componebat diligenter, memoria ualebat. uerbis non illequidem ornatis utebatur, sed tamen non abiectis. Expedita autem erat, & perfacile currens oratio, & erat eius quidē tanquam habitus non inurbanus. Actio paulum cum uitio uocis, tum etiā ineptijs claudicabat. Hic temporibus floruit ijs, quibus inter profectionē, reditumq; L. Syllæ sine iure fuit, & sine ulla dignitate resp. hoc etiā autem magis probabatur, quod erat ab oratoribus quædam in foro solitudo, Sulpitius occiderat, Cotta aberat, & Curio, uiuebat è reliqs patronis eius ætatis nemo præter Carbonē, & Pomponium, quorum utrunq; facile superabat. Inferioris autem ætatis erat proximus L. Sisenna doctus uir, & studijs optimis deditus, benè latine loquē,

gnarus reip. nõ ſine facetijs, ſed neq; laboris multi, nec ſatis uerſatus i cauſis, interiectuſq; inter duas ætates Hortenſij, et Sulpitij, nec maiores cõſequi poterat, et minori necæſſe erat cedere. Huius omnis facultas ex hiſtoria ipſius perſpici poteſt, quæ cum facile oẽs uincat ſuperiores, tum indicat tamen quantũ abſit a' ſummo, quãq; genus hoc ſcriptionis non dum ſit ſatis latinis literis illuſtratum. nam Q. Hortenſij admodum adoleſcentis ingenium, ut Phidiæ ſignum, ſimul aſpectum, et probatum eſt. Is L. Craſſo. Q. Scæuola Coss. primum in foro dixit, & apud hos quidem conſules, et cum eorũ, qui affuerũt, tum ipſorum conſulum, qui omneis intelligentia anteibant, iudicio diſceſſit probatus. undeuiginti annos natus erat eo tempore. Eſt autem L. Paulo. C. Marcello cõss. mortuus, ex quo uidemus eũ in patronorum numero annos quatuor, et XL. fuiſſe. hoc de oratore, paulo poſt plura dicemus. Hoc autem loco uoluimus ætatem in diſparem oratorum ætatem includere, quanquã id quidem omnibus uſu uenire neceſſe fuit, quibus paulo longior uita contigit, ut et cum multo maioribus natu, quã eſſent ipſi, et cum aliquanto minoribus cõpararentur. ut Aaius ijſdem ædilibus ait ſe, et Pacuuium docuiſſe fabulam, cum ille octuaginta, ipſe triginta annos natus eſſet. Sic Hortenſius non cũ ſuis æqualibus ſolum, ſed et mea cum ætate, et cum tua Brute, et cum aliquanto ſuperiore coniungitur. Siquidem et Craſſo uiuo dicere ſolebat, et magis iam etiã uigebat Antonio, & cum Philippo iam ſene pro Cn. Pompeij bonis dicente, in illa cauſa adoleſcens cum eſſet, princeps fuit, et in eorum, quos in Sulpitij ætate poſui, numerũ facile peruenerat, et ſuos inter æquales. M. Piſonem. M. Craſſum. Cn. Lentulum. P. Lentulum Surram longe præſtitit, et me adoleſcentem nactus octo annis minorem, quã erat ipſe, multos annos in ſtudio eiuſdem laudis exercuit, et tecum ſimul, ſicut ego pro multis, ſic ille pro Appio Claudio dixit, paulo ante mortem. Vides igitur, ut ad te oratorem Brute peruenerimus, tam multis inter noſtrum, tuumq; initium dicẽdi interpoſitis oratoribus, ex quibus quoniam in hoc ſermone noſtro ſtatui neminem eorũ, qui uiuerent, nominare, ne uos curioſius eligeretis ex me quid de quoq; iudicarem, eos, qui iam ſunt mortui, nominabo. Tum Brutus, non eſt inquit iſta cauſa, quã dicas, quãobrem de ijs, qui uiuunt, nihil uelis dicere. Quænam igitur inquam eſt? Vereri te inquit arbitror, ne p nos hic ſermo tuus emanet, et ij tibi ſuccenſeant, quos præterieris. Quid uos inquam tacere no poteritis? Nos quidem inquit facillime, ſed tamen te arbitror malle ipſum tacere, quam taciturnitatem noſtram experiri. Tum ego, ue-

re inquam tibi Brute *dicam, nõ me existimaui in hoc sermone usque ad hanc ætatem esse uenturum, sed ita traxit ordo ætatum oratiõẽ, ut iam ad minores etiã peruenerim.* Interpone igitur inquit, *si quos uidetur, deinde redeamus ad te, & ad* Hortensium. Immo uero *mq̃ ad* Hortensiũ, *de me alij dicent, siq uolent.* Minime uero *mq̃*, *ná etsi me facile omni tuo sermone tenuisti, tamen is mihi longior uidetur, quod propero audire de te, nec uero tã de uirtutibus dicendi tuis, quæ cum omnibus, tum certe mihi notissimæ sunt, quàm quod gradus tuos, & quasi processus dicendi studeo cognoscere.* Geretur *inquã tibi mos, quoniam me non ingenij prædicaturem esse uis, sed laboris mei.* Verum *interponam, ut placet, alios, & à* M. Crasso, *q fuit æqualis* Hortensij *exordiar.* Is *igitur mediocriter à doctrina instructus, angustius etiã à natura, labore, & industria, & quod adhibebat ad obtinendas causas, curam etiam, & gratiã, in principibus patronis aliquod annos fuit.* In *huius oratione sermo latinus erat, uerba non abiecta, res compositæ diligenter, nullus flos tamẽ, neq; lumen ullũ, animi magna, uocis parua contentio, omnia fere ut similiter, atq; uno modo dicerentur.* Nam *huius æqualis, & inimicus* C. Fimbria *non ita diu iactare se potuit, qui omnia magna uoce dicens, uerborũ sane bonorum cursu quodam instato, ita furebat tamen, ut mirarer tam alias res agere populũ, ut esset insano inter disertos locus.* Cn. *autẽ* Lentulus *multo maiorem opinionem dicendi, actione faciebat, quàm quanta in eo facultas erat, qui cũ esset nec peracutus, q̃q̃ ex facie, & ex uultu uidebatur, nec abundans uerbis, & si fallebat in eo ipso, sic iteruallis, exclamationibus, uoce suaui, & canora, admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, quæ deerant, nõ desyderarẽtur.* Ita *tanquã* Curio *copia nonnulla uerborũ, nullo alio bono tenuit oratorum locum, sic* Lentulus *cæterarum uirtutum dicendi mediocritatem, actione occultauit, in qua excellens fuit.* Neq; *multo secus* P. Lentulus, *cuius & excogitandi, & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus & artis, & uenustatis, uocis, & suauitas, & magnitudo, sic in hoc nihil præter actionem fuit.* Cætera *etiam minora, quàm in superiore.* M. Piso *quicquid habuit, habuit ex disciplina, maximéq; ex omnibus, qui ante fuerunt, græcis doctrinis eruditus fuit.* Habuit *à natura genus quoddam acumunis, quod etiam arte limauerat, quod erat in reprehendendis uerbis uersutum, et solers, sed sæpe ste macho sum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum.* Is *laborẽ quasi cursum forensem diutius nõ tulit, q̃ et corpore erat infirmo, et hominum ineptias, ac stultitias, quæ*

deuorandæ nobis sunt, non ferebat, iracundiusq; respuebat, siue moroſe, ut putabatur, siue ingenuo, liberoq; fastidio. Is, cum satis floruisset adolescens, minor haberi est cœptus postea, deinde ex uirginum iudicio magnam laudem est adeptus, et ex eo tempore, quasi reuocatus in cursum, tenuit locum tandiu, quàm ferre potuit laborem, postea quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. P. Murena mediocri ingenio, sed magno studio rerum, ueterum literarum & studioſus, et non imperitus, multæ industriæ, & magni laboris fuit. C. Censorinus græcis literis satis doctus, quod proposuerat explicans expedite; non inuenustus actor, sed iners, & inimicus fori. L. Turius paruo ingenio, sed multo labore quoquo modo poterat, sæpe dicebat. Itaq; et paucæ centuriæ ad consulatum defuerunt. C. Macer authoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodũ diligentissimus, huius si uita, si mores, si uultus deniq; non omnem commendationem ingenij euerteret, maius nomen in patronis fuisset, non erat abundans, nõ inops tamen, non ualde nitens, non plane horrida oratio, uox, gestus, & omnis actio sine lepore, at in inueniendis, cõponendisq; rebus mira accuratio, ut nõ facile in ullo diligentiorẽ, maiorẽq; cognouerim, sed eam ut citius ueteratoriam, quàm oratoriam dicères. hic si etiã in publicis causis probabatur, tamen in priuatis illustriorẽ obtinebat locum. C. deinde Piso, statarius, & sermonis plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando, ueruntamen multu, & simulatione, multo etiam cautior, quàm erat, uidebatur. Nam eius æqualẽ M. Glabrionẽ bene institutũ aui Scæuolæ diligẽtia, socors ipsius natura, negligensq; tardauerat. Etiam L. Torquatus elegans in dicendo, in existimando admodũ prudẽs, toto genere purbanus. Meus autem æqualis, Gn. Pompeius uir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. erat oratione satis amplus, rẽ prudenter uidebat, actio uero eius habebat & in uocę magnum splendorem, & in motu summam dignitatem. Noster item æqualis D. Syllanus uictricus tuus, studij ille quidem habuit non multum, sed acumnis, & orationis satis. Q. Pompeius. A. F. qui Bithynicus dictus est, biennio quàm nos fortasse maior, summo studio dicendi, multaq; doctrina, incredibili labore, atq; industria, quod scire possum, fuit enim mecum, & cum M. Pisone, cum amicitia, tum studijs, exercitationibusq; coniunctus, huius actio non satis commendabat orationem, in hac enim satis erat copiæ, in illa autem leporis parum. Erat eius æqualis P. Antronius uocę peracuta, atque magna, nec alia re ulla probabilis.

Et L. Octauius Reatinus, qui, cum multas iam causas diceret, adole-
scens est mortuus, is tamen ad dicẽdũ ueniebat magis audacter, quàm
parate. Et C. Staienus, qui se ipse adoptauerat, et de Staieno Aelium
fecerat, feruido quodam, & petulanti, & furioso genere dicẽdi, quod
quia multis gratum erat, & probabatur, ascendisset ad honores, nisi
in facinore manifesto deprehensus, pœnas legibus, et iudicio dedisset.
Eodem tempore C. L. Cæpasij fratres fuerunt, q̃ multa opera ignoti
homines, & repẽtini, quæstores celeriter facti sunt, oppidano quodã,
& incondito genere dicendi. Addamus huc etiam, nequem uocalẽ
præteriisse uideamur, C. Cosconiũ calidianum, qui nullo acumine, eã
tamen uerborum copiam, siquam habebat, præbebat populo cũ mul
ta concursatione, magnoq; clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius,
q̃ fuit M. Crassi quasi secundarius. Is oĩbus exemplo debet esse, quan
tum in hac urbe polleat multorum obedire tempori, multorumq; uel
honori, uel periculo seruire. His enim rebus infimo loco natus, &
honores, & pecuniam, & gratiam consecutus, etiam in patrono=
rum, sine doctrina, sine ingenio, aliquem numerum perucnerat, sed
ut pugiles inexercitati etiam si pugnos, et plagas olympiorum cupi
di ferre possunt, solem tamen sæpe ferre non possunt, sic ille, cũ omni
iam fortuna prospere functus labores etiã magnos excæpisset, illius
iudicialis anni seueritatem quasi solem non tulit. Tum Atticus, tu
quidem de fece inquit hauris, idq; iandudum, sed tacebam, hoc uero
non putabam te usq; ad Staienos, & Antronios esse uenturum.
Non puto inquam existimare te ambitione me labi, quippe de mor=
tuis, sed ordinem sequens in memoriã notam, & æqualem necessa=
rio incurro. Volo autẽ hoc perspici, omnibus conquisitis, qui in multi
tudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos, uerũ qui
omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse, sed ad sermonẽ in-
stitutũ reuertamur. T. Torquatus T. filius & doctus uir ex Rhodia
disciplina Molonis, & à natura ad dicendũ satis solutus, atq; expe
ditus, cui si uita suppeditauisset, sublato ambitu consul factus esset,
plus facultatis habuit ad dicendũ, quàm uolũtatis. Itaq; studio huic
non satisfecit, officio uero nec in suorum necessariorũ causis, nec in
sententia senatoria defuit. Etiam M. Pontidius municeps noster mul=
tas priuatas causas actitauit, celeriter sanè uerba uoluẽs, nec hebes
in causis, uel dicam plus etiam, quàm non hebes, sed effernescens in
dicendo stomacho sæpe, iracundiaq; uehementius, ut nõ cũ aduersa-
rio solum, sed etiã (quod mirabile esset) cũ iudice ipso, cuius delini=
tor esse debet orator, iurgio sæpe cõtenderet. M. Messala minor natu

quàm nos nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere uerborũ, prudens, acutus, minime incautus, patronus in causis cognoscendis, cõponendisq; diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumq; causarum. Duo etiam Metelli Celer, & nepos nihil in causis uersati, nec sine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicendi genus assecuti. C. autem Lentulus Marcellinus, nec unquam indisertus, et in consulatu pereloquens uisus est, non tardus sententijs, non inops uerbis, uoce canora, facetus satis. C. Memmius L. filius pfectus literis, sed græcis, fastidiosus sanè latinarũ, argutus orator, uerbisq; dulcis, sed fugiens non modo dicendi, uerumetiã cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum immunuit industriæ. Hoc loco Brutus, quàm uellem inquit de his etiam oratoribus, qui hodie sunt, tibi dicere luberet, etsi de alijs minus, de duobus tamen, quos à te scio laudari solere, Cæsare, & Marcello, audirẽ non minus lubenter, quàm audiui de ijs, qui fuerunt. Cur tandem inquã? an expectas qd ego iudicem de istis, q tibi sunt æque noti, ac mihi? Mihi mehercule inquit, Marcellus satis est notus, Cæsar autem parum, illũ enim sæpe audiui, hic, cum ego iudicare iam aliqd possem, abfuit. Quid igitur de illo iudicas, quem sæpe audisti? Quid cẽses inquit, nisi id, quod habiturus es simlem tui? Næ ego inquã, si ita est, uelim tibi eum placere quammaxime. Atq; & ita est inqt, & uehemẽter placet, nec uero sine causa. nam & didicit, et omissis cæteris studijs, unũ id egit, seseq; quotidianis commentationibus acerrime exercuit. Itaq; & lectis utitur uerbis, & frequentibus, & splẽdore uocis, dignitate motus fit speciosum, & illustre quod dicitur. Omniaq; sic suppetunt, ut ei nullã deesse uirtutem oratoris putem, maximeq; laudandus, qui hoc tempore ipso cum liceat in hoc communi nostro, & quasi fatali malo cõsoletur se, cũ conscientia optimæ mentis, tum etiã usurpatione, & renouatione doctrinæ. Vidi enim Mitylenis nuper uirum, atq; (ut dixi) uidi planè uirum. Itaq; cum eum antea tui simlem in dicẽdo uiderim, tum uero nunc à doctissimo uiro, tibiq; ut intellexi, amicissimo Cratippo instructũ omni copia, multo uidebam similiorẽ. Hic ego, & si inquam de optimi uiri, nobisq; amicissimi laudibus lubẽter audio, tamen incurro in memoriã cõmuniũ miseriarũ, quarum obliuionem quærens hũc ipsum sermonem produxi longius. Sed de Cæsare cupio audire, quid tandem Atticus iudicet? Et ille, præclare inqt tibi constas, ut de ijs, q nunc sunt, nihil uelis ipse dicere, & hercle si sic ageres, ut de ijs egisti, q iam mortui sunt, nemnẽ ut prætermitteres næ tu in multos Antronios, et Staie-

nos iurreres. Quare siue hanc turbam effugere uoluisti, siue ueritus nequis se aut præteritum, aut non satis laudatum queri possit, de Cæsare tamen potuisti dicere, præsertim cum & tuum de illius ingenio notissimum iudicium esset, nec illius de tuo obscurum. Sed tamẽ Brute inquit Atticus de Cæsare, & ipse ita iudico, & de hoc huius generis acerrimo existimatore sæpissime audio, illum omniũ ferè oratorum latine loqui elegantissime, nec id solum domestica cõsuetudine ut dudum de Læliorum, et Mutiorum famulis audiebamus, sed q̃q̃ id quoq; credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, & ijs quidem reconditis, et exquisitis, summóq; studio & diligentia est consecutus. quin etiam in maximis occupationibus, cum ad teipsum inquit in me intuens de ratione latine loquendi accuratissime scripserit, primóq; in libro dixerit uerborũ delectum originem esse eloquentiæ, tribueritq; mi Brute huic nostro, qui me de illo maluit, quàm se dicere, laudem singularem. Nam scripsit his uerbis, cum hunc nomine esset affatus. ac si cogitata præclare eloq̃ possent, nunnulli studio, et usu elaborauerunt, cuius te penè principem copiæ, atq; inuentorem bene de nomine, ac dignitate populi romani meritum esse existimare debemus, hunc facile & quotidianũ nouisse sermonem, nunc pro relicto est habendum. Tum Brutus, Amice hercule inquit, & magnifice te laudatum puto, quem non solum principem, atque inuentorem copiæ dixerit, quæ erat magna laus, sed etiam benemeritum de populi R. nomine, et dignitate, quo enim uno uincebamur à uicta Græcia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cũ illis cõmunicatũ. Hanc autem inquit gloriam, testimoniumq; Cæsaris tuæ quidem supplicationi non solum, sed triumphis multorum antepono. Et recte quidem inquam Brute, modo sit hoc Cæsaris iudicij, non bñuolentiæ testimoniũ, plus. n. certe attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, q̃ nó illustrauit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quàm illi, qui Ligurum castella expugnauerũt, ex q̃bus multi sunt, ut scitis, triumphi. Verum quidem si audire uolumus, omissis illis diuinis cõsiliis, quibus sæpe constituta est imperatorum sapientia salus ciuitatis, aut belli, aut domi, multo magis orator præstat minutis ĩperatoribus. At prodest plus imperator, quis negat? sed tamen, non metuo ne mihi acclametis, est autem quod sentias dicendi liber locus. Malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, quàm castella nos triumphos duos. At plus interfuit reip. castellũ capi Ligurum, quàm bene defendi causam M. Curij. credo. Sed Atheniensiũ quoq;

plus interfuit firma tecta in domicilijs habere, quàm Mineruæ signum ex ebore pulcherrimum, tamen ego me Phidiam esse mallem, quàm uel optimum fabrum tignarium. quare non quantum quisq; prosit, sed quanti quisq; sit, ponderandum est, præsertim cum pauci pingere egregie possint, aut fingere, operarij autem, aut baiuli deesse non possint. Sed perge Pomponi de Cæsare, & redde quæ restant.

Solum quidem inquit ille, et quasi fundamentum oratoris uides locutionem emendatam, & latinam, cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut scientiæ, sed quasi bonæ consuetudinis. Mitto C. Lælium. P. Scipionem, ætatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiæ, sic latine loquendi, non omnium tamen, nam illorum æquales Cæcilium, et Pacuuium male locutos uidemus. sed omnes, tum ferè, q nec extra urbem hanc uixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscauerat, recte loquebantur. sed hanc certe rem deteriorē uetustas fecit, & Romæ, & in Græcia. Confluxerunt enim & Athenas, & in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diuersis locis, quo magis expurgandus est sermo, & adhibenda quamobtrusa ratio, quæ mutari non potest, nec utendum prauissima consuetudinis regula. T. Flaminium, qui cum Q. Metello consul fuit, pueri uidimus. Existimabatur bene latine, sed literas nesciebat. Catulus erat ille quidē mihi me indoctus, ut à te paulo est ante dictum, sed tamen suauitas uocis, & lenis appellatio literarum bene loquendi famā confecerat. Cotta, qa se ualde dilatandis literis à similitudine græcæ locutionis abstraxerat, sonabatq; contrariū Catulo subagreste quiddā, planeq; subrusticum, alia quidem quasi inculta, & syluestri uia ad eandem laudem puenerat. Sisenna autem quasi emendator sermonis usitati cum esse uellet, ne C. Ruscio quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis uerbis uteretur. Quidnam istuc est inquit Brutus? aut quis est iste C. Ruscius? Et ille fuit accusator inquit uetus, quo accusante Chirtilium, Sisenna defendens dixit quædam eius sputatilica esse crimina, Tum C. Ruscius circunuenior inquit iudices, nisi subuenitis. Sisenna quid dicas nescio. metuo insidias. sputatilica. quid est hoc? sputa quid sit scio, tilica nescio. maximi risus, sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse, inusitate loqui. Cæsar autem rationem adhibens, consuetudinem uitiosam, & corruptam, pura, & in corrupta consuetudine emendat. Itaq; cum ad hanc elegantiam uerborum latinorum, quæ etiam si orator non sis, & sis ingenuus cuius romanus, tamen necessaria est, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum uidetur tanquā tabulas bene pictas collocare in bono, lumine, hanc

ne,hanc cum habeat præcipuam laudem in communibus,nó uideo, cui debeat cedere,splendidam quandam, minimeq; ueteratoriã rationem dicendi tenet,uoce,motu,forma etiam magnifica,et generosa quodammodo. Tum Brutus,Orationes quidẽ eius mihi uehementer probantur,cóplureꝰ autem legi. Atq; etiã commentarios quosdã scripsit rerũ suarum,ualde quidem inquam probandos. nudi enim sunt,recti,& uenusti,omni ornatu orationis,tanquam ueste detracta,sed dum uoluit alios habere parata,unde sumerent, qui uellent scribere historiam,ineptis gratum fortasse fecit, qui uolunt illa calamistris inurere , sanos quidẽ homines à scribendo deterruit. Nihil enim est in historia,pura,& illustri breuitate dulcius. sed ad eos,si placet,qui uita excesserunt,reuertamur. C.Sicinius igitur Q. Pópeij illius,qui censor fuit,ex filia nepos,quæstorius mortuus est,probabilis orator,iam uero etiã probatus ex hac inopia ad ornandũ,sed ad inueniendum expedita Hermagoræ disciplina.ea dat rationes certas,et præcepta dicẽdi,quæ si minorẽ habent apparatum(sunt enim exilia)tamen habent ordinem,et quasdam errare in dicendo nõ patientes uias.has ille tenens,& paratus ad causas ueniens,uerborum nõ egens,ipsa illa comparatione,disciplinaq; dicendi iã in patronorũ numerũ puenerat. Erat etiam uir doctus in primis C.Visellius Varro consobrinus meus,qui fuit cum Sicinio ætate coniunctus.is cũ post curulem ædilitatem iudex quæstionis esset,est mortuus,in quo fateor uulgi iudicium à iudicio meo dissensisse,nam populo non erat satis uendibilis,præceps quædã,et cum ideirco obscura,quia pacata, tum rapida,& celeritate cæcata oratio,sed neq; uerbis aptiorẽ cito alium dixerim,neq; sententijs crebriorem.Præterea pfectus in literis,iurisq; ciuilis iam à patre Aculeone traditã tenuit disciplinã. Reliqui sunt,qui mortui sint,L.Torquatus,quem tu non tã ciorhetorem dixisses,etsi non deerat oratio,quàm, ut græci dicunt, πολιτικόν. Erant in eo plurimæ literæ,nec eæ uulgares,sed interiores quædã,& reconditæ,diuina memoria,summa uerborũ et grauitas, & elegantia,atq; hæc omnia uitæ decorabat grauitas,& integritas.me quidem admodum delectabat etiam Triarij in illa ætate plena literatæ senectutis oratio,quanta seueritas in uultu, quantũ pondus in uerbis,quàm nihil non cõsyderatũ exibat ex ore. Tum Brutus,Torquati,& Triarij mentione cõmotus (utrunq; enim eorũ admodum dilexerat)næ ego inquit, ut omittam cætera , quæ sunt innumerabilia,de istis duobus cum cogito, doleo nihil tuã perpetuã authoritatẽ de pace ualuisse.nã nec istos excellentes uiros,nec mul-

tos alios præstantes ciues resp. perdidisset. Sileamus inquã Brute de istis, ne augeamus dolorem. nam & præteritorum recordatio est acerba, & acerbior expectatio reliquorum. Itaq; omittamus lugere, & tantum quid quisq; dicendo potuerit, quoniã id quærimus, prædicemus. Sunt etiã ex ijs, qui eodem bello ociderunt, M. Bibulus, qui et scriptitauit accurate, cum præsertim non esset orator, & egit multa constanter. Appius Claudius socer tuus, collega, et famliaris meus, hic iam & satis studiosus, et ualde cum doctus, tum etiã exercitatus orator, & cum auguralis, tum omnis publici iuris, antiquitatisq; nostræ bene peritus fuit. L. Domitius nulla ille quidem arte, sed latine tamẽ, & multa cum libertate dicebat. Duo præterea Lentuli consulares; quorũ Publius ille nostrarum iniuriarũ ultor, author salutis, quã habuit, quantumcunq; fuit, illud totum habuit è disciplina. instrumẽta naturæ decerant, sed tantus animi splendor, & tanta magnitudo, ut sibi omnia, quæ clarorum uirorum essent, non dubitaret asciscere, eaq; omni dignitate obtineret. L. autem Lẽtulus satis erat fortis orator, si modo orator, sed cogitandi non ferebat laborem, uox canora, uerba nõ horrida sanè, ut plena esset animi, et terroris oratio. Quæreres in iudicijs fortasse melius, in rep. quod erat, esse iudicares satis. Ne Titus qdem posthumus contemnendus in dicendo. de rep. uero non minus uehemens orator, quàm bellator fuit. effrenatus, & acerrimis, sed bene iuris publici leges, atq; instituta cognouerat. Hoc loco Atticus, Putarem te inquit ambitiosum esse, si (ut dixisti) ij, quos iãdiu colligis, uiuerent. Omneis enim commemoras, qui ausi aliquando sunt stantes loqui, ut mihi imprudens M. Seruiliũ præterisse uidearc. Non inquã ego istuc ignoro Pomponi multos fuisse, q uerbũ nunq in publico fecissent, cũ melius aliquanto possent, quàm isti oratores, quos colligo, dicere. Sed his commemorandis etiã illud assequor, ut intelligatis primũ ex omni numero, quàm non multi ausi sint dicere. deinde ex ijs ipsis quàm pauci fuerint laude digni. Itaq; ne hos quidem equites romanos amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Comunium spoletinum, quo accusante defendi C. Cornelium, in quo et compositum dicendi genus, & acre, et expeditum fuit. T. Accium pisaurensem, cuius accusationi respondi pro A. Cluentio, q & accurate dicebat, & satis copiose, eratq; præterea doctus Hærmagoræ præceptis, quibus etsi ornamenta non satis opima dicẽdi, tamen, ut hastæ uelitibus amentatæ, sic apta quædam, & parata singulis causarum generibus argumenta tradũtur. Studio autẽ neminem, nec industria maiore cognoui, quanquam ne ingenio quidem qui præstiterit, facile

dixerim

dixerim C. Pisoni genero meo, nullum tempus illi unquam uacabat aut à forensi dictione, aut à commentatione domestica, aut à scribẽ-do, aut à cogitando, itaq; tantos processus efficiebat, ut euolare, non excurrere uideretur. Eratq; uerborum et delectus elegans, et apta, & quasi rotunda constructio, cumq; argumenta excogitabantur ab eo multa, & firma ad probandũ, tum concinnæ, acutæq; sententiæ, gestusq; natura ita uenustus, ut ars etiam quæ non erat, & è disciplina motus qdam uideretur accedere. Vereor ne amore uidear plura, quã fuerint in illo, dicere. quod non ita est, alia enim de illo maiora dici possunt, nam nec continentia, nec pietate, nec ullo genere uirtutis quenquam eiusdẽ ætatis, cum illo conferendũ puto. Nec uero M. Cœlium prætereundum arbitror, quæcunq; eius in exitu uel fortuna, uel mens fuit, qui quandiu authoritati meæ paruit, talis tribunus pl. fuit, ut nemo contra ciuiũ pditorũ popularem, turbulẽtamq; dementiam à senatu, & à bonorũ causa steterit constantius, quam eius actionem, multum tamen & splendida, & grandis, & cadẽ in primis faceta, & purbana commendabat oratio. Graues eius concio nes aliquot fuerunt, acres accusationes tres, eæq; omnes ex reip. contentione susceptæ, defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quæ dixi, non contemnendæ tamen, saneq; tolerabiles. hic cũ summa uoluntate bonorũ ædilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu meo discessit à sese, cæditq; postea, cum eos imitari cœpit, quos ipse peruerterat. Sed de M. Calidio dicamus aliquid qui non fuit orator unus è multis, potius inter multos propè singularis fuit. Ita reconditas, exquisitasq; sententias mollis, & pellucens uestiebat oratio, nihil tã tenerum, quàm illius comprehensio uerborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris æque in potestate fuerit, quæ primum ita pura erat, ut nihil liquidius, ita libere fluebat, ut nusquam adhæresceret, nullũ nisi loco positum, & tanquam in uermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum uerbum uideres, nec uero ullum aut durum, aut insolens, aut humile, aut inlongius ductum, ac non propria uerba rerũ, sed pleraq; translata, sic tamen, ut ea non irruisse in alienũ locum, sed immigrasse in suũ diceres, nec uero hæc soluta, nec diffluentia, sed astricta numeris, nõ aperte, nec eodem modo semper, sed uarie, dissimulanterq; cõclusis. Erant autem & uerborũ, & sententiarum illa lumina, quæ uocant græci χήματα, qbus tanq; insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio, qua de re agitur autem, illud quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis, & ubi esset, uidebat. Accedebat ordo

rerum plenus artis, actio liberalis, totumq; dicendi placidũ, & sanũ genus. Quod si est optimum suauiter dicere, nihil est, quod melius hoc quærendum putes. Sed cum a' nobis paulo ante dictum sit, tria uideri esse, quæ orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moueret, duo summe tenuit, ut & rem illustraret differendo, & animos eorum, qui audirent, deuincaret uoluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoueret, atq; incitaret animos, quam plurimũ pollere diximus, nec erat ulla uis, atq; contentio, siue consilio, quod eos, quorum altior oratio, actioq; esset ardentior, furere, & bacchari arbitraretur, siue quod natura non esset ita factus, siue quod non consuesset, siue quod non posset, hoc unũ illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit, si opus erat, defuit. Quinetiã memini, cũ accusatione sua Quinto Gallio crimini dedisset, sibi eum uenenum parauisse, idq; a' se esse deprehensum, seseq; chirographa, testificationes, indicia, quæstiones, manifestam rẽ, deferre diceret, deq; eo crimine accurate, et exquisite disputauisset, me in respondẽdo, cum essem argumentatus, quãtum res ferebat, hoc ipsum etiã posuisse pro argumento, quod ille, cum pestem capitis sui, cũ indicia mortis se comperisse manifesto, & manutenere, diceret, tam solute egisset, tam leniter, tã cæcitanter. Tu istuc M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? præsertim cum ista eloquentia alienorũ hominũ pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingenijs elicere uoces, & querelas solet, nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur, pedis (quod minimum est) nulla supplosio. itaq; tantum abfuit, ut inflammares nostros animos, sommum isto loco uix tenebamus. sic nos summi oratoris, uel sanitate, uel uitio pro argumento ad diluendũ crimen usi sumus. Tum Brutus, Atq; dubitamus inq;, utrũ ista sanitas fuerit, an uitium? quis enim non fateatur: cũ ex omnibus oratoris laudibus lõge ista sit maxima, inflammare animos audientium: & quocunq; res postulet modo, flectere: qui hac uirtute caruerit, id ei, quod maximũ fuerit, defuisse? Sit sane' ita inquã, sed redeamus ad eum, qui iam unus restat, Hortensiũ, tum de nobismetipsis, quoniã id etiã Brute postulas, pauca dicemus, quanquam faciẽda mentio est, ut quidem mihi uidetur, duorum adolescentiũ, qui si diutius uixissent, magnam essent eloquentiæ laudem consecuti. C. Curionẽ te inquit Brutus, & C. Licinium Caluum arbitror dicere. Recte inquam arbitraris, quorum quidem alter, quod ueriſimile dixisset, ita facile, soluteq; uerbis uoluebat, satis interdũ acutas, crebras qdẽ certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius. Atq; hic a'

magistris

magistris parũ institutus naturam habuit admirabilẽ ad dicendũ, industriam non sum expertus, studium certe fuit, qui si me audire uoluisset, ut cœperat, honores, quàm opes consequi maluisset. Quid=nam est inquit istuc? & quemadmodum distinguis? Hoc modo inquam. Cum honos sit præmium uirtutis iudicio, studioq; ciuium delatum ad aliquẽ, qui eũ sententijs, qui suffragijs adeptus est, is mihi & honestus, & honoratus uidetur. Qui autem occasione aliqua etiã inuitis suis ciuibus nactus est imperium, ut ille cupiebat, hũc nomẽ honoris adeptum, non honorem puto, quæ si ille audire uoluisset, maxima cum gratia, & gloria ad summam amplitudinem peruenisset, ascendens gradibus magistratuum, ut pater eius fecerat, ut reliqui clariores uiri. Quæ quidem etiam cum P. Crasso M. F. cum initio ætatis ad amicitiam se meam contulisset, sæpe egisse me arbitror, cum eũ uehementer hortarer, ut eam laudis uiam rectissimam esse duceret, quam maiores eius ei tritã reliquissent. Erat enim cũ institutus optime, tum etiam perfecte, planeq; eruditus. Ineratq; & ingenium satis acre, & orationis nõ inelegans copia. prætereaq; sine arrogãtia grauis esse uidebatur, & sine segnitia uerecundus, sed hunc quoq; absorbuit æstus quidam insolitæ adolescentibus gloriæ, q qa nauarat mules operam imperatori, imperatorẽ se statim esse cupiebat, cui muneri mos maiorum ætatem certam, sortem incertam reliquit. Ita grauissimo suo casu dum Cyri, et Alexandri similis esse uoluit, qui suũ cursum transcurrerant, et L. Crassi, & multorum Crassorum inuẽtus est dissimillimus. Sed ad Caluum, is enim nobis erat propositus, reuertamur, qui orator fuisset, cum literis eruditior, quàm Curio, tũ etiam accuratius quoddam dicendi, & exquisitius afferebat genus, quod quanquam scienter, eleganterq; tractabat, nimiũ tamen inquirens in se, atq; ipse sese obseruãs, metuensq; ne uitiosum colligeret, etiam uerum sanguinem dependebat. Itaq; eius oratio nimia religione attenuata, doctis, & attente audientibus erat illustris. à multitudine autem, & à foro, cui nata eloquentia est, deuorabatur. Tum Brutus, Atticum se inquit Caluus noster dici oratorem uolebat, inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur. Dicebat inquã ita, sed et ipse errabat, et alios etiam errare cogebat. Nam siquis eos, qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide, attice putat dicerẽ, is recte, nisi Atticum, probat neminem. Insulsitatem enim, & insolentiã tanquam insaniam quandam orationis odit, sanitatem autem, et integritatem quasi religionem, & uerecundiam oratoris probat, hæc omnium debet oratorum eadem esse sententia. Sin autem ieiunitatẽ,

& ſiccitatem,& inopiam dummodo ſit polita,dum urbana,dum ele gans,in attico genere ponit,hoc recte duntaxat,ſed quia ſunt in atti cis alia meliora,uideat,ne ignoret & gradus,et diſſimilitudines,& uim,& uarietatem atticorum. Atticos inquit uolo imitari,quos? nec enim eſt unum genus,nam quid eſt tam diſſimile , quàm Demoſthe= nes,& Lyſias ? quàm idem , & Hyperides , quàm omnium horum Aeſchines? quem igitur imitaris? Si aliquem,cæteri ergo attice non di cebant. Si omneis,qui potes? cum ſint ipſi diſſimillimi inter ſe. In quo illud etiam quæro,Phalereus ille Demetrius attice ne dixerit ? mihi quidem ex illius orationibus redolere ipſæ Athenæ uidentur. At eſt floridior,ut ita dicam,quàm Hyperides,quàm Lyſias . natura quæ= dam,aut uoluntas ita dicendi fuit. Et quidem duo fuerunt per idem tempus diſſimiles inter ſe,ſed attici tamen,quorum Chariſius multa rum orationum,quas ſcribebat alijs,cum cupere uideretur imitari Lyſiam. Demochares autem,qui fuit Demoſthenis ſororis filius , & orationes ſcripſit aliquot,et earum rerũ hiſtoriam,quæ erant Athe nis ipſius ætate geſtæ,non tam hiſtorico,quàm oratorio genere per= ſcripſit. At Chariſij uult Hegeſias eſſe ſimilis , is q; ſe ita putat atti= cum,ut ueros illos præ ſe pene agreſteis putet. At quid eſt tam fra= ctum,tam minutum,tam in ipſa,quam tamen conſequitur,concinni= tate puerile? Atticorũ ſimiles eſſe uolumus. optime. Sunt ne igitur ij at tici oratores? quis negare poteſt? hos imitamur . quo modo ? qui ſunt & inter ſe diſſimiles,& aliorum. Thucydidem inquit imitamur, optime. Si hiſtoriam ſcribere,non ſi cauſas dicere cogitatis. Thucydi= des enim rerum geſtarum pronuntiator ſyncerus , & grandis etiam fuit,hoc forenſe concertatorium iudiciale non tractauit genus. Ora tiones autem,quas interpoſuit(multæ enim ſunt)eas ego laudare ſo= leo,imitari neque poſſim,ſi uelim nec uelim fortaſſe,ſi poſſim, ut ſi= quis falerno uino delectetur,ſed eo nec ita nouo,ut proximis conſu libus natum uelit,nec rurſus ita uetere, ut Opimium, aut Anitium conſulem quærat. Atqui eæ notæ ſunt optimæ. credo,ſed nimia ue tuſtas nec habet eam , quam quærimus , ſuauitem , nec eſt iam ſa= nè tolerabilis. Num igitur,qui hoc ſentiat,ſi is potare uelit , de do= lio ſibi hauriendum putet? minime,ſed quandam ſequatur ætatem,ſic ego iſtis cenſuerim,& nouam iſtam quaſi de muſto, ac lacu feruidã orationem fugiendam,nec illam præclaram Thucydidis nimis uete= rem tanquam anitianam notam perſequendam. Ipſe enim Thucy= dides ſi poſterius fuiſſet,multo maturior fuiſſet,& mitior. Demoſthe= nem igitur imitemur . O dij boni quid quaſi nos aliud agimus , aut

quid

quid aliud optamus? at non assequimur. Isti enim uidelicet Attici nostri, quod uolunt, assequuntur. ne illud quidem intellgunt, non modo ita memoriæ proditum esse, sed ita necesse fuisse, cum Demosthenes dicturus esset, ut concursus, audiendi causa, ex tota Græcia fierent. At cum isti attica dicunt, non modo a' corona (quod est ipsum miserabile) sed etiam ab aduocatis relinquuntur. Quare si anguste, et exiliter dicere est Atticorum, sint sane' attica, sed in comitiũ ueniãt, ad stantem iudicem dicant. Subsellia grandiorem, & pleniorem uocem desyderant. Volo hoc oratori contingat, ut cum auditum sit cũ esse dicturum, locus in subsellijs occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribæ sint in dando, & cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus, cum surgit is, qui dicturus sit, significetur a' corona silentiũ, deinde crebræ assensiones, multæ admirationes, risus cũ uelit, cũ uelit, fletus, ut qui hæc procul uideat, etiã siquid agatur, nesciat, at placere tamen, & in scena esse Roscium intelligat. Hæc cui contingant, eum scito attice dicere, ut de Pericle audiuimus, ut de Hyperide, ut de Aeschine, de ipso quidem Demosthene maxime. Sin autem acutum, prudens, & idem syncerum, & solidum, & exiccatum genus orationis probant, nec illo grauiore ornatu oratorio utuntur, & hoc proprium esse atticorum uolunt, recte laudant. Est enim in arte tanta, tamq; uaria, etiam huic minutæ subtilitati locus, ita fiet, ut non omnes, qui attice, idem bene, sed ut omnes, qui bene, idem etiam attice dicant. Sed redeamus rursus ad Hortensium. Sane' quidem inquit Brutus, quanquam ista mihi tua fuit periucunda a' proposita oratione digressio. Tum Atticus, Aliquoties sum inquit conatus, sed interpellare nolui. Nunc quoniam ad perorandũ spectare uidetur sermo tuus, dicam, opinor, quod sentio. Tu uero inquam Tite. Tum ille, Ego inquit ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse: qua ille in Platonis, & Xenophontis, & Aeschinis libris utitur: facetam, & elegantem puto. Est enim & minime inepti hominis, & eiusdem etiam faceti, cum de sapientia disceptetur: hanc sibi ipsum detrahere: eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant: ut apud Platonem Socrates in cœlum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, cæteros: se autem omnium rerum inscium fingit, & rudem. decet hoc nescio quomodo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior. sed in historia, qua tu es usus in omni sermone: cum qualis quisq; orator fuisset, exponeres: uide quæso inquit, ne tam reprehenden-

da sit ironia, quam in testimonio. Quorsus inquam istuc? non enim intelligo. Quia primum inquit ita laudauisti quosdã oratores, ut imperitos possis in errorem inducere. Equidem in quibusdã risum uix tenebam, cum Attico Lysiæ Catonem nostrum comparabas, magnum mehercule hominem, uel potius summum, et singularem uirũ, nemo dicet secus, sed oratorem, sed etiã Lysiæ simlem, quo nihil potest esse pictius, bella ironia si iocaremur: sin asseueramus: uide, ne religio nobis tam adhibẽda sit, quàm si testimonium diceremus. Ego. n. Catonem tuum, ut ciuẽ, ut senatorem, ut imperatorem, ut uirum denique cum prudentia, et diligentia, tum omni uirtute excellentem probo: orationes autem eius, ut illis temporibus, ualde laudo: significant enim quandam formam ingenij, sed admodum impolitam, et planè rudem. Orignes uero cũ omnibus oratoris laudibus refertas diceres: & Catonem cũ Philisto, et Thucydide comparares: Bruto'ne id censebas, an mihi probaturum? quos enim ne è græcis quidem quisquã imitari potest: ijs tu comparas hominẽ thusculanum, non dum suspicantem quale esset copiose, et ornate dicere. Galbã laudas: si ut illius ætatis principem, assentior: sic enim accepimus: sin ut oratorem, cedo quæso orationes (sunt enim) et dic hunc, quẽ tu plus, quàm te amas, Brutum, uelle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes: paulũ hic tibi assentior, modo ita laudes, ut antiquas: quod item de Africano, de Lælio, cuius tu oratione negas fieri quicquã posse dulcius. addis etiã nescio quid angustius. nomine nos capi summi uiri, uitæq; elegantissimæ ueris simis laudibus. remoue hæc. næ ista dulcis oratio ita sit abiecta, ut eam aspicere nemo uelit. Carbonem in summis oratoribus habitum scio: sed cum in cæteris rebus, tum in dicendo semper, quoniã nihil est melius, id laudari, qualecũq; est, solet. Dico idẽ de Gracchis: etsi de eis ea sunt à te dicta, quibus ego assentior. omitto cæteros, uenis ad eos, in quibus iam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audiui sine controuersia magnos oratores, Crassum, et Antoniũ: de horũ laudibus tibi prorsus assentior, sed tamẽ non isto modo: ut Polycleti Doryphorũ sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis seruiliæ tibi magistram fuisse. hæc germana ironia est. cur ita sentiã non dicam, ne me tibi assentari putes. Omitto igitur, quæ de ijs ipsis, quæ de Cotta, quæ de Sulpitio, quæ modo de Cœlio dixeris: ij enim fuerũt certe oratores: quanti aũt, et quales, tu uideris. Nam illud munus curo, quòd congessisti operarios omneis, ut mihi uideãtur mori uoluisse nonnulli, ut à te in oratorũ numerũ referrẽtur. Hæc cũ ille dixisset: longi sermonis initiũ depulisti inquã Atticæ: rem'q; cõmouisti nouã disputatione

ua disputatione dignam: quam in aliud tẽpus differamus. Voluendi enim sunt libri, cũ aliorum, tum in primis Catonis, intelliges nihil illius lineamentis, nisi corũ pigmentorũ, quæ inuẽta non dum erãt, florem, et colorem defuisse. Nã de Crassi oratione sic existimo, ipsum fortasse melius potuisse scribere, alium, ut arbitror, neminem. nec in hoc ironiam duxeris esse, quod eam orationem mihi magistram fuisse dixerim. Nam etsi tu melius existimare uideris, de ea siquam nunc habemus, facultate, tamen adolescentes, quid ĩ latinis potius imitaremur, non habebamus. quod autẽ plures à nobis nominati sunt, eo pertinuit (ut paulo ante dixi) quod intelligi uolui in eo, cuius oẽs cupidissimi essent, quàm pauci digni nomine euaderent. Quare ἐρῶ νω, me, ne, si Africanus quidem fuit (ut ait in historia sua C. Fannius) existimari uelim. Vt uoles inquit Atticus. Ego. n. non alienũ à te putabam, quod & in Africano fuisset, & in Socrate. Tum Brutus de isto postea, sed tu inq̃t me intuens orationes nobis ueteres explicabis? Vero inquam Brute, sed ĩ Cumano, aut ĩ Thusculano aliquando, si modo licebit, quoniam utroq; in loco uicini sumus. Sed iam ad id, unde digressi sumus, reuertamur. Hortensius igitur cum admodum adolescens orsus esset ĩ foro dicere, celeriter ad maiores causas adhiberi cœptus est, quanq̃ incaderat in Cottæ, et Sulpitij ætatẽ, qui annis decem maiores, excellente tum Crasso, et Antonio, deinde Philippo, post Iulio, cum ijs ipsis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quãta in uiro cognouisse me arbitror, ut quæ secũ cõmentatus esset, ea sine scripto uerbis eisdem redderet, quibus excogitauisset, hoc adiumento ille tanto, sic utebatur, ut sua et commentata, & scripta, et nullo referente, omnia aduersariorũ dicta memminisset. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium uiderim, nullum enim patiebatur esse diẽ, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. Sæpissime autem eodem die utrunq; faciebat, attuleratq; minime uulgare genus dicẽdi, duas q̃dẽ res, quas nemo alius, partitiones quibus de rebus dicturus esset, & collectiones, memor et quæ essent dicta cõtra, quæq; ipse dixisset. Erat ĩ uerborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus, eaq; erat cum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consecutus; rẽ cõplectebatur memoriter, diuidebat acute, nec prætermittebat fere quicquam, quod esset in causa, aut ad confirmandum, aut ad refellẽdũ, uox canora, et suauis, motus, et gestus etiã plus artis habebat, quã erat oratori satis. Hoc igitur florescente Crassus ẽ mortuus, Cotta pulsus, iudicia intermissa bello, nos in forum ueniemus. Erat Hortensius

in bello primo anno miles, altero tribunus militum, Sulpitius legatus aberat, etiam M. *Antonius, exercebatur una lege iudicium Varia, ceteris propter bellum intermissis: qui frequentes aderant, quanquam pro se ipsi dicebant, oratores non illi quidem principes* L. *Memmius, &* Q. *Pompeius, sed oratores tamen, teste diserto uterque Philippo, cuius in testimonio contentio, & uim accusatoris habebat, & copiam.* Reliqui, *qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieq; ferè à nobis in concionibus audiebantur.* Erat *enim tribunus pl. tunc* C. Curio, *quanquam is quidem silebat, ut erat semel à concione uniuersa relictus.* Q. Metellus *celer non ille quidem orator, sed tamen non infans, diserti autem* Q. Varius, C. Carbo. Cn. Pomponius, *& ij quidem habitabant in rostris.* C. *etiam* Iulius, *ædilis curulis quotidie ferè accuratas concliones habebat, sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit,* Cotta *cum est expulsus. reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebar, quotidieq; & scribens, & legens, & commentans, oratorijs tantum exercitationibus contentus non erã. Iã consequente anno* Q. Varius *sua lege damnatus excesserat.* Ego *autem iuris ciuilis studio multum operæ dabam.* Q. Scæuolæ P. F. *qui quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiẽdi docebat. Atq; huic anno proximus Sylla consule, &* Pompeio *fui, tum* P. Sulpitij *in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognouimus, eodemq; tempore cum princeps Academiæ* Philo *cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset,* Romamq; *uenisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, in quo etiam commorabar attentius, etsi rerum ipsarum uarietas, & magnitudo summa me delectatione retinebat, sed tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudicorũ uidebatur. Occiderat Sulpitius illo anno, tresq; proximo trium ætatum oratores erant crudelissime interfecti.* Q. Catulus. M. Antonius. C. Iulius. Eodẽ *anno etiam* Moloni Rhodio Romæ *dedimus operam, et actori summo causarum, et magistro. Hæc etsi uidentur esse à proposita ratione diuersa, tamen idcirco à me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere, quoniam uoluisti,* Brute *possis, nam* Attico *hæc nota sunt, & uidere quemadmodum simus in spatio* Q. Hortensium *ipsius uestigijs persecuti.* Triennium *ferè fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu, aut discessu, aut fuga (nam aberant etiam adolescentes* M. Crassus, *&* Lentuli duo *) primas in causis agebat* Hortensius, *magis, magisq; quotidie probabatur.* Anti-

ſius Piſo *ſæpe dicebat, munus ſæpe* Pomponius, *raro* Carbo, *ſemel aut iterum* Philippus. *At uero ego hoc tempore omni, noctes & dies, in omnium doctrinarum meditatione uerſabar.* Eram *cum ſtoico* Diodoro, *qui, cum habitauiſſet apud me, cumq; uixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus, à quo cum in alijs rebus, tum ſtudioſiſſime in dialectica exercebar, quæ quaſi contracta, & aſtricta eloquentia putanda eſt, ſine qua etiam tu* Brute *iudicauiſti, te illam iuſtam eloquẽtiam, quam dialecticam dilatatam eſſe putant, conſequi non poſſe. Huic ego doctori, & eius artibus uarijs, atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratorijs nullus dies uacuus eſſet.* Commentabar *declamitans (ſic enim nunc loquuntur) ſæpe cum* M. Piſone, *& cum* Q. Pompeio, *aut cum aliquo quotidie, idq; faciebam multum etiam latine, ſed græce ſæpius, uel quod græca oratio plura ornamenta ſuppeditans conſuetudinem ſimiliter latine dicendi afferebat, uel quod à græcis ſummis doctoribus, niſi græce dicerem, neque corrigi poſſim, neque doceri. Tumultus interim pro re cuperanda rep. & crudelis interitus oratorum trium,* Scæuolæ, Carbonis Antiſtij, *reditus* Cottæ, Curionis, Craſſi, Lentulorum, Pompeij, *leges, & iudicia conſtituta, recuperata respu. ex numero autem oratorum* Pomponius, Cenſorinus, Murena *ſublati, tum primum nos ad cauſas & priuatas, & publicas adire cœpimus, non ut in foro diſceremus, quod plerique fecerunt, ſed ut quantum nos efficere potuiſſemus, docti in forũ ueniremus. Eodem tempore* Moloni *dedimus operam, dictatore enim* Sylla *legatus ad ſenatum de* Rhodiorum *præmijs uenerat. Itaque prima cauſa publica pro* Sexto Roſcio *dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla eſſet, quæ non noſtro digna patrocinio uideretur, deinceps inde multæ, quas nos diligenter elaboratas, etiam quam elucubratas afferebamus. nunc, quoniam totum me non næuo aliquo, aut crepundijs, ſed corpore omni uideris uelle cognoſcere, complectar nonnulla etiam, quæ fortaſſe uidẽtur munus neceſſaria. Erat eo tempore in nobis ſumma gracilitas, & infirmitas corporis, procerũ, et tenue collum, qui habitus, et quæ figura non procul abeſſe putatur à uitæ periculo, ſi accedit labor, et laterum magna contentio. Eoq; magis hoc eos, quibus eram carus, commouebat, quod omnia ſine remiſſione, ſine uarietate, ui ſumma uocis, & totius corporis contentione dicebam. Itaque cum me & amici, & medici hortarentur, ut cauſas agere deſiſterem, quoduis potius periculum mihi adeundum, quàm à ſperata dicendi gloria diſcedendum putaui. Sed cum cenſerem remiſſione et modera-*

tione uocis, & cómutato genere dicendi me et periculũ uitare posse, et temperatius dicere, ut consuetudinem dicendi mutarẽ, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaq; cum essem biennium uersatus in causis, et iam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. Cũ uenissem Athenas sex menses cum Antiocho ueteris academiæ nobilissimo, & prudentissimo philosopho fui, studiũq; philosophiæ nunquam intermissum, a' primáq; adolescentia cultum, et semper auctum, hoc rursus summo authore, & doctore renouaui. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetriũ Syrum ueterem, & non ignobilem dicendi magistrum, studiose exercẽri solebam, post a' me Asia tota peragrata est, cum summis quidem oratoribus, quibus cum exercebar ipsis lubentibus, quorum erat princeps Merippus stratonicensis, meo iudicio tota Asia illis temporibus disertissimus, et si nihil habere molestiarum, nec ineptiarum atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes, erat etiam Aeschylus Gnidius, Adramitenus Xenocles, hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur, quibus non contentus Rhodum ueni, méq; ad eundem, quem Romæ audiuerã, Molonẽ applicaui, cum actorem in ueris causis, scriptoremq; præstantem, tũ in notandis, animaduertendisq; uitijs, & instituendo, docendoq; prudentissimum. Is dedit operam, si modo id consequi potuit, ut nimis redundantes nos, & superfluentes iuuenili quadam dicendi impunitate, et licentia, reprimeret, et quasi extra ripas diffluentem coerceret. Ita recepi me biennio post nõ modo exercitatior, sed prope' mutatus. Nam & contentio nimia uocis recciderat, & quasi referuerat oratio, lateribusq; uires, et corporis mediocris habitus accesserat, duo tum excellebant oratores, q me imitandi cupiditate incitarent, Cotta, et Hortensius, quorũ alter remissus, et lenis, et propriis uerbis comprehendens solute, et facile sententiam, alter ornatus, acer, et non talis, qualẽ tu eum Brute iam deflorescentem cognouisti, sed uerborum, & actionis genere commotior. Itaq; cũ Hortensio mihi magis arbitrabar rẽ esse, quod et dicendi ardore eram propior, et ætate coniũctior. Etenim uideram in ijsdem causis, ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolobella cõsulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium, acrem enim oratorem, incensum, & agentem, & canorum, concursus hominum, foriq; strepitus desyderat. Vnum igitur annum cum rediissemus ex Asia causas nobiles egimus, cum quæsturam nos, consulatum Cotta, ædilitatem peteret Hortensius. interim me quæstorem Sicilienses excepit annus. Cotta ex consulatu est

profectus in Galliam. princeps & erat, & habebatur Hortensius. Cum autẽ anno post è Sicilia me recepissem, iá uidebatur illud in me, quicquid esset, esse perfectum, et habere maturitatem quandam suã. Nimis multa uideor de me, ipse præsertim, sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium, et eloquentiam meam perspicias, unde longẽ absum, sed ut laborem, et industriam. Cum igitur essem in plurimis cãusis, & in primis patronis quinquennium ferè uersatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen ueni designatus ædilis cum designato consule Hortensio. Sed quoniam omnis hic sermo noster non solum enumerationem oratoriam, uerumetiam præcepta quædam desyderat, quid tanquam notandum, & animaduertendum sit in Hortensio, breuiter licet dicere. Nam is post consulatum (credo quod uideret ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent) summũ illud suum studium remsit, quo à puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia uoluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe uiuere. primus, & secundus annus, et tertius tantum quasi de picturæ ueteris colore detraxerat, quantum nõ quiuis unus ex populo, sed existimator doctus, & intelligens posset cognoscere. Longius autem procedens, et in cæteris eloquentiæ partibus, tum maxime in celeritate, et continuatione uerborum adhærescens sui dissimilior uidebatur fieri quotidie. Nos autem non desistebamus, cum omni genere exercitationis, tum maxime stylo nostrum illud quod erat, augere, quantũcunque erat. Atq; (ut multa omittam) in hoc spatio, et in ijs post ædilitatem annis, & prætor primus, & incredibili populari uolũtate sum factus. Nam, cum propter assiduitatem in cãusis, & industriã, tum propter exquisitius, et minime uulgare orationis genus, animos hominum ad me dicendi nouitate conueteram. Nihil de me dicam, dicam de cæteris, quorum nemo erat, qui uideretur exquisitius, quàm uulgus hominum studuisse literis, qbus fons perfectæ eloquentiæ continetur. nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omniũ benefactorum, beneq; dictorum, nemo, qui ius ciuile didicisset, rem ad priuatas cãusas, & ad oratoris prudentiam maxime necessariam. nemo, qui memoriam rerum romanarũ teneret, ex qua siquando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret. nemo, qui breuiter, argute q; incluso aduersario laxare iudicum animos, atque à seueritate paulisper ad hilaritatẽ, risumq; traducere t. nemo, q dilatare posset, atq; à propria, ac definita disputatione hominis, ac temporis, ad cõmunem quæstionẽ uniuersi generis orationem traducere t. nemo, q

delectandi gratia digredi parumper à causa. nemo, qui ad iracundiã magnopere iudicem. nemo, qui ad fletum posset adducere. nemo, qui animum eius (quod unum est oratoris maxime proprium) quocunq; res postularet, impelleret. Itaq; cum iam penè euanuisset Hortensius, & ego anno meo, sexto autem post illũ consulem consul factus essem, reuocare se ad industriá cœpit, ne cum pares honore essemus, aliqua re superiores uideremur. Sic duodecim post meũ consulatum annos in maximis causis, cũ ego mihi illũ, sibi me ille anteferret, coniunctissime uersati sumus, consulatusq; meus, qui illũ primo leuiter pstrinxerat, idem nos rerũ mearum gestarũ, quas ille admirabatur, laude coniunxerat. Maxime uero pspecta est utriusq; nostrũ exercitatio, paulo ante quàm perterritum armis hoc studium Brute nostrũ conticuit subito, et obmutuit, cũ lege Pompeia ternis horis ad dicẽdũ datis ad causas simillimas inter se, uel potius easdẽ noui uenieba-mus quotidie, quibus quidẽ causis tu etiã Brute præstò fuisti, cóplu-resq; & nobiscum, & solus egisti: ut qui nó satis diu uixerit Hortensius, tamen hunc cursum confecerit, annis ante decẽ causas agere cœpit, quàm tu es natus, idẽ quarto sexagesimo anno perpaucis ante mortem diebus unà tecum socerũ tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in utroq; orationes utriusq; etiam posteris nostris indicabunt. Sed si quærimus, cur adolescens magis floruerit dicẽdo, quàm senior Hortensius, causas reperiemus ueriſſimas duas, primũ qđ genus erat orationis asiaticũ, adolescentiæ magis conces-sum, quàm senectuti. Genera autẽ asiaticæ dictionis duo sunt. Vnũ sententiosum, et argutũ, sententijs non tã grauibus, & seueris, quàm concinnis, & uenustis, qualis in historia Timæus, in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandeus, magis etiã Menecles frater eius fuit, quorũ utriusq; orationes sunt in primis, ut asiatico in genere laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententijs frequentatum, quàm uerbis uolucre, atq; incitatum, quali est nunc Asia tota, nec flu-mine solũ orationis, sed etiã exornato, & facto genere uerborũ, in quo fuit Aeschylus Gnidius, & meus æqualis Milesius Aeschines. In ijs erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarũ conamnitas nó erat. Hæc autẽ (ut dixi) genera dicẽdi aptiora sunt adolescenti-bus, in senibus grauitatẽ non habent. Itaq; Hortensius utroq; genere florens, clamores faciebat adolescens. Habebat enim & Meneclium illud studiũ crebrarũ, uenustarumq; sententiarum. in quibus ut in illo græco, sic in hoc erant quædã magis uenustæ, dulcesq; sentẽtiæ, quàm aut necessariæ, aut interdum utiles. Et erat oratio cũ incitata

& uibrans, tum etiã accurata, et polita. Non probantur hæc senibus, sæpe uidebam cum irridentem, tum etiã iraſcentem, et ſtomachantẽ Philippum, ſed mirabantur adoleſcentes, multitudo mouebatur. Erat excellẽs iudicio uulgi, et facile primas tenebat adoleſcens. Etſi enim genus illud dicendi authoritatis habebat parũ, tamen aptum eſſe ætati uidebatur, et certe quod et ingenij quædã forma lucebat, et exercitatione perfecta erat, uerborumq; aſtricta comprehenſio, ſummam hominum admirationem excitabat. Sed cũ iam honores, et illa ſenior authoritas grauius quiddam requireret, remanebat idẽ, nec decebat idem, quodq; exercitationem, ſtudiumq; dimiſerat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa, crebritasq; ſententiarum priſtina manebat, ſed ea ueſtitu illo orationis, quo cõſueuerat, ornata nõ erat. Hoc tibi ille Brute minus fortaſſe placuit, quàm placuiſſet, ſi illũ flagrantem ſtudio, & florentem facultate audire potuiſſes. Tum Brutus, Ego uero, inquit & iſta, quæ dicis uideo qualia ſint, et Hortẽſiũ magnum oratorem ſemper putaui, maximeq; probaui pro Meſſalla dicentem, cum tu abfuiſti. Sic ferunt inquam. Idq; declarat totidem, quot dixit (ut aiunt) ſcripta uerbis oratio. Ergo ille Craſſo cõſule, & Scæuola uſq; ad Paulum, et Marcellum cõſules floruit, nos in eodem curſu fuimus à Sylla dictatore, ad eoſdem ferè conſules. Sic Q. Hortenſij uox extincta fato ſuo eſt, noſtra publico. Melius quæſo omnare inquit Brutus. Sit ſanè, ut uis inquam, & id nõ tam mea cauſa, quàm tua, ſed fortunatus illius exitus, qui ea non uidit, cũ fierent, quæ prouidit futura. Sæpe enim inter nos impendentes caſus defleuimus, cum belli ciuilis cauſas in priuatorum cupiditatibus incluſas, pacis ſpem à publico conſilio eſſe excluſam uideremus. ſed illũ uidetur feliciatas ipſius, qua ſemper eſt uſus, ab eis miſerijs, quæ cõſecutæ ſunt, morte uindicaſſe. Nos autem Brute quoniam poſt Hortenſij clariſſimi oratoris mortem orbæ eloquentiæ quaſi tutores relicti ſumus, dum teneamus eã ſeptam liberali cuſtodia, et hos ignotos, atq; impudentes procos repudiemus, tueamurq; ut adultã uirginem caſte, et ab armatorũ impetu quantum poſſumus, prohibeamus. Equidem, etſi doleo, me in uitam paulo ſerius tanquam in uiã ingreſſum priusquam confectum iter ſit, in hanc reip. noctẽ incidiſſe, tamen ea conſolatione ſuſtentor, quam tu mihi Brute adhibuiſti tuis ſuauiſſimis literis, quibus me forti animo eſſe oportere cenſebas, quod ea geſſiſſem, quæ de me etiam me tacente ipſa loquerẽtur, mortuoq; uiuerent. Quæ ſi recte eſſet, ſaluti reip. ſin ſecus, interitu ipſo teſtimonium meorum de rep. conſiliorum darent. ſed in te intuens Brute

doleo, cuius in adoleſcentiam per medias laudes, quaſi quadrigis uehentẽ tranſuerſa incurrit miſera fortuna reip. hic me dolor tangit, hæc me cura ſolicitat, & hunc mecum ſocium eiuſdem & amoris, et iudicij. Tibi fauemus, te tua frui uirtute cupimus, tibi optamus eam remp. in qua duorum generum ampliſſimorum renouare memoriam, atq; augere poſſis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum, tu illuc uenieras unus, q non linguam modo acuiſſes exercitatione dicendi, ſed & ipſam eloquentiam locupletauiſſes grauiorum artium inſtrumento, & iiſdem artibus decus omne uirtutis cũ ſumma eloquentiæ laude iunxiſſes. Ex te duplex nos afficit ſolicitudo, quod et ipſe rep. careas, et illa te. Tu tamen, etſi curſum ingenij tui Brute premit hæc importuna clades ciuitatis, contine te in tuis perennibus ſtudijs, et efficæ id, quod iam propemodum, uel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congeſſi in hunc ſermonem, turba patronorum. Nec enim decet te ornatum uberrimis artibus, quas cum domo haurire non poſſes, accerſiuiſti ex urbe ea, quæ domus eſt ſemper habita doctrinæ, numerari in uulgo patronorum. Nam qd te exercuit Pammenes uir longe eloquentiſſimus Græciæ? Quid illa uetus Academia, atq; eius hæres Hariſtus hoſpes, et familiaris meus, ſiquidem ſimules maioris partis oratorum futuri ſumus? non'ne cernimus uix ſingulis ætatibus binos oratores laudabiles cõſtitiſſe? Galba fuit inter tot æquales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, & Cato cedebat ſenior, & qui temporibus illis ætate inferiores fuerũt, Lepidus poſtea, deinde Carbo. Nam Gracchi in concionibus multo facultate, & liberiore genere dicendi, quorum tamen ipſorum ad ætatem laus eloquentiæ perfecta non dum fuit, Antonius, Craſſus, poſt Cotta, Sulpitius, Hortenſius, nihil dico amplius, tantum dico, ſi mihi accidiſſet, ut numerarer in multis, * ſi operoſa eſt concurſatio magis opportunorum.

FINIS.

M. TVLLII CICERONIS AD MARCVM BRVTVM ORATOR.

TRVM *difficilius, aut maius esset negare tibi sæpius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu, multumq; Brute dubitaui.* Nam *et negare ei, quem unicè diligerem, cuiq; me carissimum esse sentirem, præsertim & iusta petenti, & præclara cupienti, durum admodum mihi uidebatur, & suscipere tantam rem, quantam nó modo facultate cõsequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, uix arbitrabar esse eius, qui uereretur reprehensionem doctorum, atq; prudentiũ. Quid enim est maius, quàm cum tanta sit inter oratores bonos dissimlitudo, iudicare, quæ sit optima species, & quasi figura dicendi? Quod quoniam me sæpius rogas, aggrediar, nõ tam perficiendi spe, quàm experiundi uoluntate.* Malo *enim, cum studio tuo sim obsecutus, desyderari à te prudentiam meã, quàm si id non fecerim, beneuolentiã. Quæris igitur, idq; iam sæpius, quod eloquentiæ genus probem maxime, & quale mihi uideatur illud, cui nihil addi possit, quod ego summũ et perfectissimum iudicem.* In *quo uereor, ne, si id, quod uis, effecero, eumq; oratorem, quem quæris, expressero, tardem studia multorum, qui desperatione debilitati, experiri id nolent, quod se assequi posse diffidant.* Sed *par est omneis omnia experiri, qui res magnas, & magnopere expetendas concupiuerunt. Quodsiquẽ aut natura sua, aut illa præstantis ingenij uis, forte deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit, prima enim sequentem, honestum est in secundis, tertijsq; consistere.* An *in poëtis, non* Homero *soli locus est (ut de græcis loquar) aut* Archilocho, *aut* Sophocli, *aut* Pindaro, *sed horum uel secundis, uel etiã infra secundos.* Nec *uero* Aristotelem *in philosophia deterruit à scribendo amplitudo* Platonis. Nec *ipse* Aristoteles *admirabili quadam scientia, & copia cæterorum studia restinxit.* Nec *solum ab optimis studijs excellentes uiri deterriti non sunt, sed ne opifices quidẽ se artibus suis remouerunt, qui aut* Hyalisi, *quem* Rhodi *uidimus, non potuerũt, aut* Coæ Veneris *pulchritudinem imitari.* Nec *simulachro* Iouis olympij, *aut* Doryphori *statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent. Quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cuiusq; genere laus, ut cũ summa mirarentur,*

inferiora tamen probaremus. In oratoribus uero, græcis quidem, admirabile est, quantũ inter omneis unus excellat. Attamen, cum esset Demosthenes, *multi oratores magni, & clari fuerunt, & antea fuerant, nec postea defecerunt. Quare non est, cur eorum, qui se studio eloquẽtiæ dediderunt, spes infringatur, aut languescat industria. Nã neq; illud ipsum, quod est optimum, desperandum est, & in præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima. Atq; ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quæro quis fuerit, sed qd sit illud, quo nihil possit esse præstantius, quod in ppetuitate dicendi non sæpe, atq; haud scio, an unquã, in aliqua autem parte, eluceat aliquando, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo quasi imago, exprimatur, quod neq; oculis, neq; auribus, neq; ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum, & mente complectimur. Itaq; & Phidiæ simulachris, qbus nihil in illo genere pfectius uidemus, & his picturis, quas nominaui, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec uero ille artifex, cum faceret Iouis formã, aut Mineruæ, contemplabatur aliquem, è quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eáq; defixus, ad illius similitudinem artem, & manum dirigebat. Vt igitur in formis, & figuris est aliquid pfectum, et excellens, cuius ad excogitatam speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa non cadunt, sic pfectæ eloquentiæ speciem animo uidemus, effigiem auribus quærimus. Has rerũ formas appellat ideas ille non intelligendi solũ, sed etiam dicendi grauissimus author, & magister* Plato, *eásq; gigni negat, & ait semper esse, ac ratione, & intelligentia contineri, cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno, et eodẽ statu. Quicquid est igitur, de quo ratione, & uia disputetur, id est ad ultimã sui generis formam, speciemq; redigendũ.*

Ac uideo hanc primam ingressionem meã non ex oratoris disputationibus ductam, sed è media philosophia repetitam, & eã qdem, cũ antiquam, tum subobscurã, aut reprehensionis aliqd, aut certe admirationis habituram. Nam aut mirabuntur, quid hæc pertineant ad ea, quæ quærimus, qbus satisfactet res ipsa cognita, ut non sine causa alte repetita uideatur: aut reprehendent, quod inusitatas uias indagemus, tritas relinquamus. Ego autẽ & me sæpe noua uidere dicere intelligo, cũ peruetera dicam, sed inaudita pleriſq;, & fateor me oratorem, si modo sim, aut etiam quicunq; sim, non ex rhetorum

officinis,

officinis, sed ex academiæ spatijs extitisse. Illa enim sunt curricula multiplicium, uariorumq; sermonũ, in qbus Platonis primũ sunt impressa uestigia, sed et huius, & aliorũ philosophorũ disputationibus & exagitatus maxime orator est, et adiutus. Omnis enim ubertas, & quasi sylua dicendi ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas, quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus musis reliquerunt, sic eloquentia hæc forensis, spreta à philosophis, & repudiata, multis quidẽ illa adiumentis, magnisq; caruit, sed tamen ornata uerbis, atq; sententijs iactationẽ habuit in populo, nec paucorum iudiciũ, reprehensionemq; ptimuit. Ita & doctis eloquẽtia popularis, & disertis elegans doctrina defuit. Positum sit igitur in primis, quod post magis intelligetur, sine philosophia nõ posse effici, quẽ quærimus eloquentem. Non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adiuuet, ut palæstra histrionem, parua enim magnis sæpe rectissime conferuntur. nã nec latius, nec copiosius de magnis, uarijsq; rebus sine philosophia potest quisquam dicere, siquidẽ etiã in Phædro Platonis hoc Periclẽ præstitisse cæteris dicit oratoribus Socrates, qđ is Anaxagoræ physici fuerit auditor, à quo censet eum, cũ alia præclara quædã, et magnifica didicisset, uberem, et fœcundũ fuisse, gnarumq; (quod est eloquentiæ maximum) qbus orationis modis quæq; animorum partes pellerentur. quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistolis intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor. Nec uero sine philosophorũ disciplina genus, et speciẽ cuiusque rei cernere, neq; eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec iudicare quæ uera, quæ falsa sint, neq; cernere consequentia, repugnantia uidere, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum? cuius cognitio magnam orationis suppeditat copiã, de uita, de officijs, de uirtute, de moribus, sine multa earũ ipsarum rerũ disciplina aut dici, aut intelligi posse? ad has tot, tantasq; res adhibẽda sunt ornamenta innumerabilia, quæ sola tum quidem tradebantur ab ijs, qui dicendi numerabantur magistri. Quo fit, ut ueram illam, & absolutam eloquentiam nemo consequatur, qđ alia intelligẽdi, alia dicendi disciplina est, et ab alijs rerũ, ab alijs uerborũ doctrina quæritur. Itaq; M. Antonius, cui uel primas eloquentiæ patrum nostrorũ tribuebat ætas, uir natura pacutus, & prudens, in eo libro, quem unũ reliquit, disertos ait se uidisse multos, eloquentem omnino neminem. Insidebat uidelicet in eius mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsa non uidebat. Vir autem acerrimo ingenio (sic enim fuit) multa & in se, & in alijs desyderans, nemi-

nem plane, qui recte appellari eloquens posset, uidebat. Quod si ille nec se, nec L. Crassum eloquentem putauit, habuit profecto comprehensam animo quandá formam eloquentiæ, cui quoniam nihil deerat, eos, qbus aliquid, aut plura deerant, in eam formam nõ poterat includere. Inuestigemus hunc igitur Brute, si possumus, quem nunquam uidit Antonius, aut qui omnino nullus unquam fuit, quẽ si imitari, atq; exprimere non possumus, quod idem ille uix deo concessum esse dicebat, attamen, qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere. Tria sunt omnino genera dicendi, quibus in singulis quidã floruerunt, peræque autem, id quod uolumus, perpauci in omnibus. Nam & grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt cum ampla & sententiarum grauitate, & maiestate uerborum, uehementes, uarij, copiosi, graues, ad permouendos, & conuertendos animos instructi, & parati, quod ipsum alij aspera, tristi, horrida oratione, neq; perfecta, neq; concluſa, Alij leui, & instructa, & terminata. Et contra tenues, acuti, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam, & pressa oratione limati. in eodemq; genere alij callidi, sed impoliti, & consulto rudium similes, & imperitorum, alij in eadẽ ieiunitate concinniores, idest faceti, florentes etiam, & leuiter ornati. Est autem quidam interiectus intermedius, et quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, uicinus amborum, in neutro excellens, utriusq; particeps, uel utriusq;, si uerum quærimus, potius expers. Isq; uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit, nihil afferens præter facultatem, & æqualitatem, aut addit aliquos, ut in corona, toros, omnemq; orationẽ ornamentis modicis uerborũ, sententiarumq; distinguit. Horum singulorum generum quicũq; uim singulis consecuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerũt. Sed quærendum est, satisne id, quod uolumus, effecerint. Videmus enim fuisse quosdam, qui ijdem ornate, ac grauiter, ijdem uersute, et subtiliter dicerent. Atq; utinam in latinis talis oratoris simulachrũ reperire possemus, esset egregium non quærere externa, domesticis esse contentos. Sed ego idem, qui in illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto, multum tribuerim latinis, uel ut hortarer alios, uel quod amarem meos, recordor longe omnibus unũ anteferre Demosthenem, qui uim accommodarit ad eã, quam sentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipse cognouerim. Hoc nec grauior extitit quisquam, nec callidior, nec temperatior. Itaq; nobis monendi sunt ij, quorũ sermo imperitus increbuit, q aut dici se desyderãt atticos, aut ipsi attice uolũt dicere, ut mirentur hũc maxime, quo Athenas qdem

ipsas

ipſas magis credo fuiſſe atticas, quid enim ſit atticum, diſcant, eloquẽ tiamq; ipſius uiribus non imbecillitate ſua metiantur. Nunc enim tã tum quiſque laudat, quantum ſe poſſe ſperat imitari: ſed tamẽ eos ſtu dio optimo, iudicio omnus firmo præditos, docere, quæ ſit propria laus atticorum, non alienum puto. Semper oratorum eloquentiæ mo= deratrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari uolũt, uoluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamq; et ad corũ ar= bitrium, & nutum totos ſe fingunt, et accommodant. Itaq; Charia, et Phrygia, et Myſia, quod minime politæ, minimeq; elegantes ſunt, aſci= uerunt aptum ſuis auribus opimum quoddam, et tanquam adipale dictionis genus, quod eorũ uicini, non ita lato interiecto mari, Rho dij nunquam probauerunt. Græci autem multo omnes, Athenienſes uero funditus repudiauerunt, quorũ ſemper fuit prudẽs, ſyncerumq; iudicium, nihil ut poſſent, niſi incorruptum audire, & elegans. Eo= rum religioni cum ſeruiret orator, nullum uerbum inſolens, nullum odioſum ponere audebat. Itaque hic, quem præſtitiſſe diximus cæte= ris, in illa pro Ctheſiphonte oratione longe optima ſummiſſius a' pri mo, deinde, dum de legibus diſputat, preſſius, poſt ſenſim incedens, iu= dices ut uidit ardentes, in reliquis exultauit audacius. Ac tamen in hoc ipſo diligenter examinante uerborũ omniũ põdera, reprehẽdit Aeſchines quædam, & exagitat, illudensq;, dura, odioſa, intolerabi lia eſſe dicit. Quin etiam quærit ab ipſo, cum quidem eum belluam appellet, utrum illa uerba, an portenta ſint, ut Aeſchini, ne Demo= ſthenes quidẽ uideatur attice dicere. Facile eſt enim uerbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare, idq; reſtinctis iam animorum incendijs, irridere. Itaque ſe purgans iocatur Demoſthenes, negat in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, in hoc in eum, huc, an illuc manũ porrexerit. Quonam igitur modo audiretur myſus, aut phryx Athenis, cum eti am Demoſthenes exagitetur ut putidus? Cum uero inclinata, ululan tiq; uoce more aſiatico canere cœpiſſet, quis eum ferret? aut quis po tius non iuberet auferri? Ad Atticorum igitur aures teretes, et re= ligioſas qui ſe accommodant, ij ſunt exiſtimandi attice dicere. Quorũ genera plura ſunt, hi unum modo quale ſit, ſuſpicantur. Putant enim qui horride, inculteq; dicat, modo id eleganter, enucleateq; faciat, eũ ſolum attice dicere. Errant, quod ſolum, quod attice, non falluntur. Iſtorum enim iudicio ſi ſolum illud eſt atticum, ne Pericles quidẽ di= xit attice, cui primæ ſine controuerſia deferebantur. qui ſi tenui ge= nere uteretur, nunquam ab Ariſtophane poëta fulgere, tonare, permi ſcere Græciam dictus eſſet. Dicat igitur attice uenuſtiſſimus ille ſcri=

ptor,ac politissimus Lysias. Quis enim id possit negare? dum intelligamus,hoc esse atticum in Lysia,non quod tenuis sit,atque inornatus,sed quod nihil habeat insolens,aut ineptum. Ornate uero,& grauiter,& copiose dicere,aut atticorum sit,aut ne sit Aeschines,ne'ue Demosthenes atticus. Eæ autẽ aliqui se thucydidios esse profitentur, nouum quoddam,imperitorum,& inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur,causidicum quendam sequuntur non illum quidem amplum,atque grandem,subtilem,& elegantem tamen,et qui in forensibus causis possit præclare consistere. Thucydides autem res gestas,& bella narrat,& prælia,grauiter sanè,& probe,sed nihil abeo transferri potest ad forensem usum,& publicum. Ipsæ illæ concones ita multas habent obscuras,abditasq; sententias,uix ut intelligãtur,quod est in oratione ciuili uitium uel maximum. Quæ est autẽ in hominibus tanta peruersitas,ut inuentis frugibus,glande uescantur? an uictus hominum atheniensium beneficio excoli potuit, oratio non potuit? Quis porrò unquam græcorum rhetorum à Thucydide quicquã duxit? At laudatus est ab omnibus,fateor,sed ita,ut rerũ explicator prudẽs,seuerus,grauis,nõ ut in iudicijs uersaret causas, sed ut in historijs bella narraret. Itaq; nunq̃ est numeratus orator. Nec uero si historiam non scripsisset,nomẽ eius extaret,cum præsertim fuisset honoratus,et nobilis. Huius tamẽ nemo, neq; uerborum, neq; sententiarum grauitatem imitatur, sed cum mutila quædam, et hiantia locuti sunt,quæ uel sine magistro facere potuerunt,germanos se putant esse Thucydidis. Nactus sum etiam, q Xenophõtis simulem esse se cuperet,cuius sermo est ille quidem melle dulcior,sed à forensi strepitu remotissimus. Referamus nos igitur ad eum,quem uolumus inchoandum,et eadem eloquentia informandum,quam i nullo cognouit Antonius. Magnum opus omnino,& arduum Brute conamur,sed nihil difficile amanti puto. Amo autem,& semper amaui ingenium,studia,mores tuos. Incendor porrò quotidie magis, nõ desyderio solum,quo quidem conficior,congressus nostros, cõsuetudinem uictus,doctissimos sermones requirens tuos,sed etiam admirabili fama uirtutum incredibiliũ,quæ specie dispares prudentia coniungũtur. Quid enim tã distans,quàm à seueritate comitas? Quis tamen unquam te aut sanctior est habitus,aut dulcior? Quid tam difficile,quã in plurimorum controuersijs diiudicandis ab omnibus diligi? consequeris tamen,ut eosipsos,quos contra statuas,æques,placatosq; dimittas. Itaque efficis,ut cum gratiæ causa nihil facias, omnia tamen sint grata,quæ facis. Ergo omnibus terris,una Gallia commu-

ni non ardet incendio, in qua frueris ipse te, cum in Italiæ luce cognoscens, uersaris q; in optimorum ciuium uel flore, uel robore. Iam quantum illud est, quod in maximis occupationibus nunquam intermittis studia doctrinæ, semper aut ipse scribis aliquid, aut me uocas ad scribendum. Itaque hoc sum aggressus statim Catone absoluto, quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica uirtuti, nisi tibi hortanti, & illius memoriam mihi cãram excitanti, non parere nefas esse duxissem, sed testificor me à te rogatum, & recusantem hæc scribere esse ausum. uolo enim mihi tecum commune esse crimen, ut si sustinere tantam quæstionem non potuero, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. in quo tamen iudicij nostri errorem, laus tibi dati muneris compensabit. SED in omni re difficillimum est formam, quod χαρακτῆρα græce dicitur, exponere optimi, quod aliud alijs uidetur optimum. Ennio delector ait quispiam, quod non discedit à communi more uerborum. Pacuuio inquit alius, omnes apud hunc ornati, elaboratiq; sunt uersus, multa apud alterum negligentius. fac alium Accio, uaria enim sunt iudicia, ut in græcis, nec facilis explicatio, quæ forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca, contra alios nitida, læta, collustrata delectat. Quid est, quo præscriptum aliquod, aut formulam exprimas cum in suo quodque genere præstet, & genera plura sint? Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus, existimauique in omnibus rebus esse aliquid optimum, etiam si lateret, idq; ab eo posse, qui eius rei gnarus esset, iudicari. Sed quoniam plura sunt orationum genera, caq; diuersa, neq; in unam formam cadunt omnia. Laudationum, scriptionum, & historiarum, & talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panagyricum, multiq; alij, q sunt nominati sophistæ, reliquarumq; rerum formam, quæ absunt ab forensi contentione, eiusq; totius generis, quod græce ἐπιδεικτικὸν nominatur, quod quasi ad inspiciendum, delectationis causa cõparatum est, non complectar hoc tempore, non quo neglenda sit, est enim illa quasi nutrix eius oratoris, quem informare uolumus, & de quo molimur aliquid exquisitius dicere. Ab hac & uerborum copia alitur, & eorum constructio, & numerus liberiore quadã fruitur licentia. Datur etiam uenia concinnitati sententiarum, et arguti, certiq;, et circũscripti uerborũ ambitus concæduntur, de industriaq; nõ ex insidijs, sed aperte, ac palàm elaboratur, ut uerba uerbis quasi demensa, et paria respõdeant, ut crebro conferant pu-

gnantia, comparentq; contraria, & ut pariter extrema terminentur, eundemq; referant in cadendo sonum, quæ in ueritate causarũ, & rarius multo facimus, & certe occultius. In panathenaico autem Isocrates ea studiose consectatum fatetur. Non enim ad iudicioru certamen, sed ad uoluptatem auriũ scripserat. Hæc tractasse Thrasimachum Chalcedonium primum, & Leontinum ferunt Gorgiam, Theodorum inde byZantium, multosq; alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phædro Socrates, quorum satis arguta multa, sed ut modo, primumq; nascentia, minuta, & uersiculorum simulia quædam, nimiumq; depicta. quo magis sunt Herodotus, Thucydidesq; mirabiles, quorum ætas cum in eorum tempora, quos nominaui, incidisset, longissime tamen ipsi a talibus delitijs, uel potius ineptys abfuerunt. Alter enim sine ullis salebris, quasi sedatus amnis fluit, alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum, primisq; ab his (ut ait Thophrastus) historia commota est, ut auderet uberius, quã superiores, & ornatius dicere. Horum ætati succesit Isocrates, qui præter cæteros eiusdem generis laudatur semper a nobis, nonnunq; Brute, leuiter, & erudite repugnante te. Sed credas mihi fortasse, si, quid in eo laudem, cognoueris. Nam cum concisus ei Thrasimachus minutis numeris uideretur, et Gorgias, qui tamen primus traduntur arte quadam uerba iunxisse. Thucydides autem præfractior, nec satis (ut ita dicã) rotundus, primus instituit dilatare uerbis, & mollioribus numeris explere sententias. In quo cum doceret eos, qui partim in dicendo, partim in scribendo principes extiterũt, domus eius officina habita eloquentiæ est. Itaq;, ut ego, cum a nostro Catone laudabar, uel reprehendi me a cæteris facile patiebar, sic Isocrates uidetur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Est enim (ut scis) quasi in extrema pagina Phædri his ipsis uerbis
» loquens Socrates. Adolescens etiam nunc o Phædre Isocrates est. Sed
» quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem inquit ille? Maiore
» mihi ingenio uidetur esse, quàm ut cum oratiõibus Lysiæ comparetur,
» præterea ad uirtutem maior indoles, ut minime mirum futurum sit,
» si cum ætate processerit, aut in hoc orationũ genere, cui nunc studet,
» tantum, quantum pueris, reliquis præstet omnibus, qui unquam orati
» ones attigerunt, aut, si contentus his nõ fuerit, diuino aliquo animi mo
» tu maiora concupiscat. inest enim natura philosophia in huius uiri
» mente quædam. Hæc de adolescente Isocrate Socrates auguratur. at ea de seniore scribit Plato, et scribit æqualis, et quidem exagitator omniũ rhetorũ hunc miratur unũ, me autem, qui Isocratem nõ diligunt,

ligunt, una cum Socrate, & Platone errare patiantur. Dulcę igitur orationis genus, & ſolutum, et effluens, ſententijs argutum, uerbis ſonans eſt in illo epidictico genere, quod diximus proprium ſophiſtarum, pompæ, quàm pugnæ aptius, gymnaſijs, & paleſtræ dicatum, ſpretum, & pulſum foro. Sed quod educata huius nutrimentis eloquentia eſt, ipſaſe poſtea colorat, et roborat, non alienum fuit de oratoris quaſi incunabulis dicere. Verum hæc ludorum, atque pompæ, nos autem iam in aciem, dimicationemq; ueniamus. Quoniam tria uidenda ſunt oratori, quid dicat, et quo quicq; loco, et quomodo, dicẽ dũ omnino eſt, quid ſit optimum in ſingulis, ſed aliquanto ſecus, atq; in tradenda arte dicẽ ſolet, nulla præcepta ponemus, neq; enim id ſuſcepimus, ſed excellentis eloquentiæ ſpeciem, & formam adumbrabimus, nec quibus rebus ea paretur, exponemus, ſed qualis nobis eſſe uideatur. ac duo breuiter prima, ſunt enim non tam inſignia ad maximam laudem, quã neceſſaria, & tamen cum multis penè cõmunia. Nam & inuenire, & iudicare quid dicas, magna illa quidem ſunt, & tanquam animi inſtar in cõrpore, ſed propria magis prudentiæ, quã eloquentiæ, qua tamen in cauſa eſt uacua prudẽtia? Nouerit igitur hic quidem orator, quem ſummum eſſe uolumus, argumentorũ, & rationum locos. Nam quoniam quicquid eſt, quod in controuerſia, aut in contentione uerſetur, in eo aut ſit'ne, aut qd ſit, aut quale ſit, quæritur. ſit'ne? ſignis. qd ſit? definitionibus. quale ſit? recti, prauiq; partibus. qbus ut uti poſſit orator, non ille uulgaris, ſed hic excellens à proprijs perſonis, & temporibus ſemper, ſi poteſt, auocat cõtrouerſiam. Latius enim de genere, quã de parte diſceptare licet, ut quod in uniuerſo ſit probatum, id in parte ſit probari neceſſe. Hæc igitur quæſtio à proprijs perſonis, et temporibus, ad uniuerſi generis orationem traducta, appellatur theſis. In hac Ariſtoteles adoleſcentes, non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiã rhetorũ in utranq; partem, ut ornatius, & uberius dici poſſit, exercuit. Idemq; locos, ſic enim appellat, quaſi argumentorum notas, tradidit, unde omnis in utranq; partẽ traheretur oratio. Facile igitur hic noſter (non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulã de foro, ſed doctiſſimum, et perfectiſſimum quærimus) qnoniam loci certi traduntur, pcurret omneis, utetur aptis generatim, diſcet ex quo emanãt ẽt qui cõmunes appellãtur loci, nec uero utetur imprudẽter hac copia, ſed omnia expendet, et ſeleget. Non enim ſemper, nec in omnibus cauſis, ex ijſdem, argumentorũ momenta ſunt, iudiciũ ergo adhibebit, nec inueniet ſolum quid dicat, ſed etiam expendet. Nihil enim

feracius ingenijs, his præsertim, quæ disciplinis exculta sunt. Sed ut segetes fœcundæ, & uberes non solum fruges, uerum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus, sic interdũ ex illis locis aut leuia quædam, aut causis aliena, aut non utilia gignuntur. quorũ ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. Quonã modo ille in bonus hærebit, & habitabit suis? ut molliet dura? aut occultabit, quæ dilui non poterunt, atque omnino opprimet, si licebit, aut abducet animos, aut aliud afferet, quod oppositum probabilius sit, quàm illud, quod obstabit? Iã uero ea, quæ inuenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundũ erat de tribus. Vestibula nimirum honesta, aditusq; ad causam facient illustres, animosq; prima aggressione occupauerit, infirmabit, excludetq; contraria, de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitq; leuiora. Atq; in primis duabus dicendi ptibus qualis esset, summatim breuiterq; descripsimus. Sed, ut ante dictũ est, in his partibus, et si graues, atque magnæ sunt, munus & artis est, & laboris. Cum autem quid, et quo loco dicat, inuenerit, illud est longe maximũ, uidere quo nã modo. Scitũ est. n. quod Carneades noster dicere solebat, Clithomachum eadem dicere, Carneadem autem eodem etiam modo dicere. Quod si in philosophia tantum interest, quemadmodũ dicas, ubi res spectatur, non uerba pẽduntur, quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio? Quod quidem ego Brute ex tuis literis sentiebam, nó te id scitari qualem ego in inueniendo, & in collocando summũ esse oratorem uellem, sed id mihi quærere uidebare, quod genus ipsius orationis optimũ iudicarem. Rem difficilem (dij immortales) atq; oĩum difficillimam. Nam cum est oratio mollis, et tenera, et ita flexibilis, ut sequatur quocunq; torqueas, tum & naturæ uariæ, & uoluntates, multum inter se distantia effecerunt genera dicendi. Flumẽ alijs uerborum, uolubilitasq; cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Distincta alios, et interpuncta, interualla, moræ, respirationesq; delectant. Quid potest esse tã diuersum? tamen est in utroq; aliquid excellens. Elaborant alij lenitate, & æquabilitate, & puro quasi quodam, et candido genere dicendi. Ecce alij duritatem, & severitatem quandam uerbis, & orationis quasi mœstitiã sequuntur, quodq; paulo ante diuisimus, ut alij graues, alij tenues, alij temperati uellent uideri, quot orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur. Et quoniam cœpi iam cumulatius hoc munus augere, quàm a te postulatũ est, tibi. n. tantum de orationis genere quærenti, respondi etiam breuiter de inueniendo, & collocando, ne nunc

quidem ſolum de orationis modo dicam, ſed etiam de actionis, ita præ termiſſa pars nulla erit, quandoquidem de memoria nihil eſt hoc loco dicendum, quæ cómunis eſt multarũ artium. Quomodo autem dicatur, id eſt in duobus, in agendo, & in loquẽdo. Eſt enim actio quaſi corporis quædam eloquentia, cũ conſtet è uoce, atq; motu. Vocis mutationes totidem ſunt, quod animorũ, qui maxime uoce commouentur. Itaq; ille perfectus, quem iandudũ noſtra indicat oratio, ut cunq; ſe affectum uideri, et animum audiẽtis moueri uolet, ita certũ uocis admouebit ſonum, de quo plura dicerẽ, ſi hoc præcipiendi tẽpus eſſet, aut ſi tu hoc quæreres. dicerem etiam de geſtu, cum quo iunctus eſt multus, quibus omnibus dici uix poteſt, quantum interſit quẽadmodum utatur orator. Nam et infantes actionis dignitate eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt, et diſerti deformitate agẽdi multi infantes putati ſunt. ut iam non ſine cauſa Demoſthenes tribuerit, & primas, et ſecundas, et tertias actioni. Si. n. eloquẽtia nulla ſine hac, hæc autem ſine eloquentia tanta eſt, certe plurimum in dicendo poteſt. Volet igitur ille, qui eloquentiæ principatum petet, et contenta uoce atrociter dicere, & ſummiſſa leniter, et inclinata uideri grauis, & inflexa miſerabilis. Mira eſt. n. quædam natura uocis, cuius quidem e tribus omnino ſonis, inflexo, acuto, graui, tanta ſit, & tam ſuauis uarietas pfecta in cantibus. Eſt autem in dicendo etiam qdá cantus obſcurior, non hic è Phrygia, & Charia rhetorum epilogus penè cãticum, ſed ille, quem ſignificat Demoſthenes, et Aeſchines, cũ alter alteri obijcit uocis flexiones. Dicat plura etiam Demoſthenes, illumq; ſæpe dicat uoce dulci, & clara fuiſſe. In quo illud etiam notandũ mihi uidetur ad ſtudium perſequendæ ſuauitatis in uocibus, ipſa enim natura quaſi modularetur hominum orationem, in omni uerbo poſuit acutam uocem, nec una plus, nec à poſtrema ſyllaba citra tertiã, quo magis naturam ducem ad aurium uoluptatem ſequatur induſtria. Ac uocis quidem bonitas optanda eſt (non eſt enim in nobis) ſed tractatio, atque uſus in nobis. ergo ille princeps uariabit, & mutabit, omnis ſonorum tum intendens, tum remittens perſequetur gradus, idemq; motu ſic utetur, nihil ut ſuperſit in geſtu. Status erectus, & celſus, rarus inceſſus, nec ita lógus, excurſio moderata, eáq; rara, nulla mollitia ceruicum, nullæ argutiæ digitorũ, nõ ad numerũ articulus cadens, trunco magis toto ſe ipſe moderans, et uirili laterũ flexione, brachij proiectione in contentionibus, cõtractione in remiſſis. Vultus uero, qui ſecundũ uocẽ plurimũ poteſt, qtã affert tum dignitatẽ, tum uenuſtatem, in quo cũ effeceris, nequid ineptum, aut multuoſum

ſit, tum oculorum eſt quædam magna moderatio. Namut imago eſt animi uultus, ſic indices oculi, quorum & hilaritatis, & uicissim tristitiæ modum, res ipſæ, de quibus agetur, temperabunt. Sed iam illius perfecti oratoris, & ſummæ eloquentiæ, ſpecies exprimenda eſt, quem hoc uno excellere. i. oratione, cætera in eo latere, indicat nomẽ ipſum. Non. n. inuentor, aut compoſitor, aut actor, hæc complexus eſt oía, ſed & græce ab eloquendo rhetor, & latine eloquens dictus eſt. Cæterarum enim rerum, quæ ſunt in oratore, partem aliquã ſibi quiſq; uendicat, dicendi autem. i. eloquendi maxima uis ſoli huic cõceditur. Quanquã enim & philoſophi quidam ornate locuti ſunt, ſiquidẽ et Theophraſtus diuinitate loquendi nomen inuenit, et Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſſiuit, et Xenophontis uoce muſas quaſi locutas ferunt, et longe omniũ, quicunq; ſcripſerunt, aut locuti ſunt, extitit, & grauitate princeps Plato, tamen horũ oratio neq; neruos, neq; aculeos oratorios, ac forenſes habet. Loquuntur cum doctis, quorum ſedare animos malunt, quã incitare, ſic de rebus placatis, ac minime turbulentis docendi cauſa, non capiendi loquuntur, ut in eoipſo qđ delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nõnullis, quã neceſſe ſit, facere uideantur. Ergo ab hoc genere nõ difficile eſt hanc eloquentiã, de qua nũc agitur, ſeernere. Mollis eſt enim oratio philoſophorum, et umbratilis, nec ſententijs, nec uerbis inſtructa popularibus, nec iuncta numeris, ſed ſoluta liberius, nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutum, caſta, uerecũda, uirgo incorrupta quodammodo, itaq; ſermo potius, quã oratio dicitur. quanquam enim omnis locutio oratio eſt, tamen unius oratoris locutio hoc proprio ſignata nomine eſt. Sophiſtarum, de quibus ſupra dixi, magis diſtinguenda ſimilitudo uidetur, qui omnes eoſdẽ uolunt flores, quos adhibet orator in cauſis, perſequi. Sed hoc differũt, quod cum ſit his propoſitum non perturbare animos, ſed placare potius, nec tam perſuadere, quã delectare, et apertius id faciunt, quàm nos, & crebrius, concinnas magis ſententias exquirunt, quàm probabiles, à re ſæpe diſcedunt, intexunt fabulas, uerba apertius trãſferunt, eáq; ita diſponunt, ut pictores uarietatem colorum, paria paribus referunt, aduerſa contrarijs, ſæpiſſimeq; ſimiliter extrema definiunt. Huic generi hiſtoria finitima eſt, in qua & narratur ornate, & regio ſæpe, aut pugna deſcribitur, interponuntur etiam contiones, & hortationes, ſed in his tracta quædam, & fluens expetitur, non hæc contorta, & acris oratio. Ab his non multo ſecus, quàm à poëtis hæc eloquentia, quam quæ-

rimus,seu locanda est. Nam etiam poëtæ quæstionem attulerunt, quidnam esset illud,quo ipsi differrent ab oratoribus,numero maxime uidebantur antea & uersu,nunc apud oratores iam ipse numerus increbuit. Quicquid est enim, quod sub aurium mensuram aliquã cadit,etiã si abest a uersu (nam id qdem orationis est uitium) numerus uocatur,qui græce ῥυθμὸς dicitur. Itaq; uideo uisum esse nonnullis,Platonis,& Democriti locutionẽ,etsi absit a uersu,tamen quod incitatius feratur,& clarissimis uerborum lumnibus utatur, potius poema putandum,quàm comicorum poëtarum, apud quos, nisi qđ uersiculi sunt,nihil est aliud quotidiani dissimule sermonis, nec tamen id est poëtæ maximũ, etsi est,eo laudabilior, qđ uirtutes oratoris ꝑsequitur,cũ uersu sit astrictior. Ego autem etiã si quorũdã grandis,et ornata uox est poëtarum,tamen in ea cũ licentiam statuo maiorem esse,quàm in nobis faciendorũ, iungendorumq; uerborũ, tum etiã nonnullorũ uoluptati uocibus magis,quàm rebus inseruiũt. Nec uero siquid est unum inter eos simile(id autem est iudiciũ,electioq; uerborum) propterea cæterarum rerũ dissimilitudo intelligi non potest,sed id nec dubium est,& siquid habet quæstionis,hoc tamen ipsum ad id,quod propositum est,non est necessariũ. Seiunctus igitur orator a philosophorum eloquentia,a sophistarũ,ab historicorum,a poëtarum,explicandus est nobis,qualis futurus sit. Erit igitur eloquens(hunc enim authore Antonio querimus)is, qui in foro,causisq; ciuilibus ita dicet,ut probet, ut delectet,ut flectat.probare necessitatis est,delectare suauitatis, flectere uictoriæ. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum.Sed quot officia oratoris,tot sunt genera dicendi.Subtile in probando, modicum in delectando,uehemens in flectendo,in quo uno uis omnis oratoris est.Magni igitur iudicij,summæ etiã facultatis esse debebit moderator ille,& quasi temperator huius tripartitæ uarietatis. Nam & iudicabit quid cuiq; opus sit,et poterit,quocunq; modo postulabit causa,dicere,Sed est eloquentiæ,sicut reliquarum rerũ fundamentũ sapientia,Vt enim in uita,sic in oratione nihil est difficilius,quàm quid deceat uidere. πρέπον appellant hoc græci, nos dicamus sanè decorum,de quo præclare,& multa præcipiuntur,& res est cognitione dignissima.Huius ignoratione non modo in uita,sed sæpissime & in poëmatis,& in oratione peccatur.est autem quid deceat oratori uidendum,non in sententijs solum, sed etiam in uerbis. Non enim omnis fortuna,non omnis honos, non omnis authoritas, non omnis ætas,nec uero locus, aut tempus,aut auditor omnis,eo-

dē aut uerborū genere tractandus est, aut sententiarū, semperq; in omni parte orationis, ut uitæ, quid deceat, est cōsyderandū, qđ & in re, de qua agitur, positum est, & in ꝑsonis, & eorū, qui dicunt, & eorū, qui audiunt. Itaq; hunc locū longe, et late patentem philosophi solent in officijs tractare, non cū de recto ipso disputant, nā id quidem unū est, Grammatici in pœtis, Eloquentes in omni & genere, & parte causarum. quàm enim indecorum est, de sullicadys, cum apud unum iudicem dicas, amplissimis uerbis, et locis uti communibus? de maiestate populi R. summisse, et subtiliter? hic genere toto. at persona alij peccant, aut sua, aut iudicum, aut etiam aduersariorum, nec re solum, sed sæpe etiam uerbo, & si sine re nulla uis uerbi est, tamen eadem res sæpe aut probatur, aut reijcitur alio, atq; alio elata uerbo. In omnibusq; rebus uidendū est quatenus, etsi enim suus cuiq; modus est, tamen magis offendit nimium, quàm parū. In quo Apelles pictores quoq; eos peccare dicebat, qui non sentirent, qd esset satis. Magnus esset locus hic Brute, quod te non fugit, & magnum uolumen aliud desyderat, sed ad id, quod agitur, illud satis. cū hoc decere, qđ semper usurpamus in omnibus dictis, et factis minimis, & maximis, cū hoc inquam decere dicimus, illud non decere, & id usquequaque quantum sit, appareat, in alioq; ponatur, aliudq; totum sit, utrū decere, an oportere dicas, oportere enim ꝑfectionē declarat officij, quo & semper utendum est, & omnibus. decere, quasi aptum esse consentaneumq; tempori, et ꝑsonæ, quod cum in factis sæpissime, tum in dictis ualet, in uultu deniq;, & gestu, et incessu, contraq; item dedecere. Quod si poëta fugit, ut maximum uitium, qui peccat etiā cum probam orationem affingit improbo, stulto ue sapiētis, si deniq; pictor ille uidit, cum immolanda Iphigenia tristis Chalcas esset, mœstior Vlysses, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari, si deniq; histrio quid deceat, quærit, quid faciendū oratori putemus? sed cum hoc tantū sit, quid in causis, earumq; quasi moꝛis faciat orator uiderit. Illud quidem perspicuū est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas, alias alia forma dicendi esse tractandas.

Sequitur, ut cuiusq; generis nota quæratur & formula, magnum opus, et arduum (ut sæpe iam diximus) sed ingredientibus cōsyderandum fuit, quid ageremus. Nunc quidem iam quocunq; feremur, danda nimirū uela sunt. Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam uocant atticum. Summissus est, et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re, plusquam opinione differens.

Itaq; eum qui audiunt, quamuis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas imtabilis quidē illa uidetur esse existimanti, sed nihil est experienti munus. Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut etiam si illis maximis uiribus careat, sit (ut ita dicam) integra ualetudine. Primum igitur eum tanquam è uincaulis numerorū eximamus. Sunt enim quidam (ut scis) oratori numeri, de qbus mox agemus, obseruandi ratione quadam, sed alio in genere orationis, in hoc omnino relinquendi, solutum quiddam sit, nec uagum tamen, ut ingredi libere, nō ut licenter uideatur errare. Verba etiā uerbis quasi cōagmentare negligat. habet enim ille tanquā hiatus concursu uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis, magis quàm de uerbis laborantis. Sed erit uidendum de reliquis, cum hæc duo ei liberiora fuerint, circuitus, conglutinatioq; uerborum. illa enim ipsa contracta, & minuta non negligenter tractanda sunt, sed quædam etiam negligentia est diligens. Nam ut mulieres esse dicuntur nōnullæ inornatæ, quas idipsum deceat, sic hæc subtilis oratio etiam incompta delectat, fit enim quiddam in utroq; quo sit uenustius, sed non, ut appareat. tum remouebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur. Fucati uero medicamenta candoris, & ruboris, omnia repellentur, elegantia modo, & munditia remanebit. Sermo purus erit, & latinus, dilucide, planeq; dicetur, quid deceat circunspicietur. Vnum aderit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud suaue, et affluens, acutæ crebræq; sententiæ ponentur, & nescio unde ex abdito erutæ, atq; in hoc oratore dominabitur. Verecundus erit usus oratoriæ quasi supellectilis. supellex est enim quodammodo nostra, quæ est in ornamentis, alia rerū, alia uerborum. Ornatus autem uerborū duplex, unus simplicium, alter collocatorū. Simplex probatur in propriis usitatisq; uerbis, qđ aut optime sonat, aut rem maxime explanat. In alienis, aut translatum, aut factum aliunde, ut mutuo, aut factum ab ipso, aut nouū, aut priscum, & inusitatum. Sed etiā inusitata, ac priscа sunt in propriis, nisi quod raro utimur. Collocata autē uerba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod uerbis mutatis non maneat manente sententia. Nam sententiarum ornamenta, quæ pmanent etiam si uerba mutaueris, sunt illa qdem pmulta, sed quæ emineant pauciora. Ergo ille tenuis orator modo sit elegans, nec in faciēdis uerbis erit audax, et in trāsferēdis uerecūdus, et parcus, et in priscis

reliquiśq; ornamentis, & uerborum, & sententiarũ demissior, translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur, nó modo urbanorum, sed etiam rusticorum. Siquidem est eorũ gemmare uites, sitire agros, lætas esse segetes, luxuriosa frumenta, Nihil horum parũ audacter, sed aut simile est illi, unde transferas, aut si ressuum nullum habet nomen, docendi causa sumptum, non ludendi uidetur. Hoc ornamẽto liberius paulo, quàm cæteris utetur hic summissus, nec tam licenter tamen, quàm si genere dicendi uteretur amplissimo. Itaq; illud indecorum, quod quale sit, ex decoro debet intelligi, hic quoq; apparet, cum uerbũ aliquod altius transfertur, idq; in oratione humili ponitur, quod idẽ in alia deceret. Illam autem concinnitatem, quæ uerborum collocationem illuminat his luminibus, quæ græci quasi aliquos gestus orationis σχήματα appellant, quod idem uerbum ab his etiã in sententiarum ornamenta transfertur, adhibet quidem hic subtilis, quem nisi quod solum cætero quin recte quidam uocant atticum, sed paulo parcus. Nam si, ut in epularum apparatu à magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem uideri uolet, eliget q̃bus utatur. Sunt enim pleræq; aptæ huius ipsius oratoris, de quo loquor, parsimoniæ. Nam illa, de q̃bus ante dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata, & similiter conclusa, eodemq; pacto cadentia, & immutatione literæ quasi quæsitæ uenustates, ne claborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. Itemq; siquæ uerborũ iterationes contentionem aliquam, et clamorẽ requirent, erunt ab hac summissione orationis alienæ, cæteris promiscue poterit uti, continuatione uerborum modo relaxet, & diuidat, utaturq; uerbis, quam usitatissimis, translationibus quammollissimis. etiam illa sententiarũ lumina assumat, quæ nõ erunt uehementer illustria. Non faciet rẽp. loquẽtem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec aeruatim multa frequentans, una complexione deuincet. Valentiorũ hæc laterũ sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut expectanda, aut postulanda. Erit enim ut uoce, sic etiam oratione suppressior, sed pleraq; ex illis conuenient etiam huic tenuitati, quanquam ijsdẽ ornamentis utetur horridius, talem enim inducimus. Accedit actio non tragica, nec scenæ, sed modica iactatione corporis, uultu tamen multa conficiens, nõ hoc quo dicuntur, os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidq; pronuntient. Huic generi orationis aspergentur etiam sales, q̃ in dicendo nimium quantum ualent, quorum duo genera sunt, unũ facetiarum, alterum dicacitatis, utetur utroq;, sed altero in narrãdo aliquid uenuste,

quid uenuſte, altero in iaciendo, mittendoq; ridiculo, cuius genera plura ſunt, ſed nũc aliud agimus. Illud admonemus tamen, ridiculo ſic uſurum oratorem, ut nec nimis frequẽti, ne ſcurrile ſit, nec ſubobſcœno, ne mimicum, nec petulanti, ne improbũ, nec in calamitatem, ne inhumanum, nec in facinus, ne odij locũ riſus occupet, neque aut ſua perſona, aut iudicum, aut tempore alienum. Hæc enim ad illud indecorum referuntur. Vitabit etiam quæſita, nec ex tempore ficta, ſed domo allata, quæ plerunq; ſunt frigida, parcet & amicitijs, et dignitatibus, uitabit inſanabiles contumelias. tantummodo aduerſarios figet, nec eos tamen ſemper, nec omneis, nec omni modo, quibus exceptis ſic utetur ſale, & facetijs, ut ego ex iſtis nouis atticis talem cognouerim neminem, cum id certe ſit uel maxime atticum. Hanc ego iudico formam ſummiſſi oratoris, ſed magni tamen, & germani atti ci, quoniam quicquid eſt ſalſum, aut ſalubre in oratione, id propriũ atticorum eſt. e' quibus tamen non omnes facẽti, Lyſias ſatis, & Hyperides, Demades præter cæteros fertur, Demoſthenes minus habetur, quo quidem mihi nihil uidetur urbanius, ſed non tam dicax fuit, quàm facetus. eſt autem illud acrioris ingenij, hoc maioris artis.

VBERIVS eſt aliud, aliquantoq; robuſtius, quã hoc humile, de quo dictum eſt. Summiſſius autem, quàm illud, de quo iam dicetur, ampliſſimum. Hoc in genere neruorum uel minimum, ſuauitatis autem eſt uel plurimũ. Eſt enim plenius, quàm hoc enucleatum, quã autem illud ornatum, copioſumq;, ſummiſſius. Huic omnia dicẽdi ornamenta conueniunt, plurimumq; eſt in hac orationis forma, ſuauitatis, in qua multi floruerũt apud græcos. ſed Phalereus Demetrius meo iudicio præſtitit cæteris, cuius oratio cum ſedate, placideq; loquitur, tum illuſtrant eam, quaſi ſtellæ quædam translata uerba, atque immutata. Translata ea dico, ut ſæpe iam, quæ per ſimilitudinem alia re aut ſuauitatis, aut inopiæ cauſa, transferũtur. Mutata, in quibus pro uerbo proprio ſubijcitur aliud, quod idem ſignificet, ſumptũ ex re aliqua conſequẽti, quod quanquam transferendo fit, tamẽ alio modo tranſtulit, cum dixit Ennius. arcem, & urbem orbas. alio modo, ſi pro patria arcem dixiſſet. & horridam Africam terribili tremere tumultu cum dicit, pro Afris immutat Africam. Hãc hypallagen rhetores, quia quaſi ſummutantur uerba pro uerbis, metonomiam grammatici uocant, quod nomina transferuntur. Ariſtoteles autem translationi hæc ipſa ſubiungit, & abuſionem, quam chatacreſim uocant, ut cum minutum dicamus animũ pro paruo, et abutimur uerbis propinquis, ſi opus eſt, uel quod delectat, uel quod licet. iam cum

fluxerunt continuæ plures translationes, alia plane fit oratio. Itaq; genus hoc græci appellát ἀλλοιοφίαν, nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes uocat. Hæc frequentat Phalereus maxime, suntq; dulcissima, et quanquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores, in idē genus orationis (loquor enim de illa modica, ac temperata) uerborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarū, latæ, eruditæq; disputationes abeodē oxplicantur, et loci communes sine contentione dicuntur. Quid multa? è philosophorū scholis tales ferè euadunt, es nisi coràm erit comparatus ille fortior, per se hic, quem dico, probabitur. Est quoddā etiam insigne, et florens orationis, pictum, & expolitū genus, in quo omnes uerborum, omnes sententiarū illigantur lepores. Hoc totum è sophistarū fontibus defluxit in forū, sed spretum à subtilibus, repulsum à grauibus, in ea, de qua loquor, mediocritate cōsedit. TERtius est ille amplus, copiosus, grauis, ornatus, in quo profecto uis maxima est. Hic est enim, cuius ornatum dicendi, & copiam admiratæ gentes eloquentiam in ciuitatibus plurimū ualere passæ sunt. Sed hanc eloquentiā, quæ cursu magno, sonituq; ferretur, quā suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent. Huius eloquētiæ est tractare animos, huius omni modo permouere. Hæc modo perfringit, modo irrepit ī sensus, inserit nouas opiniones, euellit insitas. Sed multū interest ĩter hoc dicēdi genus, et supiora. Qui in illo subtili, et acuto elaborauit, ut callide, arguteq; diceret, nec quicq̄ altius cogitaret, hoc uno profecto magnus orator est, si nō maximus, minimeq; in lubrico uersabitur, & si semel constiterit, nunquam cadet. Medius ille autem, quem modicum, & temperatum uoco, si modo suum illud satis instruxerit, nō extimescit ancipites dicendi, incertosq; casus, etiā siquando manus succedet, ut sæpe fit, magnum tamen periculum non adibit, alte enim cadere non potest. At uero hic noster, quē principē ponimus, grauis, acer, ardens, si ad hoc unum est natus, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studet uni, nec suam copiam cum illis duobus generibus temperauit, maxime est contemnendus. Ille enim summissus, quod acute, et ueteratorie dicat, sapiens iā, medius, suauis, hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, uix satis sanus uideri solet. Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere, præsertim, cū causæ partim totæ sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ, si is non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud sanos, & quasi inter sobrios bacchari uiolentus uidetur. Tenemus igitur Brute, quem querimus, sed

animo.

animo. nam manu si comprehendissem, ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. Sed inuentus profecto est ille eloquens, quem nunquam uidit Antonius. Quis est igitur is? complectar breui, differam pluribus. Is enim est eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate potest dicere. Nemo is inquies unquam fuit. nec fuerit, ego enim quid desyderem, non quid uiderim disputo. redeoq; ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam, & speciem, quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Non enim eloquentem quæro, neque quicquam mortale, & caducum, sed illud ipsum, cuius qui sit compos, sit eloquens, quod nihil est aliud, nisi eloquentia ipsa, quam nullis nisi mentis oculis uidere possumus. Is erit igitur eloquens (ut illud idem iteremus) qui poterit parua summisse, modica temperate, magna grauiter dicere. Tota mihi causa pro Cecinna de uerbis interdicti fuit, res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, uerba ambigua distinximus. Fuit ornandus in manilia lege Pompeius, temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendæ maiestatis Rabirij causa continebatur. Ergo in omni genere amplificationis exarsimus. At hæc interdum temperanda, & uarianda sunt. Quod igitur in accusationis septem libris non reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelij? quod in plurimis nostris defensionibus? quæ exempla selegissem, nisi uel nota esse arbitrarer, uel posse eligere, qui quærerent. Nulla est enim ullo in genere laus oratoris, cuius in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio. non assequimur, at quid deceat uidemus, nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus. in quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usq; eo difficiles, ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes, qui quanquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas, ita sunt auidæ, et capaces, & semper aliquid immensum, infinitum q; desyderant. Sed tamen, quoniam & hunc tu oratorem cum eius studiosissimo Pammene, cum esses Athenis, totum diligentissime cognouisti, neque eum dimittis e manibus, & tamen nostra etiam lectitas, uides profecto illum multa perficere, nos multa conari, illum posse, nos uelle, quocũq; modo causa postulet, dicere. sed ille magnus, nam & fuæssit ipse magnis, et maximos oratores habuit æquales, nos magnum feissemus, si quidẽ potuissemus, quo cõtendimus peruenire, in ea urbe, in qua (ut ait Antonius) auditus eloquens nemo erat. Atqui, si Antonio Crassus

eloquens uiſus non eſt, aut ſibi ipſe, nunquam Cotta uiſus eſſet, nunquam Sulpitius, nũquam Hortenſius. Nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpitius, non multa grauiter Hortenſius. Superiores magis ad omne genus apti, Craſſum dico, & Antonium. Ieiunas igitur huius multiplicis, & æquabiliter in omnia genera fuſæ orationis aures ciuitatis accepimus, eaſq; nos primi, quicunq; eramus, & quantulumcunq; dicebamus, ad huius generis dicendi audiendi incredibilia ſtudia conuertimus. Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus, de Supplicio paricidarum? quæ nequaquam ſatis deferbuiſſe poſt aliquãto ſentire cœpimus. Quid enim tam commune, quàm ſpiritus uiuus, terra mortuis, mare fluctuãtibus, litus eiectis? Ita uiuunt, dũ poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant, ita moriuntur, ut eorũ oſſa terram non tangant, ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluantur, ita poſtremo eiiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant, et quæ ſequuntur. Sunt enim omnia, ſicut adoleſcentis non tam re, et maturitate, q̃ ſpe, et expectatione laudati. ab hac indole iam illa matura, uxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. Nec uero hic unus erat ardor in nobis, ut hoc modo omnia dicæremus. ipſa enim illa pro Roſcio iuuenilis redundantia multa habet attenuata, quædã etiã paulo hilariora. At pro habito, pro Cornelio, complures q̃; aliæ. nemo enim orator tam multa, ne in græco quidem otio, ſcripſit, quàm multa ſunt noſtra, eaq; hanc ipſam habent, quam probo, uarietatem. An ego Homero, Ennio, reliquis poëtis, et maxime tragicis concederẽ, ut ne omnibus locis cadẽ contentione uterentur, crebroq; mutarent? non nunq̃ etiam ad quotidianum genus ſermonis accederent? ipſe nunq̃ ab illa acerrima contentione diſcederem? Sed quid poëtas diuino in genio profero? Hiſtriones eos uidimus, qbus nihil poſſet in ſuo genere eſſe præſtantius, qui non ſolum in diſſimillimis perſonis ſatisfaciebãt, cum tamen in ſuis uerſarentur, ſed et comœdum in tragœdijs, et tragœdum in comœdijs admodum placere uidimus, ego non elaborem? cum dico me, te Brute dico, nam in me quidem iampridem effectum eſt, quod futurum fuit. Tu autẽ eodẽ modo omneis cauſas ages? aut aliquod cauſarum genus repudiabis? aut in ijſdem cauſis perpetuũ, & eundem ſpiritum ſine ulla cõmutatione obtinebis? Demoſthenes quidem, cuius nuper inter imagines tuas, ac tuorum, quod eum credo amares, cum ad te in Tuſculanũ ueniſſem, imaginẽ ex ære uidi, nihil Lyſiæ ſubtilitate cedit, nihil argutiis, & acumine Hyperidi, nihil lenitate Aeſchini, & ſplendore uerborum. Multæ ſunt eius totæ orationes ſubtiles, ut contra Leptinẽ, multæ, et totæ graues, ut quædam

dam philippicæ,multæ uariæ,ut contra Aeschinem falsæ legationis, ut contra eundem pro causa Ctesiphontis. Iam illud medium quoties uult,arripit, & à grauissimo discedens eò potissimum delabitur. Clamores tamen tum mouet,& tum in dicendo plurimum efficit,cũ grauitatis locis utitur. Sed ab hoc parumper abeamus,quandoquidẽ de genere,nó de homine quærimus,rei potius,idest eloquentiæ uim, & naturam explicemus. Illud tamen, quod iam ante diximus,memmerimus,nihil nos præcipiendi causa esse dicturos,atq; ita potius dicturos,ut existimatores uideamur log,non magistri. in quo tamen longius progredimur,quod uidemus non te hæc solum esse lecturum, qui ea multo,quàm nos,qui quasi docere uideamur,habeas notiora. sed hũc librum etiã si munus nostra commendatione, tuo tamen nomine diuulgari necesse est. Esse igitur perfecte eloquentis puto, non eã solum facultatem habere,quæ sit eius propria fuse, lateq; dicendi,sed etiam uicinam,eius,atq; finitimam dialecticorũ scientiam assimere,quanquã aliud uidetur oratio esse, aliud disputatio,nec idẽ loqui esse,quod dicere, attamen utrunq; in differendo est. disputandi ratio,& loquendi dialecticorum sit,oratorum autem dicendi,& ornandi. Zeno qdem ille,à quo disciplina stoicorum est,manu demonstrare solebat,quid inter has artes interesset. Nam cũ compresserat digitos,pugnumq; fecerat,dialecticam aiebat eiusmodi esse. Cũ autẽ diduxerat,et manum dilatauerat, palmæ illius simlem eloquentiã esse dicebat. Atq; etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticæ, ut hoc uidelicet differant inter se,quod hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic summo,omnem,quæ ad dicendũ trahi posset,loquendi rationem esse notam,quæ quidem res (quod te his artibus eruditum minime fallit) duplicem habuit docendi uiam. Nam & ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima differendi,& postea qui dialectica dicuntur spinosiora multa pepererũt. Ergo eum cẽseo , qui eloquentiæ laude ducatur,non esse earũ rerũ omnino rudem,sed uel illa antiqua,uel hac Chrysippi disciplina institutus nouerit primum uim,naturam,genera uerborũ,& simplicium,& copulatorũ. Deinde quot modis quicq; dicatur,qua ratione uerum,falsum'ne sit,iudicetur,quid efficiatur è quoq;,quod cuiq; cõsequens sit,quodq; contrariũ. Cumq; ambigue multa dicantur,quomodo quicq; eorũ diuidi,explanariq; oporteat. hæc tenenda sunt oratori,sæpe enim occurrunt,sed quia sua sponte squallidiora sunt,adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. Et quoniã in

omnibus, quæ ratione docentur, & uia, primũ constituendũ est, quid quidq; sit, nisi enim inter eos, qui disceptent, conuenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec unquam ad exitum peueniri potest. explicanda est sæpe uerbis mens nostra de quaq; re, atq; inuoluta rei notitia definiendo aperienda est. siquidẽ est definitio oratio, quæ quid sit id, de quo agitur, ostendit quambreuissime. Tum, ut scis, explicato genere cuiusq; rei, uidendum est, quæ sint eius generis, siue formæ, siue partes, ut in eas tribuatur omnis oratio. Erit igitur hæc facultas in eo, quẽ uolumus esse eloquentem, ut definire rẽ possit, neq; id faciat tam presse, & anguste, quàm in illis eruditissimus disputationibus fieri solet, sed cum explanatius, tum etiam uberius, & ad cõmune iudicium, popularemq; intelligentiam accommodatius. idemq; etiam, cum res postulabit, genus uniuersum in species certas, ut nulla neq; prætermittatur, neq; redundet, partietur, ac diuidet. Quando autem, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus, quoniam (ut supra dixi) iudicem me esse, non doctorẽ uolo. Nec uero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omneis philosophiæ notos, et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriæ, nihil de bonis rebus, aut malis, nihil de uirtutibus, aut uitijs, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de uoluptate, nihil de perturbationibus animi, et erroribus, quæ sæpe cadunt in causas, sed ieiunius aguntur, nihil inquam sine ea scientia, quam dixi, grauiter, ample, copiose dici, & explicari potest. De materia loquor orationis etiam nunc, non ipso de genere dicendi. uolo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quàm cogitet, quibus uerbis quicq; dicat, aut quomodo. quem etiam, quo grandior sit, & quodammodo excelsior (ut de Pericle dixi supra) ne physicorum quidem esse ignarum uolo. Omnia profecto, cum se à cœlestibus rebus refert ad humanas, excelsius, magnificentiusq; & dicet, & sentiet. cumq; illa diuina cognouerit, uolo ignoret, ne hæc quidem humana. Ius ciuile teneat, quo egent causæ forenses quotidie. Quid est enim turpius, quàm legumarum, & ciuilium controuersiarũ patrocinia suscipere, cum sis legum, & ciuilis iuris ignarus? Cognoscat etiam rerum gestarum, & memoriæ ueteris ordinem, maxime scilicet nostræ ciuitatis, sed & imperiosorum populorum, & regum illustrium, quem laborẽ nobis Attica nostri leuauit labor, qui conseruatis, notatisq; temporibus, nihil cũ illustre prætermutteret, annorũ septingentorum memoriam uno libro colligauit. Nescire autem, quid ante quàm natus sis, acciderit, id est semper esse puerũ. Quid enim

est ætas

ſit ætas hominis? niſi cum memoria rerum ueterum cum ſuperiorũ ætate contexitur. Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumq; prolatio ſumma cum delectatione & authoritatem orationi affert, & fidem. Sic igitur inſtructus ueniet ad cauſas, quarũ habebit genera primũ ipſa cognita. Erit enim ei perſpectum, nihil ambigi poſſe, in quo non aut res controuerſiam faciat, aut uerba. Res aut de uero, aut de recto, aut de nomine. Verba aut de ambiguo, aut de contrario. Nam ſiquando aliud in ſententia uidetur eſſe, aliud in uerbis, genus eſt quoddam ambigui, quod ex præterito uerbo fieri ſolet. in quo, quod eſt ambiguorum proprium, res duas ſignificari uidemus. Cum tam pauca ſint genera cauſarũ, etiam argumentorũ præcepta pauca ſunt. traditi ſunt, è quibus ea ducantur, duplices loci, uni è rebus ipſis, alteri aſſumpti. Tractatio igitur rerum efficit admirabiliorẽ orationem, nam ipſæ quidem res in perfacili cognitione uerſantur. qd enim iam ſequitur, quod quidem artis ſit? niſi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret ſe ad diſcendum, rẽ breuiter exponere, & probabiliter, & aperte, ut quid agatur intelligi poſſit, ſua confirmare, aduerſaria euertere, eaq; efficere non turbate, ſed ſingulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur, quod ſit conſequens iis, quæ ſumentur ad quanq; rem confirmandam. poſt omnia peroratione inflammantem, reſtinguentemue concludere. Has partes quemadmodũ tractet ſingulas, difficile dictu eſt hoc loco, nec enim ſemper tractantur uno modo. Quoniã autẽ non quẽ docẽ quæro, ſed quẽ probem, probabo primum eũ, qui qd deceat, uidebit. Hæc enim ſapientia maxime adhibenda eloquenti eſt, ut ſit temporũ, perſonarumq; moderator. Nã nec ſemper, nec apud omneis, nec contra omneis, nec pro omnibus, nec omnibus eodẽ modo dicendum arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad id quodcunq; decebit, poterit accommodare orationem. quod cũ ſtatuerit, tum ut quicq; erit dicendum, ita dicet, nec ſatura ieiune, nec grandia minute, nec item contra, ſed erit rebus ipſis par, & æqualis oratio. Principia uerecũda nõ elatis intenſa uerbis, ſed acuta ſententijs, uel ad offenſionẽ aduerſarij, uel ad cõmendationẽ ſui. Narrationes credibiles nec hiſtorico, ſed propè quotidiano ſermone explicatæ dilucide. Dein ſi tenues cauſæ, tum etiã argumentandi tenue filũ & in docendo, & in refellendo, idq; ita tenebitur, ut quanta ad rem, tanta ad orationem fiat acceſſio. Cum uero cauſa ea inciderit, in qua uis eloquẽtiæ poſſit exprimi, tum ſe latius fundet orator, tum reget, & flectet animos, et ſic afficiet, ut uolet, ideſt ut cauſæ natura, et ratio temporis poſtulabit.

Sed erit duplex omnis eius ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit in tantum honorẽ eloquentia. Nam cũ omnis pars oratiõis esse debet laudabilis, sic ut uerbũ nullum, nisi aut graue, aut elegans excidat, tum sunt maxime lumino sæ, & quasi actuosæ partes duæ. Quarum alteram in uniuersi generis quæstione pono, quam (ut supra dixi) græci appellant θέσιν. Alteram in augendis, amplificandis q; rebus, quæ ab eisdẽ αὐξήσεις est nominata. Quæ etsi æquabiliter toto corpore orationis fusa esse debet, tamen in communibus locis maxime excellet, qui communes appellati, eo quod uidentur nullarum ijdem esse causarum, sed proprij singularum esse debebunt. At uero illa pars orationis, quæ est de genere uniuerso, totas causas sæpe continet. Quicquid est enim illud, in quo quasi certamen est controuersiæ, qđ græce κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quæstionem, atq; ut de uniuerso genere dicatur, nisi cũ de uero ambigitur, quod quæri coniectura solet. dicetur autem non peripateticorũ more (est enim illorum exercitatio elegans iam inde ab Aristotele constituta) sed aliquanto neruosius, & ita de re cõmunia dicentur, ut & pro reis multa leniter dicantur, & in aduersarios aspere. Augendis uero rebus, & contra abijciendis nihil est, qđ non perficere possit oratio, quod & inter media argumenta faciẽdũ est, quotie scunq; dabitur uel amplificandi, uel minuendi locus, et penè infinite in perorando. Duo sunt etiã, quæ bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiã faciant. Quorũ alterum est, quod græci ἠθικὸν uocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem uitæ consuetudinem accommodatũ, alterũ (quod ijdem παθητικὸν nominant) quo pturbantur animi, & concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, iucundũ, ad beneuolentiã conciliandã paratum, hoc uehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiũtur, quod cũ rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos, mediocres, aut multo etiã minus, sed magno semp usi impetu, sæpe aduersarios de statu omni deiecimus. Nobis pro famuliari reo summus orator nõ respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus, obmutuit. Nobis priuata in causa magna, & graui, cũ cœpisset Curio pater respondere, subito assedit, cũ sibi uenenis ereptã memoriam diceret. Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, qđ etiã si plures dicebamus, porationẽ mihi tamẽ oẽs relinquebãt, in quo ut uiderer excellere, nõ ingenio, sed dolore assequebar. Quæ qualiacũq; in me sunt, me.n. ipsum non pœnitet quãta sint, sed apparẽt in orationibus, et si carẽt libri spiritu illo

propter

propter quẽ maiora eadẽ illa cum aguntur, quã cum leguntur, uideri ſolent. Nec uero miſeratione ſolum mens iudicum permouẽda eſt, qua nos ita dolenter uti ſolemus, ut puerum infantem in manibus ꝓ orantes tenuerimus, ut alia in cauſa excitato reo nobili, ſublato etiã filio paruo, plangore, et lamentatione compleremus forũ. Sed etiã eſt faciendum, ut iraſcatur iudex, mitigetur, inuideat, faueat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, ſatietate afficiatur, ſperet, metuat, lætetur, doleat. qua in uarietate, duriorum, accuſatio ſuppeditabit exẽpla, mitiorum, defenſiones meæ. Nullo. n. modo animus audientis, aut incitari, aut leniri poteſt, qui modus a` me non tentatus ſit, dicerem perfectum, ſi ita iudicarem, nec in ueritate crimen arrogantiæ extimeſcerem. Sed (ut ſupra dixi) nulla me ingenij, ſed magna uis animi inflammat, ut me ipſe non teneam, nec unq̃ is, qui audiret, incenderetur, niſi ardens ad eũ ꝓueniret oratio. Vterer exẽplis domeſticis, niſi ea legiſſes. Vterer alienis, uel latinis, ſi ulla reperirem, uel græcis, ſi deceret, ſed Craſſi ꝓpaucа ſunt, nec ea iudiciorũ, nihil Antonij, nihil Cottæ, nihil Sulpitij, dicebat melius, quàm ſcripſit Hortenſius. Verũ hæc uis, quam quærimus, q̃ta ſit ſuſpicemur, quoniã exẽplum non habemus, aut ſi exempla ſequimur, a Demoſthene ſumamus, & quidẽ ꝓpetuæ dictionis ex eo loco, unde in Cteſiphontis iudicio de ſuis factis, conſilijs, meritis in rep. aggreſſus eſt dicere. Ea profecto oratio in eã formam, quæ eſt inſita in mentibus noſtris, includi ſic poteſt, ut maior eloquentia nó reqratur. Sed iam ipſa forma reſtat, & character ille q dicitur, q qualis eſſe debeat ex ipſis, quæ ſupra dicta ſunt, intelligi poteſt. Nã & ſingulorũ uerborũ, et collocatorũ lumina attigimus, qbus ſic abundabit, ut uerbũ ex ore nullum, niſi aut elegans, aut graue exeat. ex omniq; genere frequẽtiſſimæ translatiões erũt, quod eæ propter ſimilitudinẽ transferunt animos, & referunt, ac mouent huc, & illuc, q motus cogitationis celeriter agitatus ꝓ ſe ipſe delectat. et reliqua ex collocatione uerborũ, quæ ſumuntur quaſi lumina magnũ afferunt ornatum orationi. Sunt enim ſimilia illis, quæ in amplo ornatu ſcenæ, aut fori appellantur inſignia, nõ quod ſola ornent, ſed quod excellant. Eadẽ ratio eſt horũ, quæ ſunt orationis lumina, et quodãmodo inſignia, cum aut duplicantur, iterantuŕq; uerba, aut breuiter cõmutata ponuntur, aut ab eodẽ uerbo ducitur ſæpius oratio, aut in idẽ conijcitur, aut in utrũq;, aut adiungitur idẽ iteratum, aut idẽ ad extremũ refertur, aut cõtinenter unũ uerbum non in eadẽ ſententia ponitur, aut cum ſimiliter uel cadunt uerba, uel deſinunt, aut multis modis cõtrarijs relata cõtraria, aut cũ gra-

datim ſurſum uerſus reditur, aut cũ demptis coniunctionibus, diſſolute plura dicuntur, aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus, oſtendimus, aut cum corrigimus nosmetipſos quaſi reprehendentes, aut ſi eſt aliqua exclamatio, uel admirationis, uel conqueſtionis, aut cum eiuſdem nominis caſus ſæpius cõmutantur. Sed ſententiarũ ornamenta maiora ſunt, q̃bus quia frequentiſſime Demoſthenes utitur, ſunt qui putent ideirco eius eloquentiam maxime eſſe laudabilẽ. Et uero nullus ferè ab eo locus ſine quadam conformatione ſententiæ edicitur, nec aliud quicquam eſt dicere, niſi omnes, aut certe pleraſq; aliqua ſpecie illuminare ſententias, quas cum tu optime Brute teneas, quid attinet nominibus uti, aut exẽplis? tantummodo notetur locus. Sic igitur dicet ille, quẽ expetimus, ut uerſet ſæpe multis modis eandem, & unam rem, & hæreat in eadẽ, commoreturq; ſententia. Sæpe etiam ut extenuet aliquid, ſæpe ut irrideat, ut declinet a propoſito, deflectatq; ſententiam, ut proponat, quid dicturus ſit, ut cum tranſegerit iã aliqd, definiat, ut ſe ipſe reuocet, ut quod dixit, iteret, ut argumentum ratione concludat, ut interrogando urgeat, ut rurſus quaſi ad interrogata ſibi ipſe reſpondeat, ut contra ac dicat accipi, et ſentiri uelit, ut addubitet, qd potius, aut quomodo dicat, ut diuidat in partes, ut aliquid relinquat, ac negligat, ut ante præmuniat, ut in eo ipſo, in quo reprehendatur, culpã in aduerſariũ conferat, ut ſæpe cũ ijs, qui audiunt, nonnunquã etiam cum aduerſario quaſi deliberet, ut hominum ſermones, moresq; deſcribat, ut muta quædã eloquentia inducat, ut ab eo, quod agitur, auertat animos, ut ſæpe in hilaritatem, riſum'ue conuertat, ut ante occupet, quod putat opponi, ut cõparet ſimilitudines, ut utatur exemplis, ut aliud alij tribuens diſpertiat, ut interpellatorẽ coerceat, ut aliquid reticere ſe dicat, ut denuntiet, qd caueat, ut liberius qd audeat, ut iraſcatur etiam, ut obiurget aliquando, ut deprecetur, ut ſupplicet, ut medeatur, ut à propoſito declinet aliquantulum, ut optet, ut execretur, ut fiat ijs, apud quos dicet, familiaris, atq; alias etiã dicendi, quaſi uirtutes ſequatur, breuitatem, ſi res petet. Sæpe etiam rẽ dicendo ſubijciet oculis, ſæpe ſuprafert quàm fieri poſſit, ſignificatio ſæpe erit maior, quàm oratio, ſæpe hilaritas, ſæpe uitæ, naturarumq; imitatio. Hoc in genere (nam quaſi ſyluam uides) omnis elucẽat oportet eloquentiæ magnitudo, ſed hæc niſi collocata, & quaſi ſtructa, & nexa uerbis, ad eã laudem, quam uolumus, aſpirare non poſſunt. De quo cum mihi deinceps uiderem eſſe dicendum, etſi mouebant etiã me illa, quæ ſupra dixerã, tamen ijs, quæ ſequuntur, perturbabar magis. Occurrebat enim poſſe re=

periri, non inuidos ſolum, quibus referta ſunt omnia, ſed fautores etiam laudum mearum, qui non cenſerent eius uiri eſſe, de cuius meritis tanta ſenatus iudicia feciſſet comprobante populo R. quanta de nullo, de artificio dicendi literis tam multa mandare. Quibus ſi nihil aliud reſponderem, niſi me M. Bruto negare rogãti noluiſſe, iuſta eſſet excuſatio, cum & amiciſſimo, & præſtantiſſimo uiro, & recta, & honeſta petenti ſatisfacere noluiſſem. Sed ſi profitear, quod utinam poſſem, me ſtudioſis dicendi, præcepta, & quaſi uias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum, quis tandem id iuſtus rerum æſtimator reprehenderet? nam quis unquam dubitauit, quin in rep. noſtra primas eloquentia tenuerit ſemper urbanis, pacatiſq; rebus, ſecundas iuris ſcientia? cum in altera gratiæ, gloriæ, præſidij plurimum eſſet, in altera perſecutionum, cautionumq; præceptio, quæ quidem ipſa auxilium ab eloquentia ſæpe peteret, ea uero repugnante uix ſuas regiones, fineſq; defenderet. Cur igitur ius ciuile docere ſemper pulchrum fuit? hominumq; clariſſimorum diſcipulis domus floruerunt? ad dicendum ſiquis acuat, aut adiuuet in eo iuuentutem, uituperetur? Nam, ſi uitioſum eſt dicere ornate, pellatur omnino e ciuitate eloquentia, ſin ea non modo eos ornat, penes quos eſt, ſed etiam uniuerſam remp. cur aut diſcere turpe eſt, quod ſcire honeſtum eſt, aut quod noſſe pulcherrimum eſt, id non glorioſum docere? At alterum factitatum eſt, alterum nouum, fateor, ſed utriuſq; rei cauſa eſt. Alteros enim reſpondentes audire ſat erat, ut ij, qui docerent, nullũ ſibi ad eam rem tempus ipſi ſeponerent, ſed eodem tempore & diſcentibus ſatisfacerent, & conſulentibus. Alteri, cum domeſticum tempus in cognoſcendis, componendisq; cauſis, forenſe in agendis, reliquum in ſeipſis reficiendis omne conſumerent, quem habebant inſtituendi, aut docendi locum? Atq; haud ſcio, an pleriq; noſtrorum oratorũ ingenio plus ualuerint, quàm doctrina. itaq; illi dicere melius, quàm præcipere, nos, contra fortaſſe poſſumus. At dignitatem docere non habet, certe, ſi quaſi in ludo, ſed ſi monendo, ſi cohortando, ſi percunctando, ſi communicando, ſi interdum etiam una legendo, audiendo, neſcio cur non docendo etiam aliquid aliquando, ſi poſſis meliores facere, cur nolis? An quibus uerbis ſacrorũ alienatio fiat, docere honeſtum eſt, quibus ipſa ſacra retineri, defendiq; poſſint, nõ honeſtum eſt? At ius profitentur etiam qui neſciunt, eloquentia autem illi ipſi, qui conſecuti ſunt, tamen ſe ualere diſſimulant, propterea q prudentia hominibus grata eſt, lingua ſuſpecta. Num

igitur, aut latere eloquentia potest, aut id, quod dissimulat, effugit, aut est periculum nequis putet in magna arte, et gloriosa, turpe esse docere alios, id quod ipsi fuerit honestissimum discere? Ac fortasse cæteri tectiores, ego semper me didicisse præ me tuli. Quid enim possem? cum abfuissem adolescens, & horum studiorum causa mare transissem, & doctissimis hominibus domus referta esset, & aliquæ fortasse inessent in sermone nostro doctrinarum notæ, cumq; uulgo scripta nostra legerentur. dissimularem me didicisse? Quid erat cur probarem? nisi quod parum fortasse profeceram. Quod cum ita sit, tamen ea, quæ supra dicta sunt, plus in disputando, quàm ea, de quibus dicendū est, dignitatis habuerunt. De uerbis enim componendis, & de syllabis propemodum dinumerandis, & dimetiendis loquemur, quæ etiā si sunt, sicuti mihi uidentur, necessaria, tamen sīt magnificētius, quàm docentur. Est id omnino uerū, sed proprie in hoc dicitur. nam omniū magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat, radices, stirpesq; non item, sed esse illa sine his non potest. Me autem siue pernegatissimus ille uersus, qui uetat

Artem pudere proloqui, quam facultes

Dissimulare non sinit, qn delecter, siue tuū studiū hoc a' me uolumen expressit, tamen eis, quos aliqd reprehensuros suspicabar, respondendum fuit. Quod si ea, quæ dixi, non ita essent, qs tamen se tam durū, agrestemq; præberet, q hanc mihi nō daret ueniam, ut cum meæ forēses artes, & actiones publicæ concidissent, non me aut desidiæ, quod facere non possum, aut mœstitiæ, cui resisto, potius quam literis dederē, quæ qdem me antea in iudicia, atq; in curiā deducebant, nūc oblectant domi. Nec uero talibus modo rebus, quales hic liber continet, sed multo etiā grauioribus, et maioribus, quæ si erunt pfectæ, profecto forensibus nostris rebus & domesticæ literæ respondebūt. Sed ad institutam disputationem reuertamur. Collocabuntur igitur uerba, aut ut inter se quamaptissime cohæreāt extrema cum primis, eaq; sint quamsuauissimis uocibus, aut ut forma ipsa, concinnitasq; uerborū conficiat orbem suum, aut ut comprehensio numerose, & apte cadat. Atq; illud primum uideamus, quale sit, quod uel maxime desyderat diligentiam, ut fiat quasi structura quædam, nec tamen fiat operose, nam esset cum infinitus, tum puerilis labor, quod apud Lucilium scite exagitat in Albutio Scæuola,

Quàm lepide lexis compostæ, ut tesserulæ omnes
Arte pauimento, atque emblemate uermiculato.

Nolo tā minuta hæc cōstructio appareat, sed tamē stylus exercitatus

efficiet facile hanc uiam componẽdi. Nã ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum uerborum cum in sequentibus primis concursus, aut hiulcas uoces efficiat, aut asperas. Quamuis enim suaues, graues'ue sententiæ, tamen si inconditis uerbis efferuntur, offendent aures, quarum est iudicium superbissimum. Quod quidem latina lingua sic obseruat, nemo ut tam rusticus sit, qui uocales uolit coniungere. In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas literas tantopere fugerit, & si id magister eius Isocrates, at non Thucydides, ne ille quidẽ haud paulo maior scriptor Plato, nec solum in his sermonibus, qui dialogi dicuntur, ubi etiam de industria id faciendum fuit, sed in populari oratione, qua mos est Athenis, laudari in concione eos, qui sint in prælijs interfecti, quæ sic probata est, ut eam quotannis (ut scis) illo die recitari necesse sit, in ea est crebra ista uocum concursio, quam magna ex parte, ut uitiosam, fugit Demosthenes, sed græci uiderint, nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere uoces conceditur. Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis, indicant omnes poëtæ, præter eos, qui, ut uersum facerent, sæpe hiabant, ut Næuius,

Vos, qui accolitis Histrum fluuium, atque Algidam. & ibidem,

Quam nunquam nobis grai, atque barbari. At Ennius semel.

Scipio inuicte.— & quidem nos,

Hoc motu radiantis eteſiæ in uada ponti.

Hoc idem sæpius nostri non tulissent, quod græci laudare etiam solent. Sed quid ego? uocales sine uocalibus sæpe breuitatis causa contrahebant, ut ita dicerent multi' modis, uas' argenteis, palm'et crinibus, tecti' fractis. Quid uero licentius, quàm qđ hominũ etiã nomina contrahebant, quo essent aptiora. nam ut duellũ bellum, & duis bis, sic Duelliũ eum, qui Pœnos classe deuicit, Belliũ nominauerũt, cũ superiores appellati essent semper Duellij. Quin etiã uerba sæpe cõtrahuntur, non usus causa, sed aurium. quomodo enim uester Axilla ala factus est, nisi fuga literæ uastioris? quam literam etiam è maxillis è taxillis, & uexillo, & paxillo consuetudo elegans latini sermonis euellit. Libenter etiã copulando uerba iungebant, ut sodes pro si audes, sis pro si uis. Iã in uno capsis tria uerba sunt. Ain', pro ais'ne, nequire, pro non quire, malle, pro magis uelle, nolle, pro nõ uelle. Dein etiã sæpe, & exin, pro deinde, & pro exinde dicamus. Quid illud, non olet unde sit? quod dicatur cum illis, cum autem nobis non dicatur, sed nobiscum, quia si ita diceretur, ob scœnius concurrerent literæ, ut etiam modo, nisi autem interposuissem, concurrissent. Ex eo

eſt mecum, et tecum, non cum me, et cum te, ut eſſet ſimle illis uobiſcum, atq; nobiſcum. Atq; *etiam à quibuſdam ſero iam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt, nam proh deum, atque hominum fidem, deorum aiunt.* Ita *credo, hoc illi nuſciebant, an dabat hãc conſuetudo licentiam?* Itaq; *idem poëta, qui inuſitatius contraxerat,*

–patris mei meum factum pudet. *pro meorum factorum, &*

Texitur *exitium examen rapit.–* *pro exitiorũ, non dicit liberũ, ut pleriq; loquimur, cum cupidos liberum, aut in liberum loco dicimus. ſed, ut iſti uolunt,*

Neq; *tuũ unq̃ in gremiũ extollas liberorũ ex te genus.* *et idem*

Nanq; Aeſculapij *liberorũ.–* At *ille aliter in* Chryſe, *non ſolũ* Ciues *antiqui amica maiorum meum,* *quod erat uſitatum, ſed durius etiam*

Conſilium *ſocij, augurium, atq; extum interpretes.* Ideḿq; *pergit*

Poſtquam *prodigium horriferum portentum pauor,*

quæ non ſane ſunt in omnibus neutris uſitata. Nec *enim dixerim tam libenter armum iudicium, & ſi eſt apud eundem.*

Nihil'ne *ad te de iudicio armum accidit?*

quam centuriam, ut cenſoriæ tabulæ loquuntur, fabrum, & procum audeo dicere, non fabrorum, & procorum. Planéq; duorum uirorũ iudicium, aut trium uirorum capitalium, aut decem uirorum litibus iudicandis dico nunquam. atqui dixit Acius,

Video *ſepulchra dua duorum corporum.* Ideḿq;

–Mulier una duum uirum,

quid uerum ſit intelligo, ſed aliâs ita loquor, ut conceſſum eſt, ut hoc uel proh deum dico, uel proh deorum. Aliâs ut neceſſe eſt, cum triũuirum, non uirorum, cum ſeſtertium nummum, non numorum, quod in his conſuetudo uaria non eſt. Quid quod ſic loqui, noſſe, iudicaſſe uetãt, nouiſſe iubent, et iudicauiſſe? quaſi uero neſciamus ĩ hoc genere et plenũ uerbũ recte dici, et ĩmunutum uſitate. Itaq; utrũq; Terẽtius,

Eho *tu cognatum tuum non noras?–* *poſt idem*

–Stilphonem inquam noueras.

Siet, *plenum eſt, ſit, immunutum, licet utare utroq;, ergo ibidem,*

Quàm *cara ſint́q; poſt carendo intelligunt,*

Quã́q; *attinẽdi magni domnatus ſient.* Nec *uero reprehenderim*

–Scripſere alij rem, *& ſcripſerunt eſſe uerius ſentio, ſed conſuetudini auribus indulgenti libenter obſequor.*

Idem *campus habet.–* *inquit* Ennius, *&*

In *templis iſdem.–* *probauit, at eiſdem erat uerius, nec tamen*

eiſdem,opimius,male ſonabat ijſdem.Impetratum eſt a' conſuetudine,ut peccare ſuauitatis cauſa liceret, & pomeridianas quadrigas, quàm poſtmeridianas libentius dixerim,& meherc̃ule,quã meherc̃ules.Nõſcire quidem barbarum iam uidetur,neſcire dulcius.ipſum meridiem,cur non medidiem?credo quod erat inſuauius. Vna præpoſitio eſt,ab,eáq; nunc tantum in acepti tabulis manet,ne his quidem omnium,in reliquo ſermone mutata eſt.Nã amouit dicimus,et abegit,et abſtulit,ut iam neſcias,ab'ne uerum ſit,an abs . Quid ſi etiam abfugit?turpe uiſum eſt,et abfer?noluerunt, aufer maluerũt, quæ præpoſitio præter hæc duo nerba,nullo alio in uerbo reperitur. Noti erant,et naui,& nari,quibus cum in præponi oporteret , dulcius uiſum eſt.ignoti,ignaui,ignari dicere,quàm ut ueritas poſtulabat.Ex uſu dicunt,et e' rep.quod in altero uocalis excipiebat,in altero eſſet aſperitas,niſi literã ſuſtuliſſes,ut exegit,edixit.refecit,rettulit,reddidit adiuncti uerbi primam literam præpoſitio cõmutauit, ut ſubegit,ſummutauit,ſuſtulit.Quid in uerbis iunctis ? quàm ſcite inſipientem,non inſapientem?iniquum,non inæquum?tricapitem.nõ tricapitem?conaſum,non conceſum?Ex quo quidam pertiſum etiam uolunt,quod eadem conſuetudo non probauit.Quid uero hoc elegãtius? quod non fit natura,ſed quodã inſtituto,inclytus dicimus breui prima litera,inſanus producta,inhumanus breui, infelix lõga,et ne multis,quibus in uerbis eæ primæ literæ ſunt,quæ in ſapiente,atq; felice,producte dicitur,in cæteris omnibus breuiter,itemq;,compoſuit, conſuenit,concrepuit,confecit,conſule ueritatem,reprehẽdet,refer ad aures,probabunt.quære cur?ita ſe dicent iuuari,uoluptati autẽ aurium morigerari debet oratio.Quin ego ipſe,cũ ſcirem ita maiores locutos eſſe,ut nuſq; niſi in uocali aſpiratione uterentur,loquebar ſic, ut pulcros,et Cætegos,triũpos,Cartaginẽ dicerẽ,aliquãdo,idq; ſero', conuitio auriũ,cũ mihi exorta ueritas eſſet,uſum loquẽdi populo cõceſſi,ſcientiam mihi reſeruaui.Orciuios tamen,et Matones , Otones, Cæpiones,ſepulcra,coronas,lacrymas dicimus,quia per aurium iudicium ſemper licet.Purrum ſemper Ennius,nuſq; Pyrrhum,ui patefecerunt fruges,non phryges,ipſius antiqui declarant libri,nec enim græcam literã adhibebant,nunc autem etiam duas. & cum phrygum,et cũ phrygibus dicendũ eſſet,abſurdũ erat,aut tantum barbaris caſibus græcam literã adhibere,aut recto caſu ſolumgræce'loq, tamen et Phryges,et Pyrrhum aurium cauſa dicimus. Quinetiam, quod iã ſubruſticum uidetur,olim autẽ politius, eorum uerborum, quorũ eædem erãt poſtremæ duæ literæ,quæ ſunt in optimus , po-

ſtremam literam detrahebant, niſi uocalis inſequebatur. Ita nō erat ea offenſio in uerſibus, quam nunc fuigunt poëtæ noui. Ita enim loquebamur.

-Qui eſt omnibu' princeps. non omnibus princeps. &
-Vita illa dignu', locōq;. non dignus.

quodſi indocta cōſuetudo tam eſt artifex ſuauitatis, quid ab ipſa tandem arte, et doctrina poſtulari putamus? Hæc dixi breuius, quā ſi hac de re una diſputarem, eſt enim hic locus late patens, de natura, uſúq; uerborum, longius autem, quàm inſtituta ratio poſtulabat. Sed quia rerum, uerborumq; iudicium prudētiæ eſt, uocum autem, et numerorum aures ſunt iudices, & quod illa ad intelligentiam referū=tur, hæc ad uoluptatem, in illis ratio inuenit, in his ſenſus artem, aut enim negligenda nobis fuit uoluptas eorum, quibus probari uolebamus, aut ars eius conciliandæ reperienda. Duæ ſunt igitur res, quæ permulceant aures, ſonus, & numerus. De numero mox, nunc de ſono quærimus. Verba (ut ſupra diximus) legenda ſunt potiſſimum bene ſonantia, ſed ea non, ut poëtæ, exquiſita ad ſonum, ſed ſumpta de medio.

Qua pontus Helles.- ſuperat modum. At
Auratus aries Colchorum- ſplendidis nominibus illuminatus eſt uerſus, ſed proximus inquinatus inſuauiſſima litera infinitus,
-Frugifera, & ferta arua Aſiæ tenet.

quare bonitate potius noſtrorum uerborum utamur, quàm ſplendore græcorum, niſi forte ſic loqui pœnitet,

Qua tempeſtate Paris Helenam.- et quæ ſequuntur, immo uero iſta ſequamur, aſperitatemq; fugiamus,

Habeo iſtam ego perterricrepam.- idemq;,
-Verſutiloquas malitias.

Nec ſolum componentur uerba rātione, ſed etiam finientur, quoniam id iudicium eſſe aurium alterum diximus, ſed finiuntur, aut compoſitione ipſa, & quaſi ſua ſponte, aut quodam genere uerborum, in quibus ipſis concinnitas ineſt, quæ ſiue caſus habent in exitu ſimiles, ſiue paribus paria reddunturſiue opponuntur contraria, ſuapte natura numeroſa ſunt, etiam ſi nihil eſt factum de induſtria. In huius concinnitatis conſectatione Gorgiā fuiſſe principē accepimus, quo de genere illa noſtra ſunt in miloniana. Eſt enim iudices hæc nō ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerū ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, nō inſtituti, ſed imbuti ſumus. Hæc enim talia ſunt, ut quia re-

feruntur ad ea, quæ debent referri, intelligamus non quæsitũ esse numerũ, sed secutum, quod fit item in contrarijs referendis, ut illa sunt, quibus non modo numerosa oratio, sed etiã uersus efficiatur. eam, quã nihil accusas, damnas, cõdẽnas dixisset, qui uersum effugere uoluisset, bene quã meritã esse autumas, dicas male mereri, id, quod scis prodest, nihil id, quod nescis, obest. Versum efficit ipsa relatio contrariorũ, id esset in oratione numerosum, quod scis nihil prodest, quod nescis, multum obest. Semper hæc, quæ græci ἀντίθετα nominant, cum contrarijs opponuntur contraria, numerum oratoriũ necessitate ipsa efficiunt, & eum sine industria. hoc genere antiqui, iam ante Isocratem delectabantur, & maxime Gorgias, cuius in oratione plerunq; efficit numerum ipsa concinnitas. Nos etiã in hoc genere frequẽtes, ut illa sunt in quarto accusationis. Conferte hanc pacem, cum illo bello, huius prætoris aduentum, cum illius imperatoris uictoria, huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto, huius libidines, cum illius continentia, ab illo, qui cepit conditas, ab hoc, qui constitutas ac cepit, captas dicetis Syracusas. Ergo & hi numeri sunt cogniti etiam à latinis. Genus illud tertium explicetur, quale sit numerosæ, & aptæ orationis. quod qui non sentiunt, quas aureis habeant, aut qd in his hominis simile sit, nescio. Meæ quidem & perfecto, cõpletóq; uerborum ambitu gaudent, & curta sentiunt, nec amant redũdantia, quid dico meas? conciones sæpe exclamare uidi, cum apte uerba cecidissent, id enim expectant aures, ut uerbis colligetur sentẽtia. Nõ erat hoc apud antiquos, & quidem nihil aliud ferè non erat. Nam & uerba eligebant, & sententias graueis, & suaueis reperiebãt, sed eas haud uinciebant, haud explebant. parũ hoc? meipsum delectat inquiunt. Quid si antiquissima illa pictura paucorũ colorũ magis, quàm hæc iam perfecta delectet? illa nobis sit, credo, repetenda, hæc scilicet repudianda. Nomnibus ueterum gloriantur. Habet autem ut in ætatibus authoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas, quæ quidem apud meipsum ualet plurimum, nec ego id, quod deest antiquitati, flagito potius, quàm laudo quod est, præsertim cum ea maiora iudicẽ, quæ sunt, quàm illa, quæ desunt. Plus est enim in uerbis, & in sententijs boni, quibus illi excellunt, quàm in conclusione sententiarum, quã non habent, post inuenta conclusio est, qua credo usuros ueteres illos fuisse, si iam nota, atq; usurpata res esset, qua inuenta omneis usos magnos oratores uidemus, sed habet nomẽ, inuidiã, cũ in oratione iudiciali, et forensi numerus latine, græce ῥυθμὸς inesse dicitur. Nimis enim insidiarũ ad capiẽdas aures adhiberi uidetur,

si etiam in dicendo numeri ab oratore quæruntur. hoc freti isti, et ipsi infracta, & amputata loquuntur, & eos uituperant, qui apta, & finita pronuntiant, si inanibus uerbis, leuibusq; sententijs, iure, sin probæ res, lecta uerba, quid est cur claudicare, aut insistere orationem malint, quàm cum sententia pariter excurrere? Hic enim muidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte uerbis cõprehensa sententia, quod fit etiam ab antiquis, sed plerunq; casu, sæpe natura, & quæ ualde laudantur apud illos, ea ferè, quia sunt cõclusa, laudantur. & apud græcos quidem iam anni propè quadringenti sunt, cũ hoc probatur, nos nuper agnouimus. Ergo Ennio licuit uetera contemnenti, dicere

uersibu' quos olim Fauni, uatesq; canebant. *mihi de antiquis eodem modo non licebit, præsertim cum dicturus non sim.*

Ante hunc= *ut ille, nec quæ sequuntur.*

Nos aut reserare=

legi enim, audiuiq; nonnullos, quorum propemodum absolute cõcluderetur oratio. Quod qui non possunt, non est eis satis non contẽni, laudari etiam uolunt. Ego autem illos ipsos laudo, idq; merito, quorum se isti imitatores esse dicunt, et si in his aliquid desydero, hos uero minime, qui nihil illorum nisi uitium sequuntur, cum à bonis absint longissime. Quod si aures tam inhumanas, tamq; agrestes habẽt, ne doctissimorum quidem uirorum eos mouebit authoritas? Omitto Isocratem, discipulosq; eius, Ephorum, & Naucratem, quanquam orationis faciendæ, et ornandæ authores locupletissimi, summi ipsi oratores esse debeant. Sed quis omniũ doctior? quis acutior? quis in rebus uel inueniendis, uel iudicandis acrior Aristotele fuit? quis porrò Isocrati est aduersatus infensius? Is igitur uersum in oratione uetat esse, numerum iubet. eius auditor Theodectes in primis (ut Aristoteles sæpe significat) politus scriptor, atq; artifex, hoc idem & sentit, et præcipit. Theophrastus uero, ijsdem de rebus etiam accuratius. Quis ergo istos ferat? qui hos authores nó probent. nisi omnino hæc esse ab his præcepta nesciunt. Quod si ita est (ne uero aliter existimo) quod ipsi suis sensibus non mouentur, nihil nec eis inane uidetur, nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans. In uersu quidem Theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut breuior, aut longior. Nec uero multitudo pedes nouit, nec ullos numeros tenet, nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat intelligit, et tamen omnium longitudinum, & breuitatum in sonis, sicut acutarum, grauiumq; uocum, iudicium ipsa natura in auribus nostris collocauit.

Vis ne

Vis'ne igitur Brute totum hunc locum accuratius etiam explicemus, quàm illi ipsi, qui & hæc, & alia nobis tradiderunt? An his contenti esse, quæ ab illis dicta sunt, possumus? sed qd quæro, uelis'ne? cum literis tuis eruditissime scriptis, te id uel maxime uelle perspexerim. Primũ ergo origo, deinde causa, post natura, tũ ad extremum usus ipse explicetur orationis, aptæ, atq; numerosæ. Nam qui Isocratem maxime mirantur, hoc in eius summis laudibus ferunt, quod uerbis solutis numeros primus adiunxerit. Cum enim uideret oratores cum seueritate audiri, poëtas autem cum uoluptate, tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur, cum iucunditatis causa, tum ut uarietas occurreret satietati. Quod ab his uere quadam ex parte, non totum dicitur. Nam neminem in eo genere scientius uersatum Isocrate confitendum est. Sed princeps inueniendi fuit Thrasimachus, cuius omnia nimis etiam extant scripta numerose. Nam (ut paulo ante dixi) paria paribus adiuncta, & similiter definita, item'q; contrarijs relata contraria, quæ sua sponte etiam si id non agas, cadunt plerunq; numerose, Gorgias primus inuenit, sed his est usus intemperantius, id autem est genus (ut ante dictum est) ex tribus partibus collocationis alterum. horum uterq; Isocratem ætate præcurrit, ut eos ille moderatione nõ inuentione uicerit. Est enim ut in transferendis, faciendis'q; uerbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. Gorgias autem auidior est generis eius, & his festiuitatibus (sic enim ipse cẽset) insolentius abutitur, quas, Isocrates, cum tamen audiuisset in Thessalia adolescens senem iam Gorgiam, moderatius temperauit. Quin etiam se ipse tantum, quantum ætate procedebat (propè enim centum confecit annos) relaxarat à nimia necessitate numerorum, quod declarat in eo libro, quem ad Philippum macedonem scripsit, cum iam admodum esset senex, in quo dicit sese iam minus seruire numeris, quàm solitus esset, ita non modo superiores, sed etiam se ipse correxit. Quoniam igitur habemus aptæ orationis eos principes, authores'q;, quos diximus, et origo inuenta est, causa quæratur, quæ sic aperta est, ut mirer ueteres nõ esse commotos, præsertim cũ, ut fit, fortuito sæpe aliquid concluse, apte'q; dicerent. Quod cũ animos hominum, aures'q; pepulisset, ut intelligi posset, id quod casus effudisset, cecidisse iucunde, notandum certe genus, atq; ipsi sibi imitandi fuerũt. Aures enim, uel animus aurium nuntio naturalem quandam in se continet uocum omniũ mensionem. Itaq; & longiora, & breuiora iudicat, & perfecta, ac moderata semper expectat. Mutila sentit quædã, & quasi decurtata, qui-

bus tanquam debito fraudetur, offenditur. productiora alia, & quasi immoderatius excurrentia, quæ magis etiam aspernantur aures, qđ cum in pleriſq; tum in hoc genere nimiũ quod est, offendit uehementius, quàm id, quod uidetur parum. Vt igitur poëtica, & uersus inuentus est terminatione aurium, obseruatione prudentium, sic in oratione animaduersum est, multo quidem illud serius, sed eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus, cõclusionesq; uerborum.

Quoniam igitur causam quoq; ostendimus, naturam nũc (id enim erat tertium (si placet, explicemus, quæ disputatio non huius instituti sermonis est, sed artis intimæ. Quæri enim potest, q sit orationis numerus, & ubi sit positus, & natus ex quo, & is unus'ne sit, an duo. an plures, quáq; ratione componatur, & ad quam rem, & quando, & quo loco, & quemadmodum adhibitus aliqd uoluptatis afferat. Sed ut in pleriſq; rebus, sic in hac duplex est consyderandi uia, quarum altera est longior, breuior altera, & eadem etiam planior. Est autem longioris prima illa quæstio, sit'ne omnino ulla numerosa oratio. quibusdam enim nõ uidetur, quia nihil insit in ea certi, ut in uersibus, & quod illi, qui affirmant eos esse numeros, rationem, cur sint, non queant reddere. Deinde, si sit numerus in oratione, qualis sit, aut quales, ex poëticas'ne numeris, an ex alio genere quodã, etsi è poëticis, quis eorũ sit, aut qui. nanq; alijs unus modo, alijs plures, alijs oẽs ijdem uidentur. deinde quicunq; sunt, siue unus, siue plures, cõmunes'ne sint omnis generis orationi, quoniam aliud genus est narrandi, aliud persuadendi, aliud docendi. an dispares numeri cuiq; orationis generi accommodentur. si omnes, qui sint, si dispares, qd interſit, & cur non æque in oratione, atq; in uersu numerus appareat. deinde quod dicitur in oratione numerosum, id utrum numero solum efficiatur, an etiam uel cõpositione quadam, uel genere uerborum, an̄ est suum cuiusq;, ut numerus interuallis, cõpositio uocibus, genus ipsum uerborum quasi quædã forma, et lumen orationis appareat, sitq; omnium fons compositio, ex eáq; & numerus efficiatur, & ea, quæ dicuntur, orationis quasi formæ, & lumina, quæ (ut dixi) græci uocant χήματα. An non est unum, nec idem, quod uoce iucundũ est, & quod moderatione absolutum, & quod illuminatum genere uerborum, quanquam id quidem finitimum est numero, quia per se plerunq; perfectum est, cõpositio autem ab utroq; differt, quæ tota seruit grauitati uocum, aut suauitati. Hæc igitur ferè sunt, in qbus rei natura quærenda sit. Esse igitur in oratione numerũ quendã non est difficile cognoscere. iudicat enim sensus, in quo iniquum est,

quod

quod accidit non agnoscere, si cur id accidat reperire nequeamus. neq; enim ipse uersus ratione est cognitus, sed natura, atq; sensu, quẽ dimensa ratio docuit, qd acciderit, ita notatio naturæ, & animaduersio peperit artẽ. Sed in uersibus res est apertior, quanquã etiã à modis quibusdam cantu remoto soluta esse uideatur oratio, maximéq; id in optimo quoq; eorum poëtarũ, qui λυρικοὶ à græcis nominantur, quos cum cantu spoliaueris, nuda penè remanet oratio. quorũ similia sunt quædam etiam apud nostros, uelut ille in thyeste.

Quemnam te esse dicam? qui tarda in senectute

& quæ sequuntur, quæ nisi cum tibicen accessit, orationi sunt solutæ simillima. At comicorum senarij propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abiecti, ut nonnunquam uix in his numerus, et uersus intelligi possit, quo est ad inueniẽdum difficilior, in oratione numerus, quã in uersibus. Omnino duo sunt, quæ condiant orationem, uerborum, numerorumq; iucunditas. In uerbis inest quasi materia quædã, in numero autem expolitio, sed ut cæteris in rebus necessitatis inuẽta antiquiora sunt, quã uoluptatis, ita & in hac re accidit, ut multis seculis ante oratio nuda, ac rudis ad solos animorum sensus exprimendos fuerit reperta, quàm ratio numerorum causa delectationis aurium excogitata. Itaq; & Herodotus, & eadem, superiorq; ætas numero caruit, nisi quando temere, ac fortuito, & scriptores peruetteres, de numero nihil omnino, de oratione præcepta multa nobis reliquerũt. Nam quod et facilius est, & magis necessariũ, id semper ante cognoscitur. Itaq; translata, aut facta, aut iuncta uerba facile sunt cognita, qa sumebantur è consuetudine, quotidianoq; sermone. Numerus autem non modo depromebatur, neque habebat aliquam necessitudinem, aut cognationem cum oratione. Itaq; serius aliquanto notatus, & cognitus quasi quandam palæstram, & extrema liniamenta orationi attulit. Quod si & angusta quædam, atq; concisa, et alia est collatata, et diffusa oratio, necesse est id non literarum accidere natura, sed interuallorum longorum, et breuium uarietate, quibus implicata, atq; permista oratio, quoniã tum stabilis est, tum uolubilis, necesse est eiusmodi naturam numeris contineri. Nã circuitus ille, quẽ sæpe iam diximus, incitatior numero ipso fertur, & labitur, quoad perueniat ad finem, & insistat. Perspicuum est igitur numeris astrictã orationem esse debere, carere uersibus, sed hi numeri poëtici ne sint, an ex alio genere quodam, deinceps est uidendum. Nullus est igitur numerus extra poëticos, propterea qđ definita sunt genera numerorum. nam omnis talis est, ut unus sit è tribus. Pes enim, q adhibetur

ad numeros, partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut æqualem esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorẽ. Ita fit æqualis dactylus, duplex iambus, sesqui pæan, qui pedes in orationem nõ cadere qui possunt? qbus ordine locatis, quod efficitur numerosum sit necesse est. Sed quæritur quo numero, aut qbus potissimũ sit utendum. Incidere uero omnis in orationem, etiam ex hoc intelligi potest, qđ uersus sæpe in oratione per imprudentiam dicimus, quod uehemẽter est uitiosum, sed non attendimus, neq; exaudimus nosmetipsos. Senarios uero, et hyponactheos effugere uix possumus. Magnam enim partem ex iambis nostra cõstat oratio, sed tamen eos uersus facile agnoscit auditor, sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam sæpe etiam minus usitatos, sed tamen uersus, uitiosum genus, et longa animi prouisione fugiendũ. Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse uersus Hieronymus, peripateticus ĩ primis nobilis, plerosq; senarios, sed ẽt anapæsticos, quo qd potest esse turpius? etsi ineligendo fecit malitiose, prima enim syllaba dempta ex primo uerbo sententiæ, postremum ad uerbum primam rursus syllabã adiunxit insequentis. ita factus est anapæstus, is, qui aristophaneus nominatur, quod ne accidat, obseruari nec potest, nec necesse est. Sed tamen hic corrector, ĩ coipso loco, quo reprehẽdit, ut a me animaduersum ẽ studiose inquirenti in eũ, immutat imprudẽs ipse senarium. Sit igitur hoc cognitũ insolutis etiã uerbis inesse numeros, eosdemq; esse oratorios, qui sunt poëtici. Sequitur ergo, ut qui maxime cadant in orationem aptam numeri, uidendũ sit. Et sunt enim qui iambicum putent, quod sit orationi simillimus, qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinẽ ueritatis adhibeatur in fabulis, quod ille dactylicus numerus hexametrorũ magniloquẽtiæ sit accommodatior. Ephorus autem leuis ipse orator, sed profectus ex optima disciplina, pæana sequitur, aut dactylũ, fugit autem spondeum, & trochæum. Quod enim pæan habeat treis breueis, dactylus autẽ duas, breuitate, et celeritate syllabarũ labi putat uerba procliuius, contráq; accidere ĩ spõdeo, et trochæo, quod alter ex longis cõstaret, alter ex breuibus fieret, alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutrã temperatam. Sed & illi priores errant, et Ephorus in culpa est. Nã et qui pæana prætereunt, non uident mollissimũ a sese numerũ, eundemq; amplissimũ præteriri. Quod lõge Aristoteli uidetur secus, q iudicat Heroum numerũ grandiorẽ, q̃ desyderet soluta oratio, iambum autem nimis e uulgari esse sermone. Ita neq; humilẽ, nec abiectam orationem, nec nimis altam, et exageratã probat, plenã tamen

eam mult

eam uult esse grauitatis,ut eos,qui audient,ad maiorẽ admirationẽ possit traducere,trochæum autem,qui est eodem spatio,quo choreus, cordacem appellat,quia contractio,& breuitas dignitatem non habeat.Ita pæana probat,coq; ait uti omnes,sed ipsos non sentire,cũ utantur,esse autem tertium,ac mediũ inter illos,sed ita factos eos pedes esse,ut in eis singulis modus insit aut sexquiplex,aut duplex,aut par.Itaq; illi,de quibus ante dixi,tantummodo commoditatis habuerunt rationem,nullam dignitatis.Iambus enim,& dactylus in uersum cadunt maxime,itaq; ut uersum fugimus in oratione,sic hi sunt euitandi continuati pedes.Aliud enim quiddam est oratio,nec quicquam inimicitius,quã illa uersibus , pæan autem minime est aptus ad uersum,quo libentius eum recepit oratio. Ephorus uero ne spondeum quidẽ,quẽ fugit,intelligit esse æqualem dactylo,quem probat, syllabis enim metiendos pedes,non interuallis existimat,quod idẽ fit in trochæo,qui temporibus,et interuallis est par iambo,sed eo uitiosius in oratione,si ponatur extremus,quod uerba melius in syllabas longiores cadũt.Atq; hæc,quæ sunt apud Aristotelem,eadem à Theophrasto,Theodecteq; de pæane dicũtur.Ego autẽ sentio omneis in oratione esse quasi permistos,et confusos pedes. Nec enim effugere possemus animaduersionem,si semper ijsdem uteremur, quia nec numerosa esse,ut poëma,neq; extra numerum,ut sermo uulgi est,debet oratio.Alterũ nimis est uinctum,ut de industria factum appareat. alterum nimis dissolutum,ut pernagatum,ac uulgare uideatur , ut ab altero non delectere,alterum oderis.Sit igitur(ut supra dixi)permista,& temperata numeris,nec dissoluta,nec tota numerosa, pæane maxime,quoniam optimus author ita censet,sed reliquus etiã numeris,quos ille præterit,temperata. Quos autem numeros , cum quibus tanquam purpuram misceri oporteat,nũc dicendum est, atq; etiam quibus orationis generibus sint quiq; accommodatissimi.Iambus enim frequentissimus est in ijs,quæ demisso,atque humili sermone dicuntur,pæan autem in amplioribus,in utroq; dactylus,ita ĩ uaria,& perpetua oratione hi sunt inter se miscendi,& temperãdi, sic minime animaduertetur delectationis aucupium , & quadrandæ orationis industria,quæ latebit eo magis,si & uerborum,& sententiarum ponderibus utemur.Nam qui audiunt hæc duo animaduertunt,et iucunda sibi censent,uerba dico,et sententias,eaq; dũ animis attentis admirãtes excipiunt,fugit eos,& præteruolat numerus,qui tamen si abesset,illa ipsa delectarent.Nec uero nimius is cursus est numerorũ,orationis dico,nã est lõge aliter ĩ uersibus,nihil ut fiat extra

modum, nam id qdē esset poëma. Sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans, & æqualiter, cōstanterq; ingrediens numerosa habetur oratio. Atq; id in dicendo numerosum putatur, nō quod totum cōstat ex numeris, sed quod ad numeros proxime accedit, quo etiā difficilius est oratione uti, quàm uersibus, quod in illis certa quædam, et definita lex est, quam sequi sit necesse, in dicendo autem nihil est propositū, nisi aut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaq; non sunt in ea tanquam tibicini percussionum modi, sed uniuersa comprehensio, & species orationis clausa, et terminata est, quod uoluptate auriū iudicatur. Solet autem quæri totone in ambitu uerborū numeri tenendi sint, an in primis partibus, atque in extremis. plerique enim censent cadere tantum numerose oportere, terminariq; sententiam. est autem ut id maxime deceat, non id solū. ponendus est enim ille ambitus, nō abijciendus. Quare cum aures extremum semper expectent, in eoq; acquiescant, id uacare numero non oportet, sed ad hūc exitum tamen a principio ferri debet uerborū illa cōprehensio, et tota a capite ita fluere, ut ad extremū ueniēs ipsa consistat. Id autē bona disciplina exercitatis, qui et multa scripserint, et quæcūq; etiam sine scripto dicerent simulia scriptorū effecerint, non erit difficillimū. ante enim circunscribitur mente sententia, cōfestimq; uerba concurrunt, quæ mens eadē, qua nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodq; loco respondeat, quorū descriptus ordo, aliās alia terminatione concluditur, atq; omnia illa & prima, et media uerba, spectare debent ad ultimum. Interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdū moderata ingressio, ut iam a principio uidendū sit, quēadmodum uelis uenire ad extremum, nec in numeris magis, quàm in reliquis ornamentis orationis, eadē cū faciamus, quæ poëtæ, effugimus tamen in oratione poëmatis similitudinem. est enim in utroque & materia, et tractatio, materia in uerbis, tractatio in collocatione uerborū. Ternæ autem sunt utriusq; ptes, uerborū, trāslatū, nouū, priscū, nam de propriis nihil hoc loco dicimus. Collocationis autem, eæ, quas diximus, compositio, concinnitas, numerus, sed in utroq; frequentiores sunt, et liberiores poëtæ, nam et transferunt uerba cum crebrius, tū etiā audacius, et priscis libentius utuntur, & liberius nouis, qđ idem fit in numeris, in quibus quasi necessitati parere cogūtur, sed tamen hæc nec nimis esse diuersa, neq; ullo modo coniūcta intelligi licet. Ita fit, ut nō item in oratione, ut in uersu numerus extet, idq;, quod numerosum in oratione dicitur, nō semp numero fiat, sed nōnunq; aut cōcinnitate, aut cōstructione uerborū. Ita si numerus orationis quæritur

qui sit,

qui sit, omnis est, sed alius alio melior, atq; aptior. Si locus, ĩ omni parte uerborum, si unde ortus sit, ex aurium uoluptate, si cõponendorum ratio, dicetur alio loco, quia pertinet ad usum, quæ pars quarta, et extrema nobis in diuidẽdo fuit, si ad quã rem adhibeatur, ad delectationem, si quando, semper, si quo loco, in tota cõtinuatione uerborũ, si quæ res efficiat, uoluptatem, eadem, quæ in uersibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsæ tacito eũ sensu sine arte definiunt.

Satis multa de natura, sequitur usus, de quo est accuratius disputandum. In quo quæsitum est, in toto'ne circuitu illo orationis, quem græci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehẽsionem, aut continuationem, aut circunscriptionem dicamus, an in principijs solum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit. Deinde, cum aliud uideatur esse numerus, aliud numerosum, quid intersit. tum autem in omnibus'ne numeris æqualiter particulas deceat ĩcadere, an facere alias breuiores, alias longiores. idq; quãdo, aut cur, quibusq; partibus, pluribus'ne, an singulis. imparibus, an æqualibus, & quando, aut istis, aut illis sit utendum. quæq; inter se aptissime collocentur, & quomodo, an omnino nulla sit in eo genere distinctio. quodq; ad rem maxime pertinet, qua ratione numerosa fiat oratio. Explicandum etiam est, unde orta sit forma uerborum, dicendumq; quantos circuitus facere deceat, deq; eorum particulis, & tanquam incisionibus differendum est. quærendumq; utrum una species, & longitudo sit earum, an'ne plures, & si plures, quo loco, aut quando, quoq; genere uti oporteat. Postremo totius generis utilitas explicanda est, quæ quidem patet latius, non ad unã enim rem aliquam, sed ad plures accommodatur. Ac licet non ad singulas res respondentem de uniuerso genere sic dicere, ut etiam singulis satis responsum esse uideatur. Remotis igitur reliquis generibus, unum selegimus, hoc quidem, quod in causis, foroq; uersatur, de quo diceremus. Ergo in alijs, idest in historia, & in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικὸν placet omnia dici Isocrateo, Theopõpeoq; more, illa circunscriptione, ambituq;, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis, absolutisq; sententijs. Itaque postea quam est nata hæc uel circunscriptio, uel cõprehensio, uel continuatio, uel ambitus, si ita licet dicere, nemo, qui aliquo esset in numero, scripsit orationẽ generis eius, quod esset ad delectationem comparatum, remotumq; a iudicijs, forensiq; certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum, numerumq; sententias. Nam, cum is est auditor, qui non uereatur, ne cõpositæ orationis insidijs sua fides atten-

tetur, gratiam quoque habet oratori uoluptati aurium seruienti. Genus autem hoc orationis, neque totum assumendũ est ad causas forenses, neq; omnino repudiandum. Si enim semper utare, cum satietatẽ affert, tum quale sit, etiam ab imperitis, agnoscitur. Detrahit praeterea actionis dolorẽ, aufert humanũ sensum actoris, tollit funditus ueritatem, & fidem. Sed quoniam adhibenda nonnunquã est, primũ uidendũ est, quo loco, deinde quandiu retinenda sit, tum quot modis commutanda. Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandũ est aliquid ornatius, ut nos in accusationis secundo, de Siciliæ laude diximus, aut i senatu de consulatu meo, aut exponẽda narratio, quæ plus dignitatis desyderat, quàm doloris, ut in quarto accusationis, de Ennensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ diximus. Sæpe etiam in amplificãda re concessu omnium funditur numerose, & uolubiliter oratio. Id nos fortasse nó perfecamus, cnati quidem sæpissime sumus, qđ plurimis locis perorationes nostræ uoluisse nos, atq; animo contendisse declarant. Id autẽ tum ualet, cum is, qui audit, ab oratore iam obsessus est, ac tenetur. Nõ enim id agit, ut insidietur, & obseruet, sed iã fauet, processumq; uult, dicendiq; uim admirans, non inquirit quod reprehendat. Hæc autem forma retinenda non diu est, nec dico in peroratione, quam ipse includit, sed in orationis reliquis partibus. Nã cum sis his locis usus, quibus ostendi licere, transferenda tota dictio est ad illa, quæ nescio cur cum graeci κόμματα, & κῶλα nominent, nos non recte incisa, & membra dicamus. Neq; enim esse possunt rebus ignotis nota nomina, sed cum uerba aut suauitatis, aut ĩopiæ causa transferre soleamus, ĩ omnibus hoc fit artibus, ut cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum, nullum habuerit ante nomen, necessitas cogit aut nouũ facere uerbum, aut a' simili mutuari. Quo autẽ pacto decerat incise, membratim ue dica, iam uidebimus. nũc quot modis mutentur cõprehensiones, conclusionesq;, dicendũ est. Fluit omnino numerus a' primo, tum incitatius breuitate pedum, tum proceritate tardius, cursum contentiones magis requirũt, expositiones rerum, tarditatem. Insistit autem ambitus modis pluribus, è quibus unum est secuta Asia maxime, q dichoreus uocatur, cum duo extremi chorei sunt, idest è singulis longis, et breuibus. Explanandum est enim, quod ab aliis ijdẽ pedes aliis nominantur uocabulis. Dichoreus non est ille quidem sua sponte uitiosus in clausulis, sed in orationis numero, nihil est tam uitiosum, quàm si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse præclare, quo etiam satietas formidanda est magis. me stante. C. Carbo C.

F.tribunus pl.in concione dixit his uerbis.O'M.Druſe,patrẽ appel
lo.Hæc quidem duo binis pedibus inciſim,dein membratim.tu dice=
re ſolebas,ſacrã eſſe remp.hæc item membra ternis,poſt ambitus.q-
cunq; eã uiolauiſſent,ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas.Dichoreus,
nihil enim ad rem extrema illa longa ſit,an breuis,deinde.patris di
ctum ſapiens,temeritas filij cõprobauit.Hoc Dichoreo tãtus clamor
concionis excitatus eſt,ut admirabile eſſet.Quæro nõne id numerus
effecerit?uerborum ordinem immuta,fac ſic.comprobauit filij teme
ritas.iam nihil erit,etſi temeritas ex tribus breuibus,et lõga eſt,quẽ
Ariſtoteles,ut optimũ probat,a' quo diſſentio.at eadem uerba, eadẽ
ſententia,animo iſtuc ſatis eſt,auribus non ſatis.ſed id crebrius fieri
non oportet.primum enim numerus agnoſcitur,deinde ſatiat,poſtea
cognita facilitate,contemnitur.Sed ſunt clauſulæ plures, quæ nume-
roſe,& iucunde cadant.nam & creticus,qui eſt è' longa,& bre-
ui,et longa,& eius æqualis pæan,qui ſpatio par eſt,ſyllaba lõgior,
quamcommodiſſime putatur in ſolutam orationem illigari,cum ſit du
plex,nam aut è' longa,et tribus breuibus,qui numerus in primo ui
get,iacet in extremo,aut totidem breuibus,et longa, in quem optime
cadere cenſent ueteres,ego non planè' reijcio,ſed alios antepono, ne
ſpõdeus qdem funditus ẽ repudiandus,etſi quod eſt è' longis duabus,
hebetior uidetur,et tardior,habet tamen ſtabilem quendam,et non
expertem dignitatis gradum.In incaſionibus uero multo magis, &
in membris. Paucitatem enim pedum, grauitatis ſuæ tarditate
compenſat, ſed hos cum in clauſulis pedes nomino,non loquor de
uno pede extremo, adiungo, quod minimum ſit,proximum ſupe-
riorem,ſæpe etiam tertium,ne iambus quidem, qui eſt e' breui,
& longa,aut par choreo, qui habet treis breues, ſed ſpatio par,
non ſyllabis,aut etiam dactylus, qui eſt è' longa, & duabus bre-
uibus,ſi eſt proximus a' poſtremo,parum uolubiliter peruenit ad ex
tremum,ſi eſt extremus choreus,aut ſpondeus,nunquam enim inter=
eſt uter ſit eorum in pede extremo.ſed ijdem hi tres pedes,male con-
cludunt,ſiquis eorum in extremo locatus eſt,niſi cum pro cretico po-
ſtremus eſt dactylus,nihil enim intereſt dactylus ſit extremus, an
creticus, quia poſtrema ſyllaba breuis,an longa ſit,ne in uerſu qui-
dem refert. Quare etiam pæana qui dixit aptiorem, in quo eſſet
longa poſtrema, uidit parum ,quoniam nihil ad rem eſt poſtrema,
quàm longa ſit.Iam pæan,quod plures habeat ſyllabas, quàm treis,
numerus a' quibuſdam non pes habetur.Eſt quidẽ,ut inter omneis
conſtat antiquos,Ariſtotelem,Theophraſtum,Theodectem ;Ephorũ

unus aptissimus orationi uel orienti, uel mediæ, putant illi etiam ca
denti, quo loco mihi uidetur aptior Creticus. Dochimus autẽ è quinq;
syllabis, breui, duabus lógis, breui, lóga, ut ẽ hoc, amicos tenes, quouis
loco aptus est, dum semel ponatur, iteratus, aut continuatus numerum
apertum, & nimis insignem facit. His igitur tot commutationibus,
tamq; uarijs si utemur, nec deprehendetur manifesto, quid à nobis de
industria fiat, & occurretur satietati. Et quia non numero solum nu
merosa oratio, sed & compositione fit, & genere, quod ante dictum
est, concinnitatis, cõpositione potest itelligi, cũ ita structa uerba sunt,
ut numerus non quæsitus, sed ipse secutus esse uideatur, ut apud Cras
sum. Nam ubi lubido dominatur, innocentiæ leue præsidium est. Or
do enim uerborum efficit numerum, sine ulla aperta oratoris indu-
stria, itaq; si quæ ueteres illi, Hærodotum dico, et Thucydidẽ, totamq;
eam ætatem apte, numeroseq; dixerunt, ea non numero quæsito, sed
uerborum collocatione ceciderunt. Formæ uero quædam sunt oratio
nis, in quibus ea concinnitas inest, ut sequatur numerus necessario.
Nam, cum aut par pari refertur, aut contrariũ contrario opponitur,
aut quæ similiter cadunt uerba uerbis comparantur, quicquid ita cõ
cluditur, plerunq; fit, ut numerose cadat, quo de genere cum exem-
plis supra diximus, ut hæc quoq; copia facultatem afferat, non sem
per eodem modo desinendi, nec tamen hæc ita sunt arcta, & astri-
cta, ut ea cum uelimus laxare, nequeamus. Multum interest utrũ
numerosa sit, idest similis numerorum, an planè è numeris cõstet ora
tio, alterum si fit intolerabile, uitium est, alterum nisi fit, dissipata, et
inculta, & fluens est oratio. Sed quoniam non modo non frequẽ-
ter, uerumetiam raro in ueris causis, aut forensibus circunscripte, nu
meroseq; dicendum est, sequi uidetur, ut uideamus, quæ sint illa, quæ
supra dixi membra. Hæc enim in ueris causis maximam
partem orationis obtinent. Constat enim ille ambitus, & plena com-
prehensio è quatuor ferè partibus, quæ membra dicimus, ut et aures
impleat, & ne breuior sit, quàm satis sit, neque longior, quan-
quam utrunque nonnunquam, uel potius sæpe, accidit, ut aut ci=
tius insistendum sit, aut longius procedendum, ne breuitas de frau-
dasse aures uideatur, ne ue longitudo obtudisse. Sed habeo medio=
critatis rationem. nec enim loquor de uersu, & est liberior ali=
quanto oratio. È quatuor igitur, quasi hexametrorum instar uer-
suum quod sit, constat ferè plena comprehensio. His igitur singulis
uersibus quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu con=
iunximus. Sin membratim uolumus dicere, insistimus, idq; cum

opus est, ab isto cursu inuidioso facile nos, & sæpe disiungimus. sed nihil tam debet esse numerosum, quàm hoc, quod minime apparet, et
» ualet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi, missos faciant patro
» nos, ipsi prodeant. nisi interuallo dixisset, ipsi prodeant, sensisset profecto effugisse senarium. omnino melius caderet. prodeant ipsi. sed de
» genere nunc disputo. cur clandestinis consilijs nos oppugnant? cur de
» perfugis nostris copias comparant contra nos? prima sunt illa duo, quæ κόμματα græci uocant, nos incisa dicimus, deinde tertiũ, κῶλον illi, nos membrũ. sequitur non longa, ex duobus cum uersibus. i. mẽbris perfecta comprehensio est, & in spondæos cadit, & Crassus quidem sic plerunq; dicebat, idq; ipse genus dicendi maxime probo. sed quæ incisim, aut membratim efferuntur, ea uel aptissime cadere de-
» bent, ut est apud me. Domus tibi deerat, at habebas, pecunia superа-
» bat, at egebas. hæc incisa dicta sunt quatuor. at membratim quæ se-
» quuntur duo. Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insaniisti. deinde omnia tanquã crepidine quadã comprehensione longio
» re sustinentur. Depressam, cæcam, iacentem domum pluris, quàm te,
» & quàm fortunas tuas æstimasti. dichoreo finitur. at spondæus proximum illud, nam in ijs, qbus ut punctis uti oportet, breuitas facit ipsa liberiores pedes. Sæpe enim singulis utendum est, plerunq; binis, et utrisq; addi pedis pars potest, non ferè ternis amplius. Incisim autem, & membratim tractata oratio in ueris causis plurimũ ualet, maximéq; his locis, cum aut arguas, aut refellas, ut nostra in
» corneliana secunda. O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda. Membratim adhuc, deinde cæsim diximus. rursus
» membratim. testes dare uolumus. extrema sequtur cõprehensio, sed ex
» duobus membris, qua non potest esse breuior. quẽ quasi nostrũ fefel-
» lit, ita uos esse facturos? Nec ullum genus est dicendi aut melius, aut fortius, binis, aut ternis ferire uerbis, nõnunquã singulis, paulo aliâs pluribus, inter quas uarijs clausulis interponit se raro numerosa comprehensio, quam peruerse fugiens Egesias, dum ille quoq; imitari Lysiam uult, alterum penè Demosthenem saltat, incidens particulas, et is quidem non minus sententijs peccat, quàm uerbis, ut non quærat quem appellet ineptum, qui illum cognouerit. Sed ego illa Crassi, & nostra posui, ut qui uellet auribus ipsis, quid numerosum etiam in minimis particulis orationis esset, iudicaret. Et quoniam plura de numerosa oratione diximus, quam quisquam ante nos, nunc de eius generis utilitate dicemus. Nihil enim est aliud Brute (quod quidem tu minime omnium ignoras) pulchre, et oratorie dicere, nisi optimis sen-

tentijs,uerbisq; lectissime dicere. Et nec sententia ulla est,quæ fructũ oratori ferat,nisi apte expositа,atq; absolute,nec uerborum lumen apparet nisi diligenter collocatorum,& horum utrunq; numerus illustrat. Numerus autem(sæpe enim hoc testandum est)non modo non poëticæ iunctus,uerumetiam fugiens illũ, eiq; omniũ dissimillimus, non quin ijdem sint numeri,non modo oratorum,et poëtarum,uerũ omnino loquentium,deniq; etiam sonantium omniũ,quæ metiri auribus possumus,sed ordo pedum facit,ut id,quod pronuntiatur, aut orationis,aut poëmatis simile uideatur. Hanc igitur siue compositionem,siue perfectionem,siue numerum uocari placet,et adhibere necesse est,si ornate uelis dicere,non solũ,quod ait Aristoteles,et Theophrastus,ne infinite feratur,ut flumen oratio, quæ non aut spiritu pronuntiantis,aut interductu librarij,sed numero coacta debet insistere,uerumetiam,quod multo maiorem habent apta uim,quàm soluta. Vt enim athletas,nec multo secus gladiatores uidemus nihil nec uitando facere caute,nec petendo uehementer,in quo non motus hic habeat palæstrã quandam,ut quicquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam,idẽ ad aspectum etiã sit ucnustum,sic oratio nec plagam grauem facit,nisi petitio fuerit apta,nec satis tecte declinat impetum, nisi etiã in cedendo,quid deceat,intelligit. Itaq; qualis eorũ motus, quos ἀπαλαίσους græci uocant,talis horũ mihi uidetur oratio,q non claudunt numeris sententias,tantumq; abest,ne,quod ij,qui hoc aut magistrorũ inopia,aut ingenij tarditate,aut laboris fuga non sunt assecuti,solent dicere,eneruetur oratio cõpositione uerborũ,ut aliter in ea,nec impetus ullus,nec uis esse possit. Sed magnam exercitationem res flagitat,nequid eorũ,qui genus hoc secuti non tenuerunt,simile faciamus,ne aut uerba traijciamus aperte quo melius aut cadat, aut uoluatur oratio. Quod se L. Cœlius antipater in proœmio belli punici,nisi necessario facturũ negat. O,uirum simplicem,qui nos nihil cælat,sapientem,qui seruiendũ necessitati putet,sed hic omnino rudis. Nobis autẽ in scribendo, atq; in dicendo necessitatis excusatio nõ probatur. nihil est enim necesse,& siquid esset,id necesse tamen nõ erat confiteri. Et hic qdem,qui hanc a Lælio,ad quẽ scripsit, cui se purgat,ueniam petit,& utitur ea traiectione uerborũ,& nihilo tamen aptius explet,concluditq; sententias. Apud alios autẽ,& asiaticos maxime numero seruientes, inculcata reperias inania quædam uerba quasi cõplementa numerorum. Sunt etiã qui illo uitio, quod ab Egesia max me fluxit,infringendis,cõcidẽdisq; numeris in quoddã genus abiectũ incidant Siculorũ simillimum. Tertium est in quo

fuerunt fratres illi asiaticorum rhetorum primapes Hierocles, *et* Menecles, *minime mea sententia contemnendi. Etsi enim à forma ueritatis, & ab atticorum regula absunt, tamen hoc uitium compensant uel facultate, uel copia, sed apud eos uarietas non erat, quod omnia fere concludebantur uno modo. quæ uitia qui fugerit, ut neq; uerbum ita traijciat, ut id de industria factum intelligatur, neq; inferciens uerba quasi rimas expleat, nec minutos numeros sequens concidat, delumbetq; sententias, nec sine ulla commutatione in eodẽ semper uersetur genere numerorum, is omnia fere uitia uitauerit. nam de laudibus multa diximus, quibus sunt alia perspicua uitia contraria. Quantũ autem sit apte dicere, experiri licet, si aut cõpositi oratoris bene structam collocationem dissoluas permutatione uerborum, corrumpatur enim tota res, ut & hæc nostra in* Corneliana, *et deinceps oĩa, neq;*
» *me diuitiæ mouent, qbus omneis* Africanos, *& Lælios multi uenalitij, mercatoresq; superarunt. Immuta paulum ut sit. multi superarũt mercatores, uenalitq;, perierit tota res, & quæ sequuntur. neq; ue*
» *stis aut cælatum aurum, & argentum, quo nostros ueteres* Marcellos,
» *maximosq; multi eunuchi è Syria,* Aegyptoq; *uicerunt. Verba permuta sic ut sit. uicerunt eunuchi è Syria,* Aegyptoq;. Adde tertium.
» *Neq; uero ornamenta ista uillarum, quibus* L. Paulum, *et* L. Mummũ
» *qui rebus his urbem, Italiamq; omnem referserunt, ab aliquo uideo perfacile* Deliaco, *aut* Syro *potuisse superari. Fac ita. potuisse superari ab aliquo* Syro, *aut* Deliaco. Vides'ne, *ut ordine uerborum paulũ commutato ijsdem uerbis stante sententia ad nihilum omnia recidant, cũ sint ex aptis dissoluta, aut si alicuius inconditi arripias dissipatam aliquã sententiã, eamq; ordine uerborum paulum cõmutato in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea*
» *defluens, ac solutũ.* Age *summe de* Gracchi *apud œnsores illud. ab-*
» *esse non potest, qn eiusdem hominis sit probos improbare, q improbos probet. quanto aptius, si ita dixisset, qn eiusdem hominis sit, q improbos probet, probos improbare. hoc modo dicere nemo unquã uoluit, nemoq; potuit, quin dixerit. q autem aliter dixerunt, hoc assequi nõ potuerunt, ita facti sunt repente* Attici, *quasi uero* Trallianus *fuerit* Demosthenes, *cuius non tam uibrarent fulmina illa, nisi numeris cõ torta ferrentur. Sed siquos magis delectant soluta, sequantur ea. Sane modo siqs* Phidiæ *clypeũ dissolucrit, collocationis uniuersam speciem sustulerit, non singulorũ operum uenustatem, ut in* Thucydide, *orbem modo orationis desydero, ornamenta comparent. Isti autem, cum dissoluunt orationem, in qua nec res, nec uerbum ullum est nisi*

abiectum,non clypeum,ſed ut in prouerbio eſt, & ſi humilius dictum eſt,tamen conſimile eſt,ſcopas(ut ita dicam)mihi uidentur diſſoluere,atque ut planè genus hoc,quod ego laudo,contempſiſſe uideantur,aut ſcribant aliquid uel iſocrateo more, uel quo Aeſchines, aut Demoſthenes utitur,tum illos exiſtimabo non deſperatione reformidauiſſe genus hoc,ſed iudicio refugiſſe,aut reperiam ipſa cadẽ cõditione,qui uti uelit,ut aut dicat,aut ſcribat, utra uoles lingua,eo genere,quo illi uolunt. Facilius eſt enim apta diſſoluere,quàm diſſipata connectere. Res autem ſe ſic habet(ut breuiſſime dicã,quod ſentio)compoſite,& apte,ſine ſententijs dicere inſania eſt,ſententioſe autem ſine uerborum & ordine,et modo,infantia. ſed eiuſmodi tamen infantia,ut ea qui utantur non ſtulti homines haberi poſſint, etiam plerunq; prudentes,quo qui eſt contentus,utatur. Eloquens uero,qui non approbationes ſolum,ſed admurationes,clamores,plauſus,ſi licet,mouere debet,omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe ſit quicq̃ aut ſpectari,aut audiri libẽtius. Habes meũ de oratore Brute iudiciũ,quod aut ſequere,ſi probaueris,aut tuo ſtabis, ſi aliud quoddam eſt tuum, in quo neq; pugnabo tecum, neq; hoc meum,de quo tantopere hoc libro aſſeueraui,unquam affirmabo eſſe uerius,quàm tuum. Poteſt enim non ſolum aliud mihi,ac tibi,ſed mihi ipſi aliud aliâs uideri. nec in hac modo re, quæ ad uulgi aſſenſum ſpectet,& ad aurium uoluptatem,quæ duo ſunt adiudicandum leuiſſima,ſed ne in maximis quidem rebus quicquam adhuc inueni firmius quod tenerem,aut quò iudicium meum dirigerem,quàm illud quodcunq; mihi quamſimillimum ueri uideretur, cum ipſum illud uerum in occulto lateret. Tu autem uelim ſi tibi ea,quæ diſputata ſunt,minus probabuntur,ut aut maius opus inſtitutum putes,quàm effici potuerit,aut,dum tibi roganti uoluerim obſequi,uerecundia negandi, ſcribendi me impudentiam ſuſcepiſſe.

FINIS.

M. TVLLII CICERONIS AD C. TREBATIVM TOPICA.

AIORES nos res scribere ingressos C. Trebatium, et ijs libris, quos breui tempore satis multos edi
m dimus, digniores, è cursu ipso reuocauit uoluntas tua. Cum enim mecum in Thusculano esses, et in Bibliotheca separatim uterq; nostrũ ad suum stu diũ libellos, quos uellet, euolueret, incidisti in Aristotelis Topica quædam, quæ sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus continuo à me eorum librorum sententiam requisisti. quam tibi cum exposuissem, disciplinam inueniendorum argumentorũ, ut sine ullo errore ad eam rationem, uia peueniremus ab Aristotele inuenta libris illis contineri, uerecũde tu qdẽ, ut omnia, sed tamen, ut facile cernerem te ardere studio, mecũ, ut tibi illa traderẽ, egisti. Cũ autem ego te nõ tam uitandi laboris mei causa, quá quod interesse tua arbitrarer, uel ut eos per te ipse legeres, uel ut totá rationẽ à doctissimo quodã rhetore acciperes hortatus essem, utrunq;, ut à te audiebã, es expertus. Sed à libris te obscuritas reiecit, rhetor autem ille, magnus ut opinor, aristotelica se ignorare respondit. quod quidem minime sum admiratus, eum philosophũ rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis præter admodum paucos, ignoretur, quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus ijs, quæ ab illo dictæ, & inuentæ sunt, allica debuerunt, sed dicendi quoq; incredibili quadã, cum copia, tum etiã suauitate. Non potui igitur tibi sæpius hoc roganti, et tamen uerẽti, ne mihi grauis esses (facile enim id cernebam) debere diutius, ne ipsi iuris interpreti fieri uideretur iniuria. Et enim cũ tu mihi, meisq; multa sæpe cauisses, uereritus sum, ne si ego grauarer, aut ingratũ id, aut superbũ uideretur. Sed dũ fuimus una, tu optimus es testis, q̃ fuerim occupatus. Vt autem à te discessi in Græciã proficiscens, cum opera mea nec resp. nec amici uterentur, nec honestè inter arma uersari possem, ne si tuto id quidem mihi liceret, ut ueni Veliam, tuáq;, et tuos uidi, admonitus huius æris alieni, nolui deesse, ne tacitæ qdem flagitationi tuæ. Itaq; hæc, cũ mecũ libros non habere, memoria repetita in ipsa nauigatione cõscripsi, tibiq; ex itinere misi, ut mea diligentia mandatorũ tuorum, te quoq;, et si admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. Sed iam tempus est ad id, quod instituimus, accedere.

VM omnis ratio diligẽs disserẽdi, duas habeat partes, unã
c inueniendi, alterã iudicandi, utriusq; princeps, ut mihi qui
dẽ uidetur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elabora
uerunt. Iudicandi enim uias diligenter persecuti sunt, eam scientiã,
quam dialecticen appellant. Inueniẽdi uero artem, quæ Topice dica
tur, quæ ad usum potior erat, & ordine naturæ certe prior, totã re-
liquerunt. Nos autem, quoniã in utraq; summa utilitas est, et utrãq;,
si erit otium, persequi cogitamus, ab ea, quæ prior est, ordiemur. Vt
igitur earũ rerũ, quæ absconditæ sunt, demonstrato, & notato loco
facilis inuentio est, sic cum peruestigare argumentum aliquod uolu-
mus, locos nosse debemus, sic enim appellatæ ab Aristotele sunt hæ
quasi sedes, è quibus argumenta promuntur. Itaq; licet definire, locũ
esse argumenti sedem, argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ fa
ciat fidem. Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alij in
eoipso, de quo agitur, hærent, alij assumuntur extrinsecus. In ipso, tũ
ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex ijs rebus, quæ quo
dammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur. Extrinsecus autẽ ea
dicuntur, quæ absunt, longeq; disiuncta sunt. Sed ad id totum, de quo
disseritur, tum definitio adhibetur, quæ quasi inuolutum euoluit id,
de quo quæritur. Eius argumenti talis est formula. Ius ciuile est æq-
tas constituta ijs, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas.
Eius autem æquitatis utilis est cognitio, utilis est ergo iuris ciuilis scie
tia. Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo. Si neque
censu, neq; uindicta, nec testamento liber factus est, non est liber. neq;
est ulla earum rerum, non est igitur liber. Tum notatio, cum ex ui
uerbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo. Cum lex Aelia san-
ctia assiduo uindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locuple
ti, locuplex enim assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab ære dando.
Ducuntur etiam argumenta ex ijs rebus, quæ quodammodo affe
ctæ sunt, ad id, de quo quæritur, sed hoc genus in plures partes di
stributum est. nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia
ex forma, alia ex similitudine, alia ex differẽtia, alia ex contrario,
alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequẽtibus, alia
ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatio
ne maiorũ, aut parium, aut minorum. Coniugata dicuntur, quæ
sunt ex uerbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis uerba sunt,
quæ orta ab uno uarie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia,
hæc uerborum coniugatio συζυγία dicitur, ex qua huiusmodi est
argumentum. Si compascuus ager est, ius est compascere. A genere

sic ducitur,

sic ducitur, qm̃ argentū omne mulieri legatū est, nō potest ei pecunia, quæ numerata domi relicta est, non esse legata. Forma enim à genere quoad suum nomen retinet, nunquam se iungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet, legata igitur uidetur. A forma generis, quæ interdum, quo planius accipiatur, partes enumerare licet, hoc modo. Si ita Fabiæ pecunia legata est à uiro, si ea, uxor materfamilias esset, si ea in manum uiri non conuenerat, nihil debetur. Genus est enim uxor, eius duæ formæ, una matrūfamilias, hæ sunt, quæ in manum conuenerunt, altera earum, quæ tantummodo uxores habentur. Qua in parte cum fuerit Fabia, legatum ei non uidetur. A similitudine, hoc modo. Si ædes exesæ corruerunt, uitiū'ue fecerunt, quarum usus fructus legatus est, hæres restituere nō debet, nec reficere, non magis, quã seruum restituere, si is, cuius usus fructus legatus est, deperisset. A differentia, non si uxori uir legauit omne argentum, quod suum esset, icirco quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt in arcà'ne positum sit argentum, an in tabulis debeatur. Ex contrario autem sic. Non debet ea mulier cui uir bonorū suorū usumfructum legauit, cællis uinarijs, et oleariis plenis relictis, putare id ad se pertinere. usus. n. non abusus legatus est. Ea sunt inter se contraria. Ab adiunctis, Si ea mulier testamentum fecit, quæ se cæpite nunquam diminuit, nō uidetur ex edicto prætoris secundum eas tabulas possessio dari, adiūgitur enim ut secundum seruorum, secundum exulum, secundum puerulorum tabulas possessio uideatur ex edicto dari. Ab antecedentibus autem, & consequentibus, & repugnantibus, hoc modo. Ab antecedentibus Si uiri culpa factum est diuortium, etsi mulier nuntium remsit, tamen pro liberis manere nihil oportet. A cõsequẽtibus. Si mulier cũ fuisset nupta cum eo, cui connubij ius nõ esset, nuntiũ remsit, quoniam qui natì sunt, patrem non sequũtur, pro liberis manere nihil oportet. A repugnantibus. Si paterfamilias uxori ancillarũ usum fructum legauit à filio, neque à secundo hærede legauit, mortuo filio, mulier usumfructum non amittet. Quod enim semel testamento alicui datum est, id ab eo inuito, cui datum est, auferri non potest. repugnat enim recte accipere, et inuitũ reddere. Ab efficientibus cauſis, hoc modo. Omnibus est ius parietem directum ad parietẽ cõmunẽ adiũgere, uel solidũ, uel fornicatum. At siqs in pariete cõmuni demoliendo dãni infecti promserit, non debebit præstare quod fornix uitij fecerit. non enim eius uitio, qui demolitus est, dãnũ factum est, sed eius operis uitio, qđ ita ædificatũ est, ut suspẽdi nó possit. Ab

effectis rebus, hoc modo. Cũ mulier uiro in manum conuenit, omnia, quæ mulieris fuerunt, uiri fiunt dotis nomine. Ex comparatione autem omnia ualent, quæ sunt eiusmodi, quod in re maiore ualet, ualeat in minore, ut si in urbe fines non reguntur, neq; aqua in urbe arceatur. Itẽ contra, qđ in minore ualet, ualeat in maiore. licet idẽ exemplum conuertere. Item quod in re pari ualet, ualeat ĩ hac, quæ par est, ut quoniam usus authoritas fundi biennium est, sit etiã ædiũ. At in lege ædes non appellantur, et sunt cæterarum omnium, quarum annuus est usus, ualeat æquitas, quæ paribus in causis paria iura desyderat. Quæ autem extrinsecus assumuntur, ea maxime ex authoritate ducuntur, itaq; græci tales argumentationes ἀτέχνους uocant, idest artis expertes, ut si ita respondeas. Quoniam P. Scæuola id solum esse ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis tegendi causa tectum proijceretur, ex quo in tectũ eius, ædes qui protexisset, aqua deflueret, id tibi ius uideri. His igitur locis, qui sunt expositi, ad omne argumentum reperiendum tanquã elementis quibusdam significatio, et demonstratio datur. Vtrum igitur hactenus satis est? tibi quidem tam acuto, et tam occupato puto. Sed quoniam auidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiã, ut reliquiarum sit potius aliquid, quàm te hinc patiar non satiatum discedere.

3. Quando ergo unusquisque eorum locorum, quos exposui, sua quædam membra habet, ea quam subtilissime persequamur, et primum de ipsa definitione dicatur. Definitio est oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid sit. Definitionum autem duo sunt genera prima, unum earum rerum, quæ sunt, alterum earum, quæ intelliguntur. Esse ea dico, quæ cerni, tangi'ue possunt, ut fundum, ædes, parietem, stillicidium, manapium, pecudem, supellectilem, penus, & cætera, quo ex genere quædam interdum nobis definienda sunt. non esse rursus ea dico, quæ tangi, demonstrari'ue non possunt, cerni tamen animo, atque intelligi possunt, ut si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quædã conformatio insignita, & impressa in intelligentia, quam notionem uoco, ea sæpe in argumentando definitione explicãda est. Atque etiam definitiones, aliæ sunt partitionum, aliæ diuisionum. Partitionum cum res ea, quæ proposita est, quasi in membra discerpitur. ut si quis ius ciuile dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum authoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistat. Diuisionum autem definitio formas omnes complectitur, quæ sub eo genere sunt, quod definitur, hoc

modo.

modo. Abalienatio est eius rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri ne xu, aut in iure cessio, inter quos ea iure ciuili fieri possunt. Sunt et alia genera definitionum, sed ad huius libri institutum illa nihil pertinent, tantum est dicendum, qui sit definitionis modus. Sic igitur ueteres præcipiunt, cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei, quã definire uelis, cũ aljs cõmunia, usqueco persequi, dũ proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Vt hoc, hæreditas est pecunia. cõmune adhuc, multa enim genera sunt pecuniæ. adde qđ sequitur, quæ morte alicuius ad quempiã peruenit, non dũ est definitio, multis enim modis sine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Vnum adde uerbum, iure. iam à cõmunitate res disuncta uidebitur, ut sit explicata definitio sic. hæreditas est pecunia, quæ morte alicuius ad quẽpiam puenit iure. Non dum est satis, adde. nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. confectũ est. Item q; ut illud. Gẽtiles sunt, q inter se eodẽ nomine sunt. non est satis. q ab ingenuis oriundi sunt. ne id qdẽ satis est. quorũ maiorũ nemo seruitutẽ seruiuit. abest etiã nũc. qui cãpite nõ sunt diminuti. hoc fortasse satis est. nihil enim uideo Scæuolam pontificem ad hanc definitionem addidisse. Atq; hæc ratio ualet in utroq; genere definitionum, siue id, qđ est, siue id, quod intelligitur, definiendũ est. Partitionum autem, & diuisionum genus quale esset, ostendimus, sed qd inter se differant, planius dicendũ est. In partitione quasi membra sunt, ut cõrporis, cãput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cætera. In diuisione formæ sunt, quas græci εἰδέας uocant, nostri, siqui hæc forte tractant, species appellant, non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. nolim enim, ne si latine quidem dici possit, specierũ, et specibus dicere, & sæpe his cãsibus utendum est. at formis, & formarum uelim. cũ autem utroq; uerbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendã. Genus, & formã definiunt hoc modo. Genus est notio ad plures differẽtias ptinens. Forma est notio, cuius differentia ad cãput generis, & quasi fontem referri potest. Notionem appello, quod græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita, et ante percepta cuiusq; formæ cognitio enodationis indigens. Formæ igitur sunt hæ, in quas genus sine ullius prætermissione diuiditur, ut siquis ius in legem, morem, æquitatem diuidat. Formas q putat idem esse, quod partes, confundit artem, & similitudine quadã conturbatus non satis acute, quæ sunt secernenda, distinguit. Sæpe etiã definiunt et oratores, et poëtæ p translationes uerbi ex similitudine cũ quadam suauitate. Sed ego à uestris exemplis

niſi neceſſario non recedam. Solebat igitur Aquilius collega, et familiaris meus, cũ de litoribus ageretur, quæ omnia publica eſſe uultis, quærentibus ijs, ad quos id pertinebat, qd eſſet litus, ita definire, qua fluctus eluderet. hoc eſt quaſi qui adoleſcentiam florẽ ætatis, ſenectutem occaſum uitæ uelit definire. Translatione enim utens diſcedebat à uerbis proprijs rerũ, ac ſuis. Quod ad definitiones attinet hactenus, reliqua uideamus. 4 Partitione autem ſic utendũ eſt, nullam ut partem relinquas, ut ſi partiri uelis tutelas, inſcienter facias, ſi ullam prætermittas. At ſi ſtipulationum, aut iudiciorũ formulas partiare, non eſt uitioſum in re infinita prætermittere aliquid, quod idem in diuiſione uitioſum eſt. Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuiq; generi ſubijciantur. Partiũ diſtributio ſæpe eſt infinitior, tanquam riuorum à fonte deductio. Itaq; in oratorijs artibus quæſtionis genere propoſito, quot eius formæ ſint, ſubiungitur abſolute. At cum de ornamentis uerborum, ſententiarumq; præcipitur, quæ uocantur χήματα, nó fit idem, res enim eſt infinitior, ut ex hoc quoq; intelligatur, quod uelimus inter partitionem, & diuiſionẽ intereſſe. Quanquam enim uocabula propè idẽ ualere uideantur, tamen quia res differebant, nomina rerũ diſtare uoluerunt. Multa etiã ex notatione ſumuntur. ea eſt autẽ, cũ ex ui nominis argumentum elicitur, quã græci ἐτυμολογίαν uocant, id eſt uerbũ ex uerbo ueriloquium. nos autem nouitatem uerbi non ſatis apti fugientes, genus hoc notationẽ appellamus, quia ſunt uerba rerum notæ. Itaq; hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat, quod latine eſt nota. Sed cum intelligitur quid ſignificetur, minus laborandũ eſt de nomine. Multa igitur in diſputando notatione eliciuntur ex uerbo, ut cũ quæritur poſtliminium quid ſit, non dico quæ ſint poſtliminij, nã id caderet in diuiſionem, quæ talis eſt. Poſtlimnio redeunt hæc, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere ſolet. ſed cum ipſius poſtliminij uis quæritur, & uerbũ ipſum notatur. in quo Seruius noſter (ut opinor) nihil putat eſſe notandũ, niſi poſt, & limniũ illud productionem eſſe uerbi uult, ut in finitimo, legitimo, æditimo, nõ plus ineſſe timũ, quàm in meditullio tulliũ. Scæuola autẽ P. filius iunctiũ putat eſſe uerbũ, ut ſit in eo, & poſt, & limen. ut quæ à nobis alienata ſunt, cũ ad hoſtem puenerint, et ex ſuo tanquã limine exierint, hinc cum redierint poſt ad idẽ limen, poſtlimnio uideantur rediiſſe. Quo in genere etiã Mancini cauſa defendi poteſt, poſtlimnio rediiſſe, deditum non eſſe, quoniã non ſit receptus. Nã neq; deditionẽ, neq; donationem ſine acceptione intelligi poſſe. Sequitur is locus, q conſtat ex

ſtat ex ijs rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo ambigitur, quẽ modo dixi in plures partes diſtributum. cuius primus eſt locus ex coniugatione, quam græci συζυγίαν uocant, finitimus notationi, de qua modo dictum eſt, ut ſi aquam pluuiam eã modo intelligeremus, quam imbri collectam uideremus, ueniret Mutius, qui, quia coniugata uerba eſſent pluuia, et pluẽdo, diceret omnem aquã oportere arceri, quæ pluendo creuiſſet. Cum autem a' genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id uſq; a' capite arceſſere, ſæpe etiã citra licet, dũmodo ſupra ſit, qđ ſumitur, q̃ id, ad qđ ſumitur, ut aqua pluuia ultimo genere ea eſt, quæ de cœlo uenicns creſcit imbri, ſed propriore loco, in quo quaſi ius arcẽdi continetur, genus eſt, aqua pluuia nocens. eius generis formæ, loci uitio, & manu nocens, quarum altera iubetur ab arbitro coerceri, altera nõ iubetur. Cõmode etiam tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere ſumitur, cũ ex toto pſequare partes, hoc modo. Si dolus malus eſt, cũ aliud agitur, aliud ſimulatur, enumerare licet, qbus id modis fiat, deinde in eorũ aliquẽ id, qđ arguas, dolo malo factũ includere, qđ genus argumenti in primis firmũ uideri ſolet. Similitudo ſequitur, quæ late patet, ſed oratoribus, & philoſophis magis, quàm uobis. Etſi enim omnes loci ſunt omnium diſputationum ad argumenta ſuppeditanda, tamen alijs diſputationibus abundãtius occurrunt, alijs anguſtius. Itaq; genera tibi nota ſint, ubi autem his utare, quæſtiones ipſæ te admonebunt. Sunt enim ſimilitudines, quæ ex pluribus collationibus ueniunt, quo' uolunt, hoc modo. Si tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi q fiduciam acceperit, debet etiã procurator. Hæc ex pluribus ueniens quo' uult, appellatur inductio, quæ græce παραγωγὴ nominatur, qua plurimũ eſt uſus in ſermonibus Socrates. Alterũ ſimilitudinis genus collatione ſumitur, cũ una res uni, par pari cõparatur, hoc modo. Quemadmodum ſi in urbe de finibus controuerſia eſt, qa fines magis agrorũ uidentur eſſe, q̃ urbis, finibus regendis adijcere arbitrum non poſſis. Sic ſi aqua pluuia in urbe nocet, quoniã res tota magis agrorum eſt, aquæ pluuiæ arcendæ adijcere non poſſis arbitrum. Ex eodem ſimilitudinis loco etiam exempla ſumuntur, ut Craſſus in Curiana cauſa exemplis plurimis uſus eſt, agens de eo, q teſtamento ſic hæredem inſtituiſſet, ut ſi filius natus eſſet in decem menſibus, isq; mortuus prius, quàm in ſuam tutelam ueniſſet, ſecundus hæres hæreditatem obtinuiſſet. quæ commemoratio exemplorũ ualuit, eaq; uos in reſpondendo uti multũ ſoletis. Ficta etiã exẽpla ſimilitudinis habent uim, ſed ea oratoria magis ſunt, quàm ueſtra.

quanquam uti etiam uos soletis, sed hoc modo. Finge mancipio aliquẽ dedisse id, quod mancipio dari non potest, num ideirco id eius factum est, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem se ulla re obligauit? In hoc genere oratoribus, & philosophis concessum est, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliqd, quod fieri nullo modo possit, augendæ rei gratia dicatur, aut minuẽdæ, quæ hyperbole dicitur, & multa mirabilia alia. Sed latior est campus illorũ, eisdẽ tamen ex locis (ut ante dixi) & in maximis, et in minimis quæstionibus argumenta ducuntur. Sequitur similitudinem differentia rei maxime contraria superiori, sed est eiusdẽ dissimile, & simile inuenire, eius generis hæc sunt. Non quẽadmodum, quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri sine tutore authore soluas, ita qđ aut pupillæ, aut pupillo debeas, recte possis eodem modo soluere.

Deinceps locus est, qui à contrario dicitur. Contrariorũ autẽ genera sunt plura. Vnum eorũ, quæ in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia, stultitia. Eodem autem genere dicuntur, qbus propositis, occurrunt tanq̃ è regione quadam contraria, ut celeritati, tarditas, non debilitas, ex quibus contrarijs argumenta talia existunt. si stultitiã fugimus, sapientiam sequamur, & bonitatem, si malitiã. hæc quæ ex eodem genere contraria sunt, appellãtur aduersa. Sunt enim alia contraria, quæ priuantia licet appellemus latine, græce appellãtur στερητικά. Præpositio enim, in, priuat uerbũ ea ui, quam haberet, si, in, præpositum non fuisset, ut dignitas, indignitas, humanitas, inhumanitas, & cætera generis eiusdem. quorum tractatio est eadẽ, quæ superiorum, quæ aduersa dixi. Nam alia quoq; sunt contrariorum genera, uelut ea, quæ cũ aliquo conferuntur, ut duplũ, simplũ, multa, pauca, longum, breue, maius, minus. Sunt etiã ualde contraria alia, quæ appellantur negantia, ea ἀποφατικὰ græci, contraria aientibus, ut si hoc est, illud non est. Quid enim opus exemplo est? tantũ intelligatur argumento quærendo, contrarijs omnibus contraria non conuenire. Ab adiunctis autem posui equidem exemplũ paulo ante, multa scilicet adiungi, quæ suscipienda essent, si statuissemus ex edicto prætoris secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic magis ad coniecturales causas, quæ uersantur in iudicijs, ualet, cũ quæritur qd aut sit, aut euenerit, aut futurũ sit, aut qd omnino fieri possit, ac loci qdẽ ipsius forma talis est. Admonet autem hic locus, ut quæratur quid ante rem, qd cum re, quid post rem euenerit. Nihil hoc ad ius, ad Ciceronẽ inquibat Gallus noster, siquis ad eum qd tale retulerat, ut de

facto

facto quæreretur. Tu tamen patiere nullum à me artis institutæ locum præteriri, ne si nihil, nisi quod ad te pertineat, scribendũ putaris, nimium te amare uideare. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non iurisconsultorum, sed ne philosophorũ quidem. Ante rem enim quærũtur, quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum conuiuium. Cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbræ, & siquid eiusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, siqua alia signa conturbationis, & conscientiæ. præterea restinctus ignis, gladius cruentus, cæteráq; quæ suspicionẽ facti possunt mouere. Deinceps est locus dialecticorũ proprius ex consequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus, qui etiam ab adiunctis longe diuersus est. Nã adiuncta, de quibus paulo ante dictum est, non semper eueniunt, consequẽtia autẽ semper. Ea enim dico consequentia, quæ rem necessario cõsequuntur. Itemq; et antecedentia, et repugnantia, quicquid enim antecedit quanq; rem, id cohæret cũ re necessario, & quicquid repugnat, id eiusmodi est, ut cohærere nunquam possit. Cũ tripartito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus simplex est, tractandi triplex. Nam quid interest, cũ hoc sumpseris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit omne argentum legatum, utrũ hoc modo concludas argumentum? si pecunia signata argentum est, legata est mulieri, est autem pecunia signata argentum, legata igitur. An illo modo? si numerata pecunia non est legata, non est numerata pecunia argentum, est autem numerata pecunia argentum, legata igitur est. An illo modo? non & legatum argentũ est, & non est legata numerata pecunia, legatum autẽ argentum est, legata igitur numerata pecunia est. Appellant autẽ dialectici eam cõclusionem argumenti, in qua, cum primũ sumpseris, consequitur id, quod annexũ est, primũ conclusionis modũ. Cum id, quod annexũ est, negaris, ut id quoq; cui fuerit annexũ, negandũ sit, secundus appellatur concludendi modus. Cum autẽ aliqua coniuncta negaris, et his alia negatio rursus adiungitur, et ex his primum sumpseris, ut qđ relinquitur tollendũ sit, is tertius appellatur conclusionis modus.

Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrarijs concluſa, quæ ipsi enthymemata appellant, non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur, sed ut Homerus propter excellentiam commune poëtarum nomen efficit apud græcos suum, sic cum omnis sententia enthymema dicatur, quia uidetur ea, quæ ex contrarijs conficiatur acutissima, sola proprie nomen cõmune possidet, eius generis

hæc sunt. hunc metuere, alterum in metu non ponere. eam, quam nihil accusas, damnas, bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri, id, quod scis, prodest, nihil id, quod nescis, obest. hoc differendi genus attingit omnino uestras quoq; in respondendo disputationes, sed philosophorum magis, quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententijs communis conclusio, quæ à dialecticis tertius modus, à rhetoribus enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, q ex disiunctionibus constant. aut hoc, aut illud, hoc autem, non igitur illud. Item q;, aut hoc, aut illud, non autem hoc illud igitur. Quæ conclusiones ideirco ratæ sunt, quod in disiunctione plus uno uerum esse non potest. Atq; ex ijs conclusionibus, quas supra scripsi, prior quartus, posterior quintus à dialecticis modus appellatur. Deinde addunt coniunctionum negantiam, sic. Non & hoc est & illud, hoc autem, non igitur illud. hic modus est sextus. Septimus autem non & hoc et illud, non autem hoc, illud igitur. Ex his modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quo est ferè tota dialectica. Sed ne eæ quidem, quas exposui, ad hanc institutionem necessariæ. Proximus est locus rerum efficientium, quæ causæ appellantur, deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla, ut reliquorum locorum paulo ante posui, & quidem ex iure ciuili, sed hæc patent latius. Causarum igitur genera duo sunt. Vnum quod ui sua id, quod sub ea subiectũ est, certe efficat, ut ignis accendit. Alterum quod naturã efficiendi non habeat, sed sine quo effica non possit. ut siquis æs causam statuæ uelit dicere, quod sine eo non possit effici. Huius generis causarum sine quo non efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo, ut locus, tempus, materiæ, ferramenta, & cætera generis eiusdem. Alia autem præcursionem quandam adhibent ad efficiendum, et quædam afferunt per se adiumenta, etsi non necessaria, ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum ex æternitate pendentium fatum à stoicis nectitur. Atq; ut earum causarum sine quibus effica non potest, genera diuisi, sic etiam efficientium diuidi possunt. Sunt enim aliæ causæ, quæ planè efficiant nulla re adiuuante, aliæ, quæ adiuuari uelint, ut sapientia efficiat sapientes sola per se, beatos efficiat, nec'ne sola per se quæstio est. Quare cũ in disputationem inciderit causa efficiens aliquid necessario, sine dubitatione licebit, quod efficiatur ab ea causa concludere. Cum autẽ erit talis causa, ut in ea non sit efficiendi necessitas, necessaria cõclusio nó sequitur. Atq; illud quidem genus causarum, quod habet uim efficiendi ne-

cessariam, errorem afferre non ferè solet, hoc autem, sine quo non efficitur, sæpe conturbat. Non enim si sine parentibus filij esse nō possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria. hoc igitur, sine quo non fit, ab eo, in quo certe fit, diligenter est separandū. illud enim est tanquam,

Vtinam ne in nemore pelio securibus
Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes,

nisi enim cecidissent abiegnæ ad terram trabes, argo illa facta non esset, nec tamen fuit in his trabibus efficiendi uis necessaria. At cum in Aiacis nauim crispisulcans igneum fulmen iniectum est, inflammatur nauis necessario. Atq; etiam est causarum dissimilitudo, quod aliæ sunt, ut sine ulla appetitione animi sine uolūtate, sine opinione, suum quasi opus efficiant, uelut omne intereat, quod ortum est. Aliæ autem aut uolūtate efficiuntur, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu. Voluntate, ut tu, cum hunc libellū legis. Perturbatione, ut siquis euentum horum temporū timeat. Habitu, ut facile, & cito irascatur. Natura, ut uitium in dies crescat. Arte, ut bene pingat. Casu, ut prospere nauiget. Nihil horum sine causa, nec quicquā omnino, sed huiusmodi causæ non necessariæ. Omniū autem causarum in alijs inest constantia, in alijs non inest. In natura, & in arte cōstantia est, in cæteris nulla. Sed tamen earū causarum, quæ non sunt constantes, aliæ sunt perspicuæ, aliæ latent. Perspicuæ sunt, quæ appetitionē animu, iudiciumq; tangunt. latent, quæ subiectæ sunt fortunæ. Cum enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum est fortunæ, euentus obscura causa, quæ latenter efficitur. Etiam ut ea, quæ fiunt, partim sint ignorata, partim uoluntaria. Ignorata, quæ necessitate effecta sunt. Voluntaria, quæ consilio. Quæ autem fortuna uel ignorata, uel uoluntaria. Nam iacere telum uoluntatis est. ferire quem uolueris, fortunæ. Ex quo aries ille subijcitur in uestris actionibus. Si telum manu fugit, magis quàm iecit. Cadunt in ignorationem, atq; imprudentiā perturbationes animi, quanquā sint uoluntariæ, obiurgatione enim, & admonitione deijciuntur, tamen habent tantos motus, ut ea, quæ uolūtaria sunt, aut necessaria interdū, aut certe ignorata uideantur. Toto igitur loco causarū explicato, ex earū differentia in magnis qdem causis uel oratorū, uel philosophorum magna argumentorum suppetit copia. In uestris autem si non uberior, at fortasse subtilior. Priuata enim iudicia maximarū quidem rerum in iurisconsultorum mihi uidentur esse prudentia. Nā & adsunt multum, & adhibentur in consilio, & patronis dili-

gentibus ad eorum prudentiam confugientibus haſtas miniſtrant. In omnibus igitur ijs iudicijs, in quibus, ex fide bona, eſt additum, ubi uero etiam, ut inter bonos bene agi oportet, in primis q; in arbitrio rei uxoriæ, in quo eſt, quid æquius, melius, parati eſſe debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum bonũm, illi quid ſocium ſocio, qd eum, qui negotia aliena curaſſet, ei, cuius ea negotia fuiſſent, quid eum, qui mandaſſet, eum'ue, cui mandatum eſſet, alterũ alteri præſtare oporteret, quid uirum uxori, quid uxorem uiro tradiderunt. Licebit igitur diligenter cognitis argumentorum locis, non modo oratoribus, & philoſophis, ſed iuris etiam peritis copioſe de conſultationibus ſuis diſputare. Coniunctus huic cauſarũ loco locus ille eſt, qui efficatur ex cauſis. Vt enim cauſa effectum indicat, ſic quod effectum eſt, quæ fuerit cauſa, demonſtrat. hic locus ſuppeditare ſolet oratoribus, & poëtis, ſæpe etiã philoſophis, ſed ijs, qui ornate, & copioſe loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi, cum denuntiant, quid ex quaq; re ſit futurũ. Cauſarum enim cognitio, cognitionem euentorũ facit. Reliquus eſt comparationis locus, cuius genus, & exẽplum ſupra poſitum eſt, ut cæterorum, nunc explicanda tractatio eſt. Comparantur igitur ea, quæ aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur, in qbus ſpectantur hæc, numerus, ſpecies, uis, quædã etiam ad res aliquas affectio. Numero ſic comparabuntur, ut plura bona paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala, malis pluribus, diuturniora bona, breuioribus, longe, et late peruagata, anguſtis, ex quibus plura bona propagentur, quæq; plures imitentur, et faciãt. Specie autem comparantur, ut anteponantur, quæ propter ſe expetenda ſunt ijs, quæ propter aliud, & ut innata, atq; inſita, aſſumptis et aduentitijs, integra, contaminatis, iucunda, minus iucundis, honeſta, ipſis etiam utilibus, procliuia, laborioſis, neceſſaria, non neceſſarijs, ſua, alienis, rara, uulgaribus, deſyderabilia, ijs, quibus facile carere poſſis, pfecta, inchoatis, tota, partibus, ratione utentia, rationis experti bus, uoluntaria, neceſſarijs, animata, inanimatis, naturalia, nõ naturalibus, artificioſa, non artificioſis. Vis autem in comparatione ſic cernitur, efficiens cauſa grauior, quàm non efficiens, quæ ſe ipſis contenta ſunt meliora, quàm quæ egent alijs, quæ in noſtra, quàm quæ in aliorum poteſtate ſunt, ſtabilia, incertis, quæ eripi non poſſunt, ijs, quæ poſſunt. Affectio autem ad res aliquas eſt huiuſmodi. principum commoda maiora, quàm reliquorum, itemq; quæ iucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoque laudata. Atque ut hæc in comparatione meliora, ſic deteriora quæ ijs ſunt con-

traria. Parium autem comparatio nec elationem habet, nec ſubmiſſionem, eſt enim æqualis. Multa autẽ ſunt, quæ æqualitate ipſa comparantur, quæ ita ferè concluduntur. Si cõſilio iuuare aues, & auxilio, æqua in laude ponendum eſt, pari gloria debent eſſe ij, qui cõſulunt, & ij, qui defendunt, at quod primum eſt, quod ſequitur igitur.

Perfecta eſt omnis argumentorum inueniendorum præceptio, ut cum profectus ſis à definitione, à partitione, à notatione, à coniugatis, à genere, à forma, à ſimilitudine, à differentia, à contrarijs, ab adiunctis, à conſequẽtibus, ab anteædẽtibus, à repugnantibus, à cauſis, ab effectis, à comparatione maiorũ, minorum, pariũ, nulla præterea ſedes argumenti quærenda ſit. Sed quoniã ita à principio diuiſimus, ut alios locos diceremus in eo ipſo, de quo ambigitur, hærere, de quibus ſatis eſt dictũ, alios aſſumi extrinſecus, de ijs pauca dicamus, & ſi ea nihil omnino ad noſtras diſputationes pertinent, ſed tamẽ totam rem perficiamus, quandoquidem cœpimus. Neq; enim tu is es, quẽ nihil niſi ius ciuile delectet, & quoniam ad te hæc ita ſcribuntur, ut etiã in aliorũ manus ſint uentura, detur opera, ut quamplurimũ ijs, quos recta ſtudia delectant, prodeſſe poſſimus. HAEC ergo argumentatio, quæ dicatur artis expers, in teſtimonio poſita eſt. Teſtimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. Perſona autem non qualiſcunq; teſtimonij pondus habet, ad faciendã enim fidem authoritas quæritur. Sed authoritatem aut natura, aut tempus affert. Naturæ authoritas in uirtute ineſt maxime. In tempore autem multa ſunt, quæ afferant authoritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, uſus, neceſſitas, concurſio etiã nonnunquam rerũ fortuitarum. Nam et ingenioſos, & opulentos, et ætatis ſpatio probatos dignos, quibus credatur, putant, nõ recte fortaſſe, ſed uulgi opinio mutari uix poteſt. ad eamq; omnia dirigũt, et q iudicant, et q exiſtimant. qui enim his rebus quas dixi, excellunt, ipſa uirtute uidentur excellere. Sed reliquis, quoq; rebus, quas modo numeraui, qq in ijs nulla ſpecies uirtutis eſt, tamen interdum confirmatur fides, ſi aut ars quædam adhibetur, magna enim eſt uis ad perſuadendum ſcientiæ, aut uſus, plerunq; enim creditur ijs, qui experti ſunt. Facit etiam neceſſitas fidem, quæ tum à corporibus, tum ab animis naſcitur. nam et uerberibus torti, & igni fatigati, quæ dicunt, ea uidetur ueritas ipſa dicere. & quæ à perturbationibus animi ſunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia neceſſitatis uim habent, affe runt authoritatem, & fidem. Cuius generis etiam illa ſunt, ex quibus nonnunquam uerum inuenitur, pueritia, ſomnus, imprudentia

uinolentia, insania. nam & pueri sæpe indicauerunt aliquid, ad qđ pertineret ignari, & per somnum, uinum, insaniam, multa sæpe patefacta sunt. Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt, ut Stalerio nuper accidit. Qui ea locutus est bonis uiris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis, in iudicium q; prolatis, rei capitalis iure dānatus est. Huic simile quiddā de Lacedæmonio Pausania accepimus. Concursio autem fortuitorum talis est, ut si interuentum est casu, cum aut ageretur aliquid, quod proferendum non esset, aut diceretur. In hoc genere etiam illa est in Palamedem coniecta suspicionum proditionis multitudo, quod genus refutare interdum ueritas uix potest. Huius etiam generis est fama uulgi quoddam multitudinis testimoniū. Quæ autem uirtute fidē faciunt, ea bipartita sunt, Ex quibus alterum natura ualet, alterum industria. deorum enim uirtus, natura excellit, hominum autem, industria. Diuina hæc ferè sunt testimonia. primum orationis, oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest his deorum oratio. Deinde rerum, in quibus insunt quasi opera diuina quædam. primum ipse mundus, eiusq; ois ordo, & ornatus, deinceps aerei uolatus auium, atque cantus, deinde eiusdem aeris sonitus, et ardores, multarumq; rerum in terra portēta, atq; etiā per exta inuenta præsensio. à dormientibus quoq; multa significata uisis, quibus ex locis sum interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum. In homine uirtutis opinio ualet plurimum. opinio autem est non modo eos uirtutem habere, q habeant, sed eos etiam, qui habere uideātur. Itaq; quos ingenio, quos studio, quos doctrina præditos uident, quorumq; uitam constantem, et probatā, ut Catonis, Lælij, Scipionis, aliorumq; pluriū, rentur eos esse, quales se ipsi uelint. Nec solum eos cēnsent tales esse, qui in honoribus populi, atq; in rep. uersantur, sed et oratores, & philosophos, et poëtas, et historicos, ex quorum et dictis, & scriptis sæpe authoritas petitur ad faciendam fidem. ¶ Expositis omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum est, nec ullam esse disputationem, in qua nō aliquis locus incurrat, nec ferè omnes locos incidere in omnem quæstionem, et quibusdam quæstionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos. Quæstionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est quod ὑπόθεσιν græci, nos causam.

Infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Causa certis personis, locis, tēporibus, actionibus, negotijs cernitur, aut in omnibus, aut in plerisq; eorum. Propositum autem in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque proposi-

tum pars cauſæ eſt. Sed omnis quæſtio, earum aliqua de re eſt, qbus cauſæ continentur, aut una, aut pluribus, aut nónunquam omnibus. Quæſtionum autem, quacunq; de re ſint, duo ſunt genera, unũ cognitionis, alterum actionis. Cognitionis ſunt hæ, quarum finis eſt ſcientia, ut ſi quæratur a' natura'ne ius profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione hominum, & pactione. Actionis autem huiuſmodi exempla ſunt. Sit'ne ſapientis ad remp. accedere. Cognitionis quæſtiones tripartitæ ſunt. cum an ſit, aut quid ſit, aut quale ſit quæritur. horum primum coniectura. ſecundum definitione. tertium iuris, & iniuriæ diſtinctione explicatur. Coniecturæ ratio in quatuor partes diſtributa eſt. quarum una eſt, cum quæritur ſit'ne aliquid. Altera, unde ortum ſit. Tertia, quæ id cauſa effecerit. Quarta, in qua de mutatione rei, quæritur. Sit nec ne, ſic, ecquidnam honeſtũ ſit, ecquid æquum re uera? an hæc tantum in opinione ſint? Vnde autem ſit ortum, ut cum quæritur natura, an doctrina poſſit effici uirtus. Cauſa autem efficiens ſic ut cum quæritur, quibus rebus eloquentia efficiatur. De commutatione ſic, poſſit'ne eloquentia commutatione aliqua conuerti in infantiá. Cum autem quid ſit quæritur, notio explicanda eſt, & proprietas, & diuiſio, & partitio. hæc enim ſunt definitioni attributa, additur etiam deſcriptio, quàm græci κατα γραφὴν uocant. Notio ſic quæritur, ſit'ne id æquum, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt. Proprietas ſic, in hominem'ne ſolum cadat, an etiam in belluas ægritudo. Diuiſio, et eodem pacto partitio ſic. Tria'ne genera bonorum ſint. Deſcriptio, qualis ſit auarus, qualis aſſentator, cæteráq; eiuſdem generis, in quibus natura, & uita deſcribitur.

Cum autem quæritur quale quid ſit, aut ſimpliciter quæritur, aut comparate. Simpliciter, expetenda'ne ſit gloria. Comparate, præponenda'ne ſit diuitijs gloria. Simplicium tria genera ſunt, de expetendo, fugiendóq;, de æquo, & iniquo, de honeſto, & turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem, & alio, alterum de maiore, & minore. De expetendo, & fugiendo huiuſmodi. Si expetendæ diuitiæ, ſi fugienda paupertas. De æquo, & iniquo. æquum'ne ſit ulciſci a' quocunque iniuriam acceperis. De honeſto, & turpi. honeſtum'ne ſit pro patria mori. Ex altero autem genere quod erat bipartitum, unum eſt de eodem, & alio, ut ſi quæratur, quid interſit inter amicum, & aſſentatorem, regem, & tyrannum. Alterum de maiore, & minore, ut ſi quæratur, eloquentia'ne pluris ſit, an iuris ciuilis ſcientia. De cognitionis quæſtionibus hactenus. Actionis reliquæ ſunt, quarũ duo ſunt genera, unum ad officium, alterum

ad motum animi uel gignendum, uel ſedandum, plane ue tollendum. Ad officium ſic, ut cum quæritur ſuſcipiendi ne ſint liberi. Ad mouendos animos, cum fiunt cohortationes ad defendendam remp. ad gloriam, et ad laudem, quo ex genere ſunt querelæ, incitationes, miſerationes q; flebiles, rurſus q; oratio, tũ iracundiam reſtinguens, tum metum eripiens, tum exultantem lætitiã comprimens, tum ægritudinem abſtergens. hæc cum in propoſitis quæſtionibus genera ſint, eadem in cauſas transferuntur. Loci autem, qui ad quaſq; quæſtiones accommodati ſunt, deinceps eſt uidendum. Omnes quidem illi, quos ſupra diximus, ad plerasq; ſunt, ſed alij ad alias, ut dixi aptiores. Ad coniecturam igitur maxime apta, quæ ex cauſis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis ſumi poſſunt. Ad definitionem autem pertinet ratio, & ſcientia definiendi. atq; huic generi finitimum eſt illud, quod appellari de eodem, et altero diximus, quod genus forma quædam definitionis eſt. Si enim quæratur, idem ne ſit ptinacia, et pſeuerãtia, definitionibus iudicandũ eſt. Loci autẽ conuenient in eius generis quæſtionẽ cõſequẽtes, antecedentes, repugnãtes, adiũctis etiã duobus ijs, q ſumũtur ex cauſis, et effectis. Nã ſi hanc rẽ illa ſequitur, hanc autem non ſequtur, aut ſi huic rei illa antecedit huic nõ antecedit, aut ſi huic rei repugnat, illi nõ repugnat, aut ſi huic rei hæc, illius alia cauſa ẽ, aut ſi ex alio hoc, ex alio illud effectum eſt, ex quouis horũ, id, de quo quæritur idem ne, an aliud ſit, inueniri poteſt. Ad tertiũ genus quæſtionis, in quo quale ſit quæritur, in comparationem ea cadunt, quæ paulo ante in comparationis loco enumerata ſunt. In id autẽ genus, in quo de expetendo, fugiendo q; quæritur, adhibentur ea, quæ ſunt aut animi, aut corporis, aut externa uel commoda, uel incommoda. Item q; cum de honeſto, turpi q; quæritur ad animum bona, uel mala omnis dirigenda oratio eſt. Cum autem de æquo, et iniquo diſſeritur, æquitatis loci colliguntur. hi cernũtur bipartito, et natura, & inſtituto. Natura partes habet duas, tuitionẽ ſui, et ulciſcendi ius. Inſtitutio autem æquitatis tripartita eſt. Vna pars legitima eſt, altera conueniens, tertia moris uetuſtate confirmata. Atque etiam rurſus æquitas tripartita dicatur eſſe. Vna ad ſuperos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia iuſtitia, aut æquitas nominatur. De propoſito ſatis multa, deinceps de cauſa paucora dicenda ſunt. Pleraq; enim ſunt ei cum propoſito cõmunia. Tria ſunt igitur genera cauſarũ, iudicij, deliberationis, laudationis. quarum fines ipſi declarant, quibus utendum locis ſint. Nam iudicij finis eſt ius, ex quo etiã nomen. Iuris autem partes tum expoſitæ, cum

æquitatis.

æquitatis. Deliberãdi finis utilitas, cuius hæ partes, quæ modo expositæ rerũ expetendarum. Laudationis finis honestas, de qua item est ante dictum. Sed definitæ quæstiones à suis quoq; locis quasi proprijs instituuntur, in accusationem, defensionemq; partite, in quibus existunt hæc genera, ut accusator psonam arguat facti, defensor aliquid opponat de tribus, aut non esse factũ, aut si sit factum, aliud eius facti nomen esse, aut iure esse factum. Itaq; aut inficialis, aut coniecturalis prima appelletur, definitiua altera, tertia quãuis molestum nomen hoc sit, iuridicialis uocetur. Harum causarum propria argumenta ex ijs sumpta locas, quos exposuimus, in præceptis oratorijs explicata sunt. Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio crimnis græce κάθαρσις dicitur, latine appelletur status, in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. Atq; etiam in deliberationibus, & laudationibus ijdem existunt status. Nã & negantur sæpe ea futura, quæ ab aliquo in sententia dicta sunt fore. si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt. In qua argumentatione status coniecturalis existit. At cum aliquid de utilitate, honestate, æqtate disseritur, deq; ijs rebus, quæ his sunt contrariæ, incurrunt status aut iuris, aut nominis. quod idem contingit in laudationibus. nam aut negari potest id factum esse, quod laudetur, aut nõ eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meũ. Sed quæ ex statu contentio efficitur, eam græci κρινόμενον uocant. mihi placet id, quoniam quidẽ ad te scribo, qua de re agitur, uocari. Quibus autem hoc qua de re agitur, continetur, hæc continentia uocentur quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit. Sed quoniam lege firmus in controuersijs disceptandis esse nihil debet, danda est opera, ut legem adiutricem, & testem adhibeamus. In quare alij quasi status existunt noui, qui appellantur legitimæ disceptationes. Tũ enim defenditur nõ id legẽ dicere, qđ aduersarius uelit, sed aliud. id autẽ contingit, cum scriptum ambiguum est, & duæ differentes sententiæ accipi possunt. Tum opponitur scripto, uoluntas scriptoris, ut quæratur, uerba'ne plus, an sententia ualere debeat. Tum legi lex cõtraria affertur. Ita sunt tria genera, quæ controuersiam in omni scripto facere possunt, ambiguum, discrepantia scripti, et uoluntatis, scriptura contraria. Iam hoc pspicuum est, non magis in legibus, quàm in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus, quæ in scripto aguntur, posse controuersias easdem existere. Horũ tracta-

tiones in alijs libris explicantur. Nec solum perpetuæ actiones, sed etiam partes orationis ijsdem locis adiuuantur, partim proprijs, partim communibus, ut in principijs, quibus ut beneuoli, ut dociles, ut attenti sint, qui audiant, efficiendum est propijs locis. Itemq; narrationes, ut ad suos fines spectent, idest ut planæ sint, ut breues, ut euidentes, ut credibiles, ut moderatæ, ut cum dignitate. Quæ quanquã in tota oratione esse debẽt, magis tamen sunt propria narrãdi. Quæ autem sequitur narrationem fides, ea persuadendo quoniã efficiatur, qui ad persuadendum loci maxime ualeant, dictum est in ijs, in quibus de omni ratione dicẽdi diximus. peroratio autem et alia quædam habet, et maxime amplificationẽ, cuius effectus hic debet esse, ut aut pturbentur animi, aut tranquillentur. et si ita iam affecti ante sunt, ut augeat eorũ motus, aut sedet oratio. Huic generi, in quo & misericordia, & iracundia, & odium, & inuidia, et cæteræ animi affectiones pturbantur, præcepta suppeditantur alijs libris, quos poteris mecum legere, cum uoles. Ad id autem, quod te uelle senseram, cumulate satisfactum esse debet uoluntati tuæ. Nam, ne præterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura, q̃ à te desyderata erant, sum complexus, feciq; quod sæpe liberales uenditores solent, ut cum ædes, fundumue uẽdiderint, rutis cæsis receptis, concedant tamen aliqd emptori, quod ornandi causa apte, et loco positũ esse uideatur. Sic tibi nos, ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quædã uoluimus nõ debita accedere.

M. TVLLII CICERONIS DE PARTITIONE ORATORIA DIALOGVS.

Cicero Filius.

TVDEO mi pater latine ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi græce tradidisti, si modo tibi est otium, & si uis. C. Pater. An est mi Cicero, quod ego malim, quàm te quamdoctissimũ esse? Otium autem primũ, & summum est, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est, deinde, ista tua studia uel maximis occupationibus meis anteferrem libenter. C. Filius. Vis 'ne igitur, ut tu me græce soles ordine interrogare, sic ego te uicissim eisdem de rebus latine interrogem? C. P. Sane' si placet. Sic enim et ego te memminisse intelligam, quæ accepisti,

cepisti,& tu ordine audies,quæ requiris. C.F. Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi? C.P. In treis. C.F. Cedo quas? C.P. Primũ in ipsam um oratoris, deinde in orationẽ, tum in quæstionem. C.F. In quo est ipsa uis? C.P. In rebus, & uerbis. Sed & res, & uerba muenienda sunt, & collocanda. Proprie autem in rebus inuenire, in uerbis eloqui dicitur. Collocare autẽ etsi est commune, tamen ad inueniendũ refertur. Vox, motus, uultus, atq; omnis actio eloquẽdi comes est, earumq; omniũ custos est memoria. C.F. Quid orationis, quot sunt partes? C.P. Quatuor, earũ duæ ualent ad rẽ docendam, narratio, & confirmatio. Ad impellendos animos duæ, principiũ, et peroratio. C.F. Quid quæstio? quasnam habet partes? C.P. Infinitã, quam consultationẽ appello, & definitam, quã cõtrouersiã nomino. C.F. QVONIam igitur primũ est inuenire oratoris, qd quæret? C.P. Vt inueniat quẽadmodum fidẽ faciat eis, qbus uolet psuadere, & quẽadmodũ motum eorum animus afferat. C.F. Quibus rebus fides fit? C.P. Argumentis, quæ ducũtur ex locis, aut in re ipsa insitis, aut assumptis. C.F. quos uocas locos? C.P. Eos, in qbus latent argumenta. C.F. Quid est argumẽtũ? C.P. Probabile inuentũ ad faciẽdã fidẽ. C.F. Quomodo igitur duo genera ista diuidis? C.P. Quæ sine arte putãtur, ea remota appello, ut testimonia. C.F. Quid insita? C.P. Quæ inhærent in ipsa re. C.F. Et testimoniorũ, quæ sunt genera? C.P. Diuinũ, et humanũ. Diuinũ, ut oracula, ut auspicia, ut uaticinationes, et respõsa sacerdotũ, aruspicũ, coniectorũ. Humanũ, qđ spectatur ex authoritate, et ex uolũtate, & ex oratiõe aut libera, aut expressa, in quo insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quæsita. C.F. quæ sunt, quæ dicis insita? C.P. quæ infixa sunt rebus ipsis, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex ijs rebus, quæ quodãmodo affectæ sunt, ad id, de quo quæritur. et ad id totũ, de quo disseritur, tũ definitio adhibetur, tũ partiũ enumeratio, tũ notatio uerbi. ex ijs autem reous, quæ quodãmodo affectæ sunt, ad id, de quo quæritur, alia cõiugata appellãtur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differẽtia, alia ex contrario, alia ex cõiunctis, alia ex antecedẽtibus, alia ex cõsequẽtibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectibus, alia ex cõparatiõe maiorũ, aut pariũ, aut minorũ, ut definitio, ut contrarium, ut ea, quæ sunt ipsi, cõtrario'ue eius aut simulia, aut dissimulia, aut cõsentanea, aut dissentanea, aut ea, quæ sunt quasi cõiuncta, aut ea, quæ sunt quasi pugnantia inter se, aut earũ rerũ, de qbus agitur causæ, aut causarũ euentus. i. quæ

ſunt effecta de cauſis,ut diſtributiones,ut genera partiũ, generũ'ue partes,ut primordia rerum,& quaſi præcurrentia,in quibus ineſt aliquid argumenti,ut rerum contentiones,quid maius,quid par,qd minus ſit,in quibus aut naturæ rerum,aut facultates comparantur.

C.F.*omnibus'ne igitur ex his locis argumenta ſumemus?* C.P. *Immo uero ſcrutabimur,& quæremus ex omnibus,ſed adhibebimus iudicũ,ut leuia ſemper reijciamus, nonnunq; etiam communia prætermittamus,& non neceſſaria.* C.F.*Quoniã de fide reſpondiſti,uolo audire de motu.* C.P.*Loco tu qdẽ quæris, ſed planius quod uis explicabitur,cũ ad orationis ipſius, quæſtionumq; rationẽ uenero.* C.F.*Quid ſequtur igitur?* C.P.*cũ inueneris collocare, cuius in infinita quæſtione ordo eſt idẽ ferè,quem expoſui locorum. In definita autem adhibẽda ſunt illa etiã, quæ ad motus animorũ ptinent.* C.F.*Quomodo igitur iſta explicas?* C.P.*Habeo communia præcepta fidẽ faciendi,& commouendi. Quoniam fides eſt firma opinio,motus autem,animi incitatio,aut ad uoluptatem,aut ad moleſtiã,aut ad metum,aut ad cupiditatem,tot enim ſunt motus genera,partes plures generũ ſingulorũ,omnem collocationem ad finẽ accommodo quæſtionis,nam eſt in propoſito finis,fides,in cauſa,& fides,& motus. Quare cũ de cauſa dixero, in qua eſt propoſitum,de utroq; dixero.* C.F. *Quid habes igitur de cauſa dicere?* C.P. *Auditorũ eã genere diſtingui.Nam aut auſcultator eſt modo,q audit, aut diſceptator,ideſt rei,ſententiæq; moderator,ita ut delectetur,aut ſtatuat aliqd.Statuit autẽ aut de præteritis,ut iudex,aut de futuris, ut ſenatus,ſic tria ſunt genera,iudicij,deliberationis, exornationis, quæ,quia in laudatiões maxime confertur,propriũ habet iam ex eo nomen.* C.F.*Quas res ſibi proponet in iſtis tribus generibus orator?* C.P.*Delectationẽ in exornatione,in iudicio aut ſæuitiã,aut clementiã iudicis,in ſuaſione autẽ,aut ſpem,aut reformidationẽ deliberantis.* C.F.*Cur igitur exponis hoc loco genera controuerſiarũ?* C.P. *Vt rationem collocãdi ad finẽ cuiuſq; accommodẽ.*

C.F.*Quonã tandẽ modo?* C.P.*Quia qbus in orationibus delectatio finis eſt,uarij ſunt ordines collocãdi. Nã aut temporũ ſeruãtur gradus,aut generũ diſtributiones,aut à minoribus ad maiora aſcendimus,aut à maioribus ad minora delabimur,aut hæc inæquabili uarietate diſtinguimus,cũ parua magnis,ſimplicia cõiunctis,obſcura dilucidis,læta triſtibus,incredibilia probabilibus inteximus,quæ in exornationẽ cadunt oĩa.* C.F.*Quid in deliberatione,qd ſpectas?*

C.P. *Principia,uel non longa,uel ſæpe nulla, ſunt enim ad audiendum,*

diendum,qui deliberant ſua cauſa parati,nec multum ſanè ſæpe narrandum eſt,eſt enim narratio præteritarum rerum,aut præſentium, ſuaſio autem futurarum.Quare ad fidem,& ad motum adhibenda eſt omnis oratio. C.F. Quid in iudicijs,quæ eſt collocatio? C.P. Non eadem accuſatoris,& rei,quod accuſator rerum ordinem proſequitur,& ſingula argumenta quaſi haſta in manu collocata uehementer proponit,concludit acriter,confirmat tabulis,decretis,teſtimonijs,accuratiusq; in ſingulis commoratur, perorationisq; præceptis, quæ ad inflandos animos ualent,& in reliqua oratione paululum digredieris de curſu dicendi,utitur,& uehementius in perorando,eſt enim propoſitum,ut iratum efficiat iudicem. C.F. Quid faciendũ eſt contra,reo? C.P. Omnia longe ſecus,ſumenda principia ad beneuolentiam conciliandam.Narrationes aut amputãdæ,quæ lædũt, aut relinquendæ,ſi totæ ſunt moleſtæ.Firmamenta ad fidem poſita, aut per ſe diluenda,aut obſcurãda,aut digreſſionibus obruenda, per orationes autem ad miſericordiam conferendæ. C.F. Semper'ne igitur ordinem collocandi,quem uolumus,tenere poſſumus? C.P. Nó ſanè,nam auditorum aures moderantur oratori prudenti,& prouido,& quod reſpuunt,immutandum eſt. C.F. Expone deinceps, quæ ipſius orationis,uerborumq; præcepta ſunt. C.P. Vnum igitur genus eſt eloquendi ſua ſponte fuſum,alterum uerſum,atq; mutatum.Prima uis eſt in ſimplicibus uerbis,in coniunctis ſecunda.Simplicia inuenienda ſunt,coniuncta collocanda ſunt, & ſimplicia uerba partim natiua ſunt,partim repta.Natiua ea,quæ ſignificata ſunt ſenſu.Reperta,quæ ex his facta ſunt,et nouata aut ſimilitudine,aut imitatione,aut inflexione,aut adiunctione uerborum, atq; etiam eſt hæc diſtinctio in uerbis,altera natura,tractatione altera.Natura,ut ſint alia conſonantiora,grauiora,leuiora,& quodammodo nitidiora,alia contra.Tractatione autem,cum aut propria ſumuntur rerũ uocabula,aut addita ad nomen,aut noua,aut priſca,aut ab oratore modificata,& inflexa quodammodo,qualia ſunt ea,quæ transferũtur,aut immutantur,aut ea,quibus tanquam abutimur,aut ea, quæ obſcuramus,quæ incredibiliter tollimus,quæq; mirabilius,quã ſermonis conſuetudo patitur,ornamus. C.F. Habeo de ſimplicibus uerbis,nunc de coniunctione quæro. C.P. numeri quidam ſunt in coniunctione ſeruandi,conſecutioq; uerborum. Numeros , aures ipſæ metiuntur,ne aut non compleas uerbis,quod propoſueris, aut redundes.Conſecutio autem ne generibus,numeris,temporibus,perſonis,caſibus perturbetur oratio.Nam ut in ſimplicibus uerbis,quod

non est latinum, sic in coniunctis, quod non est consequens, uituperādum est. Cōmunia autem simplicium, coniunctorumq; sunt hæc quoq; quasi lumina, diluciadum, breue, probabile, illustre, suaue. Diluciadum fit usitatis uerbis, proprijs, dispositis aut circunscriptione cōclusa, aut intermissione, aut concisione uerborum. Obscurum autem aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut iflexione, atq; immutatione uerborum. Breuitas autem conficitur simplicibus uerbis, semel unaquaq; re dicenda, nulli rei, nisi ut diluciade dicas, seruiēdo. Probabile autem genus est orationis, si non nimis est cōptum, atq; expolitum, si est authoritas, & pondus in uerbis, si sententiæ uel graues uel aptæ opinionibus hominum, et moribus. Illustris autē oratio est, si & uerba grauitate delecta ponuntur, ac translata, et superlata, & ad nomen adiuncta, & duplicata, & idem significantia, atq; ab ipsa actione, atq; imitatione rerum non abhorrentia. Est.n. hæc pars orationis, quæ rem constituat penè ante oculos, is enim maxime sensus attingitur, sed cæteri tamen, et maxime mens ipsa moueri potest. sed quæ dicta sunt de oratione diluciada, cadunt in hanc illustrē omnia, est enim plus aliquanto illustre, quā illud diluciadum. altero fit, ut intelligamus, altero uero, ut uidere uideamur. Suaue autem genus erit dicendi, primum elegantia, & iucunditate uerborum sonātium, & leuium, deinde coniunctione, quæ neq; asperos habeat concursus, neq; disiunctos, atq; hiantes, et sit circunscripta non lōgo anfractu, sed ad spiritum uocis apto, habeatq; similitudinem, æqualitatemq; uerborum, tum ex contrarijs sumpta uerbis crebra crebris, paria paribus respondeant, relataq; ad idem uerbum, et gemnata, atq; duplicata, uel etiam sæpius iterata ponantur, constructioq; uerborū tum coniūctionibus cōpuletur, tum dissolutionibus relaxetur. Fit etiā suauis oratio, cum aliquid aut inuisum, aut inauditum, aut nouū dicas. Delectat enim quicquid est admirabile, maximeq; mouet ea, quæ motum aliquem animi mouet, oratio, quæq; significat oratoris ipsius amabiles mores, qui exprimuntur aut significando iudicio ipsius ex animo humano, ac liberali, aut inflexione sermonis, cum aut augendi alterius, aut minuendi sui causa, alia dicit ab oratore, alia existimari uidentur, idq; comitate fieri magis, quā uanitate. Sed multa sunt suauitatis præcepta, quæ orationem aut magis obscuram, aut minus probabilem faciunt. Itaque etiam hoc loco nobis est ipsis, quid causa postulet, iudicandum. C.F. Reliquum est igitur, ut dicas de conuersa oratione, atque mutata. C.P. Est itaq; id genus totum situm in commutatione uerborum, quæ simplicibus in uerbis ita tractatur,

ctatur,ut aut ex uerbo dilatetur,aut in uerbum contrahatur oratio. Ex uerbo,cum aut proprium,aut idem significans,aut factum uerbum in plura uerba deducatur. Ex oratione, cum aut definitio ad unum uerbum reuocatur,aut assumpta uerba remouentur, aut in circuitus diriguntur, aut in coniuctione fit unum uerbum ex duobus. In coniunctis autem uerbis triplex adhiberi potest commutatio,non uerborum,sed ordinis tantummodo, ut cum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit,inuertatur ordo,& idem quasi sursum uersus,retróq; dicatur, deinde idem intercise, atque permiste. Eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto conuertendi genere uersatur. C.F. Actio igitur sequitur,ut opinor.

C.P. Est ita,quæ quidem oratori & cum rerum,& cum uerborum momentis commutanda maxime est. Facit enim & diluciđ orationem,& illustrem,& probabilem,& suauem,non uerbis,sed uarietate uocum,motu corporis,uultu,quæ plurimũ ualebunt,si cum orationis genere consentient,eiusq; uim,ac uarietatem subsequẽtur.

C.F. Nunquid nam de oratore ipso restat? C.P. Nihil sane' præter memoriam,quæ est gemina literaturæ quodammodo, et i dissimili genere persimilis. Nam ut illa constat ex notis literarum, & ex eo,in quo imprimuntur illæ notæ,sic confectio memoriæ tanquam æra locis utitur,& in his imagines, ut literas collocat.

C.F QVONIAM igitur uis oratoris omnis exposita est, qd habes de orationis præceptis dicere? C.P. Quatuor esse eius partes,quarum prima,& postrema ad motum animi ualet,is enim initijs est,& perorationibus conatandus. Secunda narratio,et tertia cõfirmatio fidem facit orationi. Sed amplificatio quanquam habet proprium locum,sæpe etiam primum, postremum quidẽ fere semper, tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est,maximeq; cum aliquid aut confirmatum est,aut reprehensum. Itaque ad fidem quoq; uel plurimum ualet. Est enim amplificatio uehemens quædã argumentatio,ut illa docendi causa sit,hæc commouendi. C.F. perge igitur ordine quatuor mihi istas partes explicare. C.P. Faciá, & a' principijs primũ ordiar. Quæ quidẽ ducuntur,aut ex psonis, aut ex rebus ipsis. Sumuntur autem trium rerum gratia,ut amicæ, ut intelligenter,ut attente audiamur. Quorũ primus locus est in personis,nostris,disceptatorum,aduersariorum,e' quibus initia beneuolentiæ conciliandæ comparantur,aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere uirtutis, & maxime liberalitatis, officij, iusti-

tiæ,fidei,contrarijsq; rebus in aduersarios conferendis, & cum ijs, qui disceptant aliqua coniunctionis aut causa,aut spe significanda,et si in nos aliquod odiũ,offensio'ue collata sit,tollenda ea,minuẽda'ue, aut diluendo,aut extenuando,aut compensando,aut deprecando.

Intelligenter autem ut audiamur,et attente,a' rebus ipsis ordiendum est.Sed facillime auditor discit,et quid agatur intelligit, si complectare a' principio genus,naturamq; causæ,si definias, si diuidas, si neq; prudentiam eius impedias confusione partium,nec memoriam multitudine,quæq; mox de narratione dilucida dicentur,eadem etiã huc poterunt recte referri. Vt attente autem audiamur,triumrerum aliqua consequemur.Nam aut magna quædam proponemus,aut necessaria,aut coniuncta cum ipsis,apud quos res agetur. Sit autem hoc etiam in præceptis,ut siquando tempus ipsum,aut res, aut locus, aut interuentus alicuius,aut interpellatio, aut ab aduersario dictũ aliquod,& maxime in perorando dederit occasionem nobis aliquã, ut dicamus aliquid ad tempus apte,ne derelinquamus,& quæ suo loco de amplificatione dicemus,multa ex his poterunt ad principiorum præcepta transferri. C.F. Quid in narratione? quæ tandem conseruanda sunt? C.P. Quoniam narratio est rerum explicatio,& quædam quasi sedes, ac fundamentum constituendæ fidei,ea sunt in ea seruanda maxime,quæ etiã in reliquis ferè dicẽdi partibus,quæ partim sunt necessaria,partim sunt assumpta ad ornandum.Nam ut dilucide,probabiliterq; narremus, necessarium est,sed assumimus etiam suauitatem.ergo ad dilucide narrandum eadem illa superiora explicandi,& illustrandi præcepta repetemus,in quibus est breuitas,eaq; sæpissime in narratione laudatur, de qua supra dictum est.Probabilis autem erit,si personis,si temporibus,si locis ea,quæ narrabuntur,consentient,si cuiusque facti,et euenti causa ponetur,si testata dicta uidebuntur,si cum hominum opinione, authoritate,si cum lege,cum more,cum religione coniũcta,si probitas narrantis significabitur,si antiquitas,si memoria,si orationis ueritas,& uitæ fides.Suauis autem narratio est,quæ habet admirationes, expectationes,exitus inopinatos,si interpositos motus animorum,colloquia personarum,dolores,iracundias,metus,lætitias,cupiditates. sed iam ad reliqua pergamus. C.F. Nempe ea sequuntur,quæ ad faciẽdam fidem pertinent. C.P. Ita est,quæ quidem in confirmationem,et in reprehẽsionem diuidũtur.Nã in confirmando,nostra probare uolumus,in reprehẽdẽdo redarguere cõtraria.Quoniã igitur

omne,

omne, quod in controuersiam uenit, id aut sit, nec ne sit, aut quid sit, aut quale sit quæritur. In primo coniectura ualet, i altero definitio, in tertio ratio. C.F. Teneo istam distributionem. Nunc coniecturæ locos quæro. C.P. In ueris imilibus, & in proprijs rerũ notis posita est tota. Sed appellemus docendi gratia ueriſimile, qđ plerunq; ita fiat, ut adoleſcentiam procliuiorem eſſe ad libidinem. Propriæ autem notæ argumentum, quod nunquam aliter fit, certumq; declarat, ut fumus ignem. Veriſimilia reperiũtur ex partibus, et quaſi mẽbris narrationis. ea ſunt in perſonis, in locis, in tẽporibus, in factis, in euẽtis, in rerũ ipſarum, negotiorumq; naturis. In perſonis, naturæ primum ſpectantur, ualetudinis, figuræ, uirium, ætatis, mariũ, fœminarũ, atq; hæc quidem in corpore. Animi autem aut quemadmodum affecti ſunt, uirtutibus, uitijs, artibus, inertijs, aut quemadmodũ commoti, cupiditate, metu, uoluptate, moleſtia, atq; hæc quidem in natura ſpectantur. In fortuna, genus, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, poteſtas, diuitiæ, libertas, & ea, quæ ſunt ijs contraria. In locis autẽ et illa naturalia maritima, an remoti a mari, plani, an mõtuoſi, leues, an aſperi, ſalubres, an peſtilẽtes, opaci, an aprici, et illa fortuita, culti, an inculti, cælebres, an deſerti, ædificati, an uaſti, obſcuri, an rerũ geſtarũ ueſtigijs nobilitati, conſecrati, an profani. In temporibus autem præſentia, & præterita, & futura cernuntur. In his ipſis, uetuſta, recentia, iſtantia paulo poſt, aut aliquãdo futura. Inſunt etiam in temporibus illa, quæ tẽporis quaſi naturã notãt, ut hyems uer, æſtas, autumnus, aut anni tẽpora, ut menſis, ut dies, ut nox, hora, tempeſtas, quæ ſunt naturalia. Fortuita autem ſacrificia, feſti dies, nuptiæ. Iam facta, & euentus, aut conſilij ſunt, aut imprudentiæ, quæ eſt aut in caſu, aut in quadam animi permotione. Caſu cũ aliter acidit, ac putatũ ſit. Permotione, cũ aut obliuio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis cauſa permouit. Eſt etiã in imprudẽtia neceſſitas ponenda. Rerum autem bonarum, et malarum tria ſunt genera. Nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra eſſe poſſunt. Huius igitur materiæ ad argumentum ſubiectæ perluſtrandæ animo partes erunt omnes, et ad id, quod agetur, ex ſingulis coniectura capienda. Eſt etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti ueſtigijs ſumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconſtans, tremor, et eorum aliquid, quod ſenſu percipi poſſit, etiam ſi præparatum aliquid, ſi communicatum cum aliquo, ſi poſtea uiſum, auditum, indicatum. Veriſimilia autem partim ſingula mouent ſuo pondere, partim, etiam ſi uidentur eſſe exigua per ſe, multum tamen,

cum sunt cõaceruata, proficiunt. Atq; in his ueri similibus insunt nõ nunquam etiam certæ rerum, & propriæ notæ, maximam autem fa cit fidem ad similitudinem ueri, primum exemplum, deinde introducta rei similitudo, fabula etiam nonnunquam, etsi sit incredibilis, tamen homines cõmouet. C.F. Quid definitionis? quæ ratio est, & quæ uia? C.P. Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, et proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid sit elucæat. Sed quoniam de propriis oritur plerunq; magna dissensio, definiendum est sæpe ex cõtrarijs, sæpe etiam ex dissimilibus, sæpe ex paribus. Quamobrem descriptiones quoq; sunt, in hoc genere sæpe aptæ, et enumeratio consequentium, in primisq; commouet explicatio uocabuli, ac nominis.

C.F. Sunt exposita iã fere' ea, quæ de facto, quæq; de facti appellatione quæruntur. Nempe igitur ea restant, quæ, cum factum cõstet, & nomen, qualia sint uocatur in dubium. C.P. Est ita, ut dicis. C.F. Quæ sunt igitur in eo genere partes? C.P. Aut iure factum depellitur, aut ulciscendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut deniq; necessitate, insciti a, casu. Nam quæ motu anim, & perturbatione facta sine ratione sunt, ea defensionem contra crimen, in legitimis iudicijs non habent, in liberis disceptationibus habere possunt. hoc i genere, in quo quale sit quæritur, ex controuersia iure, & recte'ne actum sit quæri solet, quorum disputatio ex locorum descriptione sumenda est. C.F. Age sis ergo, quoniam in confirmationem, et reprehensionem diuiseras orationis fidem, et dictum de altero est, expone nunc de reprehendendo. C.P. Aut totum est negandum, quod in argumentatione aduersarius sumpserit, si fictum, aut falsum esse possis dicere, aut redarguenda ea, quæ pro ueri similibus sumpta sunt. primũ dubia sumpta esse pro certis. deinde etiam in perspicue falsis eadẽ posse dici, tum ex ijs, quæ sumpserint, non effici, quæ uelint. Accedere autem oportet ad singula, sic uniuersa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit, cõque renda conditio cõmunis periculi, si ingenijs hominum crimnosorum sit exposita uita innocentium. C.F. Quoniam unde inueniuntur, quæ ad fidem pertinent, habeo, quemadmodum in dicendo singula tractentur expecto. C.P. Argumentationem quærere uideris, quæ est argumenti explicatio, quæ sumpta ex ijs locis, qui sunt expositi, confiaenda, et distinguenda dilucide est. C.F. Plane' istuc ipsum desydero. C.P. Est ergo (ut supra dictum est) explicatio

argumenti argumentatio, sed ea conficitur, cum sumpseris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, qđ aut dubiũ, aut minus probabile per se uidetur. Argumentandi autẽ duo sunt genera, quorũ alterũ ad fidem directo spectat. Alterũ se inflectit ad motũ. Dirigitur cũ proposuit aliquid, quod probaret, sumpsitq; ea, qbus uteretur, atq; his confirmatis, ad propositũ sese rettulit, atq; concluſit. Illa autẽ altera argumentatio, quasi retro, et contra prius sumit, quæ mult, eaq; confirmat. deinde id, qđ proponendũ fuit, permotis animis iacit ad extremũ. Est autẽ illa uarietas in argumentando, & non iniucunda distinctio, ut cũ interrogamus nos metipsos, aut pcunctamur, aut imperamus, aut optamus, quæ sunt cũ alijs cõpluribus sententiarũ ornamenta. Vitare autem similitudinẽ poterimus non semper a' propo sito ordientes, etsi non omnia confirmãdo disputabimus, breuiterq; interdũ, quæ erunt satis aperta, ponemus. quodq; ex his efficietur, si id apertũ sit, non habebimus necesse semper concludere. C.F. Quid illa, quæ sine arte appellantur, quæ iãndudũ assumpta dixisti, ecquonãmodo, ecquonã loco artis indigent? C.P. Illa uero indigẽt, et nec eo dicuntur sine arte, qđ ita sunt, sed qđ eanõ parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat, et maxime in testibus. Nã de toto genere testiũ, quã id sit infirmũ, sæpe dicendũ est, et argumenta rerũ esse propria, testimonia uoluntatũ. utendumq; est exẽplis, qbus testibus creditũ non sit, et de singulis testibus, si natura uani, si leues, si cũ ignominia, si spe, si metu, si iracũdia, si misericordia impulsi, si præmio, si gratia adducti, cõparandiq; superiore cũ authoritate testiũ, qbus tamen creditũ non sit. Sæpe etiã quæstionibus resistendũ est. quod et dolorẽ fugientes multi in tormentis ementiti persæpe sunt, moriq; maluerunt falsum fatendo, quã inficiãdo, dolere. multi etiã suã uitã neglexerũt, ut eos qui his cariores, quã ipsi sibi essent, liberarẽt. Alij autem aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicij, aut mortis, uim tormentorũ ptulerunt. Alij ementiti sunt in eos, quos oderant. atq; hæc exẽplis firmanda sunt. Neq; est obscurũ, quin, quoniã in utraq; parte sunt exẽpla, et itẽ ad coniecturã faciendã loci, in contrarijs contraria sint sumenda. atq; etiã incurrit alia quædã in testibus, et in quæstionibus ratio. Sæpe. n. ea, quæ dicta sunt, si aut ambigue, aut inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut etiã aliter ab alio dicta, subtiliter reprehenduntur. C.F. Extrema tibi pars restat orationis, quæ posita in perorando est, de qua sane' uelim audire. C.P. Facilior est explicatio perorationis. Nã est diuisa in duas ptes, amplificationẽ et enumerationẽ. Augẽdi autẽ et hic est

proprius locus in perorando, & in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur confirmata re aliqua, aut reprehensa. Est igitur amplificatio grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum concilietin dicendo fidem. ea & uerborum genere conficatur, et rerum. Verba ponenda sunt, quæ uim habeant illustrãdi, nec ab usu sint abhorrentia, grauia, plena, sonantia, iuncta, facta, cognominata, non uulgata, superlata, in primisq; translata, nec in singulis uerbis, sed in continentibus soluta, quæ dicuntur sine coiunctione, ut plura uideantur. Augent etiam relata uerba, iterata, duplicata, & ea, quæ ascendunt gradatim ab humilioribus uerbis ad superiora. omninoq; semper quasi naturalis, et non explanata oratio, sed grauibus referta uerbis, ad augendum accommodatior, hæc igitur in uerbis, quibus actio uocis, uultus & gestus congruens, & apta ad animos permouẽdos accommodata est. Sed & in uerbis, & in actione causa erit tenẽda, & pro re agenda. Nam hæc, quia uidentur perabsurda, cum grauiora sunt, quàm causa, diligenter ferè, quid quenq; deceat iudicandum est. Rerum amplificatio sumitur eisdem locis omnibus, quibus illa, quæ dicta sunt ad fidem, maximeq; definitiones ualent congloba tæ, & consequentium frequentatio, & contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio, & causæ, & ea quæ sunt de causis orta, maximeq; similitudines, & exempla, fictæ etiam personæ, muta deniq; loquãtur, omninoq; ea sunt adhibenda, si causa patitur, quæ magna habentur, quorum est duplex genus. Alia enim magna natura uidẽtur, alia usu. Natura, ut cœlestia, ut diuina, ut ea, quorũ obscuræ causæ, ut in terris, mundoq; admirabilia quæ sunt, ex quibus, similibusq;, si attendas ad augendũ, permulta suppetunt. Vsu, quæ uidentur hominibus aut prodesse, aut obesse uehementius, quorum sunt genera ad amplificandũ tria. Nam aut caritate mouentur homines, ut deorum, ut patriæ, ut parentũ, aut amore, ut fratrum, ut coniugum, ut liberorum, ut familiariũ, aut honestate, ut uirtutũ, maximeq; earũ, quæ ad communionem hominum, et liberalitatẽ ualent. Ex ijs et cohortationes sumuntur ad ea retinenda, et in eos à quibus ea uiolata sunt, odia incitãtur, et miseratio nascitur. Proprius locus augendi in ijs rebus aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil est enim tã miserabile, quàm ex beato miser. et hoc totũ quidem moueat, si bona ex fortuna qs cadat, & à quorum caritate diuellatur, quæ amittat, aut amiserit, in quibus malis sit, futurus'ue sit, exprimatur breuiter. Cito enim arescit lacryma, præsertim in alienis malis. Nec quicquam in amplificatione nimis enucleandum est,

minuta est enim omnis diligentia, hic autem locus grandia requirit. Illud iam est iudicij, quo quaq; in causa genere utamur augendi. In illis enim causis, quæ ad delectationem exornantur, ij loci tractandi sunt, qui mouere possunt expectationem, admirationem, uoluptatem. In cohortationibus autem bonorum, ac malorum enumerationes, & exempla ualent plurimum. In iudicijs, accusatori ferè, quæ ad iracundiam, reo plerunq;, quæ ad misericordiam pertinent. Nonnunquam tamen accusator misericordiã mouere debet, & defensor iracundiam. Enumeratio reliqua est, nonnunquam laudatori, suasori nõ sæpe, accusatori sæpius, quàm reo necessaria. Huius ipsa tẽpora duo sunt, si aut memoriæ diffidas eorũ, apud quos agas, uel interuallo temporis, uel longitudine orationis, aut frequentatis firmamentis orationis, & breuiter expositis, uim est habitura causa maiorẽ. Et reo rarius utendum est, quod ponenda sunt contraria, quorũ dissolutio in breuitate latebit, aculei pungent. Sed erit in enumeratione uitandũ, ne ostentatio memoriæ susceptæ, uideatur esse puerilis. Id effuget, q non omnia minima repetet, sed breuia singula attingens, pondera rerum ipsa comprehendet. C. F. Quoniam & de ipso oratore, et de oratione dixisti, expone eum mihi nunc, quẽ ex tribus extremum proposuisti quæstionis locũ. C. P. duo sunt, ut initio dixi, qnæstionũ genera, quorum alterum finitum temporibus, et personis controuersiã causam appello. alterum infinitum, nullis neq; personis, neq; temporibus notatum, propositum uoco. Sed est consultatio quasi pars causæ quædam, & controuersiæ. inest enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia. Quamobrem prius de proposito dicamus, cuius genera sunt duo. Cognitionis alterum, eius scientia est finis, ut ueri'ne sint sensus. alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid, ut si quæratur, quibus officijs amicitia colenda sit. Rursus superioris genera sunt tria. Sit nec'ne. quid sit. quale sit. Sit nec'ne, ut ius in natura sit, an in more. Quid autem sit, sit'ne ius id, quod maiori parti sit utile. Quale autẽ sit, iuste uiuere sit nec'ne utile. Actionis autem duo sunt genera. Vnum ad persequendũ aliquid, aut declinandum, ut quibus rebus adipisci gloriam possis, aut quomodo inuidia uitetur. Alterum, quod ad aliquod commodum, usumq; refertur, ut quemadmodum sit resp. administranda, aut quemadmodum in paupertate uiuendũ. Rursus autem ex cognitionis consultatione, ubi sit, nec'ne sit, aut fuerit, futurum'ue sit quæritur, unum genus est quæstionis, possit'ne aliquid effici, ut cum quæritur ecquisnam perfecte sapiens esse possit. Alterum, quemadmodum quicq; fiat, ut quonã

pacto uirtus pariatur, natura'ne, an ratione, an usu. Cuius generis sunt omnes, in qbus ut in obscuris, naturalibusq; quæstionibus causæ, rationesq; rerum explicantur. Illius autem generis, in quo quid sit id, de quo agitur, quæritur, duo sunt genera, quorum in altero disputandū est, aliud an idem sit, ut pertinacia, & pseuerantia. In altero autem descriptio generis alicuius, et quasi imago exprimenda est, ut qualis sit auarus, aut qd sit superbia. Tertio autē in genere, in quo quale sit quæritur, aut de honestate, aut de utilitate, aut de æquitate dicendum est. De honestate sic, ut honestum'ne sit pro amico periculum, aut inuidiam subire. De utilitate autem sic, ut sit'ne utile in rep. adminstranda uersari. De æquitate uero sic, ut sit'ne æquum amicos cognatis anteferre. Atq; in hoc eodem genere, in quo quale sit, quæritur, exoritur aliud quoddam disputandi genus. Non enim simpliciter solū quæritur, quid honestum sit, quid utile, quid æquum, sed etiā ex comparatione, quid honestius, quid utilius, quid æquius, atq; etiam quid honestissimum, quid utilissimū, quid æquissimum. cuius generis illa sunt, quæ præstantissima sit dignitas uitæ. atq; ea quidem, quæ dixi, cognitionis sunt omnia. Restant actionis, cuius alterū est præcipiendi genus, quod ad rationem officij pertinet, ut quēadmodum colendi sint parentes, alterum autem ad sedandos animos, et oratione sanandos, ut in consolandis mœroribus, ut in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda, cui qdem generi contrarium est disputandi genus ad eosdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione sæpe faciendū est, uel gignendos, uel concitandos. Atq; ferè hæc est partitio consultationum.

C.F. Cognoui, sed quæ ratio est in his inueniendi, & disponendi requiro. C.P. Quid tu aliam'ne censes, & non eandem esse, quæ est exposita, ut ex eisdem locis ad fidem, & ad inueniendum ducantur omnia? Collocandi autem quæ est exposita in aliis ratio eadē huc transfertur. Cognita igitur omni distributione propositarum consultationum, controuersiarum causarum genera restant omnino. Et earum quidem forma duplex est, quorū altera delectationem sectatur aurium, alterius ut obtineat, probet, et efficiat, quod agit, omnis est susceptæ contentio. Itaq; illud superius exornatio dicitur, quod cū latum genus esse potest, sanéq; uarium, unum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros uiros suscepimus, & ad improbos uituperandos. Genus enim nullum est orationis, quod aut uberius ad dicendū, aut utilius ciuitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione uirtutum, uitiorumq; uersetur. Reliquum autem genus causarū,

aut in prouisione posteri temporis, aut in præteriti disceptatione uersatur, quorum alterum deliberationis est, alterũ iudicij. Ex qua partitione tria genera causarũ extiterunt. Vnum, quod à meliori parte laudationis est appellatum, deliberationis alterum, tertium iudiciorum. quamobrem de primo primum, si placet, disputemus. C.F. Mihi uero placet. C.P. Ac laudandi, uituperandiq; rationes, quæ non ad bene dicendum solum, sed etiam ad honeste uiuendũ ualent, exponam breuiter, atq; à principijs exordiar & laudandi, & uituperandi. Omnia enim sunt profecto laudanda, quæ coniuncta cum uirtute sunt, & quæ cum uitijs uituperanda. Quamobrẽ finis alterius est honestas, alterius turpitudo. Conficitur autem genus hoc dictionis, narrãdis, exponendisq; factis, sine ullis argumentationibus ad animi motus leniter tractandos magis, quàm ad fidem faciendã, aut confirmandã accommodate. Non enim dubia firmantur, sed ea, quæ certa, aut pro certis posita sunt, augentur. Quamobrem ex ijs, quæ ante dicta sunt, & narrandi, & augendi præcepta repetentur. Et quoniam in his causis omnis ratio ferè ad uoluptatem auditoris, & ad delectationem refertur, utendum erit his in oratione singulorum uerborũ insignibus, quæ habent plurimum suauitatis, ideſt ut factis uerbis, aut uetustis, aut translatis frequenter utamur, & in ipsa constructione uerborum, ut paria paribus, & simlia simlibus sæpe referantur, ut contraria, ut gemmata, ut circun cripta numeroſe non ad simlitudinem uersuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quasi quodam uerborum modo. Adhibendaq; frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt, siue quæ mirabilia, nec opinata, siue significata monstris, prodigijs, oraculis, siue quæ uidebuntur ei, de quo agimus, accidisse diuina, atque fatalia. omnis enim expectatio eius, qui audit, & admiratio, & improuisi exitus habent aliquam in audiendo uoluptatem. Sed quoniam in tribus generibus bona, malaue uersantur, externis, corporis, & animi. prima sunt externa, quæ ducuntur à genere, quo breuiter, modiceq; laudato, aut si erit infame præterm̃isso, si humile uel præterito, uel ad augendam eius, quem laudas, gloriam tacto, deinceps, si res patiatur, de fortunis erit, & facultatibus dicendum, postea de corporis bonis, in quibus quidem, quæ uirtutem maxime significat, facillime forma laudatur. Deinde est ad facta ueniendum, quorum collocatio triplex est, aut enim temporum seruandus est ordo, aut in primis recentissimum quodq; dicendum, aut multa, & uaria facta in propria uirtutum genera sunt dirigenda. Sed hic locus uirtutum, atq; uitiorum

latissima patens. ex multis, & uarijs disputationibus nunc in quandam angustam, et breuem cõcludetur. Est igitur uis uirtutis duplex. aut enim scientia cernitur uirtus, aut actione. Nam quæ prudentia, quæ calliditas, quæq; grauissimo nomine sapiẽtia appellatur, hæc sapiẽtia pollet una. quæ uero moderandis cupiditatibus, regendisq; animi motibus laudatur, eius est munus in agendo, cui temperantiæ nomẽ est. Atq; illa prudentia in suis rebus domesticæ, in publicis ciuilis appellari solet. Temperantia autem in suas itidem res, & in cõmunes distributa est, duobusq; modis in rebus commodis discernitur. & ea, quæ absunt, non expetendo, & ab ijs, quæ in potestate sunt, abstinendo. In rebus autem incommodis est itidem duplex. Nam quæ ueniẽtibus malis obstat fortitudo, quæ quod iam adest, tolerat, & perfert, patientia nominatur. Quæ autem hæc uno genere cõplectitur, magnitudo animi dicitur, cuius est liberalitas in usu pecuniæ; simulq; altitudo animi in capiendis incõmodis, & maxime iniurijs, et omne, quod est eius generis, graue, insedatum, & turbulẽtum. In commune autem quæ posita pars est, iustitia dicitur, caq; erga deos religio, erga parentes pietas, uulgo autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animaduertendi lenitas, amicitia in beneuolentia nominatur. Atq; hæ quidem uirtutes cernuntur in agendo. Sunt autem aliæ quasi ministræ, comitesq; sapientiæ, quarũ altera, quæ sint in disputãdo uera, atq; falsa, quibusq; positis, quid sequatur, distinguit, & iudicat, quæ uirtus omnis in ratione, scientiaq; disputandi sita est. altera autem oratoria, nihil enim est aliud eloquentia, nisi copiose loquens sapiẽtia, quæ ex eodẽ hausta genere, quo illa, quæ in disputando, uberior est, atq; latior, & ad motus animorũ, uulgiq; sensus accommodatior. Custos uero uirtutum omniũ dedecus fugiẽs, laudemq; maxime cõsequẽs uerecundia est, atq; hi sunt quidem ferè quasi quidã habitus animi sic affecti, & constituti, ut sint singuli inter se proprio uirtutis genere distincti, a quibus, ut quæq; res gesta est, ita sit. honesta necesse est, summeq; laudabilis. Sunt autem alij quidam perfecti animi habitus ad uirtutem, quasi præculti, & præparati rectis studijs, & artibus, ut in suis rebus, studia literarum, ut numerorũ, ac sonorũ, ut mensuræ, ut syderum, ut equorũ, ut uenandi, ut armorũ. In communibus, propensiora studia in aliquo genere uirtutis cõlẽdo, aut diuinis rebus deseruiẽdo, aut parentibus, amicis, hospitibus, præcipue, atq; insigniter diligẽdis, atq; hæc quidem uirtutum, uitiorũ autẽ sunt genera contraria. Cernenda autẽ sunt diligenter, ne fallant ea nos uitia, quæ uirtutẽ uidentur imitari. Nã et prudentiã malitia, et temperantiam

perantiã immanitas in uoluptatibus aſpernandis, & magnitudinẽ animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iuſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & uerecundiã timiditas, & illam diſputandi prudentiam concertatio, captatioq; uerborum, & hanc oratoriam uim inanis quædam profluentia loquendi. Studijs autem bonis ſimilia uidentur ea, quæ ſunt in codẽ genere nimia. Quamobrem omnis uis laudandi, uituperandiq; ex his ſumetur uirtutum, uitiorumq; partibus. Sed in toto quaſi conteſtu orationis hæc erunt illuſtranda maxime, quemadmodum quiſq; generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum inſtitutus, moratusq; fuerit. & ſiquid cui magnum, aut incredibile acciderit, maximeq; ſi id diuinitus acidiſſe potuerit uideri, tum quod quiſque ſenſerit, dixerit, geſſerit, ad ea, quæ propoſita ſunt, uirtutum genera accommodabuntur, ex illisq; ijſdem inueniendi locis cauſæ rerum, & euentus, & cõſequentia requirentur. neque uero mors eorum, quorũ uita laudabitur, ſilentio præteriri debebit, ſi modo quid erit animaduertendum, aut in ipſo genere mortis, aut in ijs rebus, quæ poſt mortem erunt conſecutæ. C.F. Accepi iſta, didiciq; breuiter, non ſolum quemadmodum laudarem alterum, ſed etiam quemadmodũ eniterer, ut poſſem ipſe iure laudari. Videamus igitur deinceps in ſententia dicenda, quam uiam, & quæ præcepta teneamus. C.P. Eſt igitur in deliberando finis utilitas, ad quem omnia referuntur in conſilio dando, ſententiaq; dicenda, ut illa prima ſint ſuaſori, aut diſſuaſori uidenda, quid aut poſſe fieri, aut non poſſit, & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. Nam & ſiquid effici non poteſt, deliberatio tollitur, quamuis utile ſit, & ſiquid neceſſe eſt, neceſſe autẽ id eſt, ſine quo ſalui, liberiue eſſe non poſſimus, id eſt reliquis & honeſtatibus in ciuili ratione, & commodis anteponendum. Cum autem quæritur, q̃d fieri poſſit, uidendum etiam eſt, quàm facile poſſit. Nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt, ac ſi effici non poſſint. Et cum de neceſſitate attendemus, et ſi aliquid non neceſſarium uidebitur, uidẽdum tamen erit, quàm ſit magnum. Quod enim per magni intereſt, pro neceſſario ſæpe habetur. Itaq; cum conſtet hoc genus cauſarum ex ſuaſione, & diſſuaſione, ſuaſori proponitur ſimplex ratio, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat. Diſſuaſori duplex, una, ſi non utile eſt, ne fiat, altera, ſi fieri non poteſt, nec ſuſcipiatur. Sic ſuaſori utrũq; docendum eſt, diſſuaſori alterum infirmare ſat eſt. Quare quoniam

in his uersatur omne consilium duobus, de utilitate ante dicamus, quæ in discernendis bonis, malisq; uersatur. Bonorum autem partim necessaria sunt, ut uita, pudicitia, libertas, ut liberi, coniuges, germani, parentes. partim non necessaria, quorũ alia sunt per se expetenda, ut ea, quæ sita sunt in officijs, atq; uirtutibus. Alia quod aliquid commodi efficiunt, ut opes, & copiæ. Eorũ autem, quæ propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur. Honestate, ea, quæ proficiscuntur ab ijs uirtutibus, de quibus paulo ante est dictum, quæ sunt laudabilia ipsa per se. Commoditate autẽ aliqua, quæ sunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda, quorum alia sunt quasi quodãmodo cum honestate coniuncta, ut honos, ut gloria. Alia diuersa, ut uires, forma, ualetudo, nobilitas, diuitiæ, cliẽtelæ. Est etiam quasi quædã materies subiecta honestati, quæ maxime spectatur in amicitijs, amicitiæ autem caritate, & amore cernuntur. Nam cum deorũ, tum parentum, patriæq; cultus, eorumq; hominum, qui aut sapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri solet. Coniuges autem, & liberi, & fratres, & alij, quos usus, familiaritasq; coniunxit, quanquam etiam caritate ipsa, tamen amore maxime continentur. In his igitur rebus cũ bona sint, facile est intellectu, quæ sint contraria. Quod si semper optima tenere possemus, haud sane, quoniam qdẽ ea perspicua sunt, consilio multũ egeremus. Sed qa temporibus, quæ uim habent maximam, persæpe euenit, ut utilitas cum honestate certet, earumq; rerum contentio plerunque deliberationes efficit, ne aut opportuna propter dignitatem, aut honesta propter utilitatem relinquantur, ad hanc difficultatem explicandam præcepta referamus. Et quoniam non ad ueritatem solum, sed etam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodanda est oratio, hoc primum intelligamus hominum duo esse genera, alterum indoctum, & agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati, alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatẽ anteponat. Itaq; huic generi laus, honor, gloria, fides, iustitia, omnisq; uirtus, illi autem alteri quæstus, emolumentum, fructusq; proponitur, atque etiam uoluptas, quæ maxime est inimica uirtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat, quam immanissimus quisque acerrime sequitur, neque solum honestis rebus, sed etiam necessarijs anteponit, in suadendo, cum ei generi hominum consiliũ des, sæpe sane laudanda est. Et illud uidẽdũ quanto magis homnis mala fugiant, quàm sequantur bona. Nã neq; honesta tam expetunt, quàm deuitant turpia. Quis enim honorẽ? quis gloriam? quis laudem? quis ullum decus tam unquam expetat,

quàm ut

quàm ut ignominiam,infamiam,contumeliam,dedecus fugiat? quarum rerum dolor grauis est. Est genus hominum ad honestatem natum,malo cultu,prauis q; opinionibus corruptum. Quare in cohortando,atque suadendo propositum quidē nobis erit illud, ut docea-mus,qua ui bona consequi,malaq; uitare possimus. Sed apud homines bene institutos plurimū de laude, & de honestate dicemus,maximeq; ea uirtutum genera tractabimus,quæ in cōmuni hominū utilitate tuenda,augendaq; uersantur. Sin apud indoctos,imperitosq; dicemus,fructus,emolumenta,uoluptates,uitationesq; dolorū proferantur,addantur etiam contumeliæ atq; ignominiæ. Nemo enim est tam agrestis,quem non si ipsa minus honestas,contumelia tamen,& dedecus magnopere moueat. Quare quod ad utilitatē spectat,ex ijs,quæ dicta sunt,reperietur. Quod autem possit effici, necne possit,in quo etiam quàm facile possit,quamq; expediat, quæri solet, maxime ex causis ijs,quæ quanq; rem efficiant,est uidendum. Causarum autē genera sunt plura. Nam sunt aliæ, quæ ipsæ conficiunt, aliæ quæ uim aliquam ad conficiendū afferunt. Itaq; illæ superiores conficientes uocentur,hæ reliquæ ponantur in eo genere, ut sine his confici non possit. Conficiens autem causa alia est absoluta, & perfecta per se,alia aliquid adiuuans, & efficiendi socia quædam. cuius generis uis uaria est,& sæpe aut maior,aut minor, ut & illa, quæ maximā uim habet,sola sæpe causa dicatur. Sunt autem aliæ causæ,quæ aut propter principium,aut propter exitum conficientes uocantur. Cum autem quæritur quid sit optimū factu,aut utilitas,aut spes efficiendi ad assentiendum impellit animos. Et quoniā de utilitate iam diximus,de efficiendi ratione dicamus. Quo toto genere qbus cum, & contra quos, quo tempore,aut quo loco,aut quibus facultatibus, armorum,pecuniæ,sociorum,earum'ue rerum, quæ ad quanq; rem efficiendam pertinent,possimus uti,requirendum est. Neq; solum ea sunt,quæ nobis suppetunt,sed etiam illa,quæ aduersantur, uidenda. Et si ex contentione procliuiora erunt nostra, non solum effica posse, quæ suademus,erit persuadendum,sed curandū etiam, ut illa facilia,procliuia,iucunda uideantur. Dissuadentibus autem aut utilitas labefactanda est, aut efficiendi difficultates efferendæ, neq; alijs ex præceptis,sed ijsdem ex suasionis locis. Vterq; uero ad augendū habeat exemplorū,aut recentium,quo notiora sint,aut ueterū,quo plus authoritatis habeant,copiam. Maximeq; sit in hoc genere meditatus, ut possit uel utilia,ac necessaria sæpe honestis, uel hæc illis anteferre. Ad commouendos autem animos maxime proficient, si incitan-

di erunt, huiusmodi sententiæ, quæ ad explendas cupiditates, aut ad odium satiandum, aut ad ulciscendas iniurias pertinebunt. Sin autẽ reprimendi, de incerto statu fortunæ, dubijsq; euentis rerum futurarũ, & retinendis suis fortunis, si erunt secundæ, sin autem aduersæ, de periculo, commonendi. Atq; hi quidẽ sunt perorationis loci. Principia autem in sententijs dicendis breuia esse debebunt. Nõ enim supplex, ut ad iudicem uenit orator, sed hortator, atque author. Quare proponere, qua mẽte dicat, qd uelit, qbus de rebus dicturus sit, debet, hortariq; ad se breuiter, dicentẽ audiendũ. Tota autẽ oratio simplex, & grauis, & sententijs debet ornatior esse, q̃ uerbis. C.F. Cognoui iã laudationis, & suasionis locos, nũc quæ iudicijs accõmodata sunt expecto, idq; nobis genus restare unũ puto. C.P. Recte intelligis, atque eius quidem generis finis est æquitas, quæ non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnunquam, ut cum de ueriſſimo accusatore disputatur, aut cum hæreditatis sine lege, aut sine testamento petitur possessio, in quibus causis, qd æquius, æquissimum'ue sit, quæritur, quas ad causas facultas petitur argumentationum ex ijs, de qbus mox dicetur, æquitatis locis. Atq; etiam ante iudicium de cõstituendo ipso iudicio solet esse contentio, cum aut sit'ne actio illi, qui agit, aut iam'ne sit, aut num iam esse desierit, aut illa'ne lege, his'ne uerbis sit actio quæritur, quæ etiam si ante quàm res in iudicium uenit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non sunt, tamen in ipsis iudicijs permagnum sæpe habent pondus, cum ita dicitur. Plus petisti. sero petisti. non fuit tua petitio. non a me. non hac lege. non his uerbis. non hoc iudicio. Quarum causarum genus est positum in iure ciuili, quod est in priuatarum, ac publicarum rerum lege, aut more positum, cuius scientia neglecta ab oratoribus plerisq;, nobis ad dicendum necessaria uidetur. Quare de cõstituendis actionibus, accipiendis, subeundisq; iudicijs, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda æquitate, qd ea fere generis eius sunt, ut quãquã in ipsum iudicium sæpe dilabantur, tamen ante iudiciũ tractanda uideantur, paululum ea separo a iudicijs, tempore magis agendi, quàm dissimilitudine generis. Nam omnia, quæ de iure ciuili, aut de æquo, & bono disceptantur, cadunt in eam formam, in qua quale quid sit ambigitur, de qua dicturi sumus, quæ in æquitate, & iure maxime consistit. In omnibus igitur causis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures nõ queas ad resistendum. Nam aut ita consistendum est, ut quod obijcitur factum neges. aut illud, quod factum fateare, neges eam uim habere, atque id esse, quod aduersarius crimnetur.

criminetur. Aut si neq; de facto, neq; de facti appellatione ambigi po
test, id quod arguere, neges tale esse, quale ille dicat, & rectum esse,
quod feceris, concedendum'ue defendas. Ita primus ille status, &
quasi conflictio cum aduersario, coniectura quadam. Secundus autem
definitione, atq; descriptione, aut informatione uerbi. Tertius æqui,
& ueri, & recti, & humani ad ignoscendum disputatione tractan
dus est. Et quoniam semper is, qui defendit, non solum resistat oportet
aliquo statu, aut inficiando, aut definiendo, aut æquitate opponenda,
sed etiã rationem subiciat recusationis suæ. Primus ille status ratio-
nem habet iniqui crimnis, ipsam negationem, inficiationem'q; facti.
Secundus, quod non sit in re, quod ab aduersario ponitur in uerbo.
Tertius, quod id recte factum esse defendet, quod sine ulla omnis cõ
trouersia factum fatetur. Deinde unicuiq; rationi opponendum est ab
accusatore, id quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non
posset. Itaq; ea, quæ sic referuntur, continentia causarũ uocentur, quã
quam nõ ea magis, quæ contra rationem defensionis afferuntur, quã
ipsæ defensionis rationes continent causas. Sed distinguendi gratia ra
tionem appellamus eam, quæ affertur à reo ad recusandum depellẽ
di criminis causa, quæ nisi esset, quid defenderet non haberet. Firma
mentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur,
sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autẽ, & ex firmamẽ
ti conflictione, & quasi concursu quæstio exoritur quædam, quam di
sceptationem uoco, in qua quid deueniat in iudicium, & de quo disce
ptetur, quæri solet. Nã prima aduersariorum contentio diffusam ha-
bet quæstionem, ut in coniectura. ceperit'ne pecunias Decius. In defi
nitione, minuerit'ne maiestatem Norbanus. In æquitate. iure'ne occi
derit Opimius Gracchum. Hæc, quæ primam contentionem habent
exarguendo, & resistendo, lata, ut dixi, & confusa sunt. Rationum,
& firmamentorum contentio adducit in angustam disceptationem.
ea in coniectura nulla est. Nemo enim eius, quod negat factum, ratio
nem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaq; in his causis eadẽ
& prima quæstio, & disceptatio est extrema. In illis autem, ubi ita
dicitur, non minuit maiestatẽ, qđ egit de Cepione turbulentius. Po-
puli enim R. dolor iustus uim illã excitauit, nõ tribuni actio. Maie-
stas autem, quoniam est magnitudo quædam populi R. in eius pote-
state, ae iure retinendo, aucta est potius, quàm diminuta. et ubi ita
refertur. Maiestas est in imperij, atque in omni populi R. dignitate,
quam minuit is, qui ꝑ uim multitudinis rem ad seditionẽ uocauit,
exisit illa disceptatio. minuerit'ne maiestatẽ, ꝙ uoluntate populis R.

rem gratam,& æquam per uim egerit. In his autem cæusis, ubi aliquid recte factum, aut concedendum, esse factum defenditur, cum est facti subiecta ratio, sicut ab Opimio, iure fœdi salutis omnium, & conseruandæ reip. cæusa, relatum'q; est ab Decio. Ne scæleratissimum quidem ciuem sine iudicio iure ullo necare potuisti, oritur illa disceptatio, potuerit'ne recte salutis reip. cæusa ciuem euersorem ciuitatis indemnatum necare. Ita disceptationes eæ, quæ in his controuersijs oriuntur, quæ sunt certis personis, et temporibus notatæ, fiunt rursus infinitæ, detractis'q; temporibus, & personis, rursum ad consultationis formam, rationem'q; reuocantur. Sed in grauissimus firmamentis & illa ponenda sunt, siqua ex scripto legis, aut testamenti, aut uerborũ ipsius iudicij, aut alicuius stipulationis, aut cautionis opponuntur defensioni contraria. Ac ne hoc quidem genus in eas cæusas incurrit, quæ coniectura continentur. Quod enim factũ negatur, id argui non potest scripto. ne in definitionem q̃dẽ uenit, genere scripti ipsius. Nam etiam si uerbum aliquod de scripto definiendum est, quam uim habeat, ut cum ex testamentis q̃d' sit penus, aut cum ex lege prædij quæritur, quæ sunt ruta cæsa, non scripti genus, sed uerbi interpretatio cõtrouersiam parit. Cum autẽ plura significantur scripto propter uerbi, aut uerborũ ambiguitatem, ut licæat ei, qui contra dicat cõtrahere significationem scripti, quo expediat, aut uelit. aut etiam si ambigue scriptum non sit, uel a uerbis uoluntatem, & sententiã scripto ris abducere, uel alio se eadem dere contrarie scripto defendere. tũ disceptatio ex scripti contentione existit, ut in ambiguis disceptetur, quid maxime significetur. in scripti, sententiæ'q; contentione, utrum potius sequatur iudex. in contrarijs scriptis, utrum magis sit comprobandum. Disceptatio autẽ, cum est constituta, proposita esse debet oratori, quo omnes argumentationes repetitæ ex inueniẽdi locis conijciãtur. quod quanquam satis est ei, qui uidet, quid in quoq; loco lateat, qui'q; illos locos tanquam thesauros aliquos argumentorum notatos habet, tamen ea, quæ sunt certarum cæusarum propria, tangemus. In cõiectura igitur cum est in inficiando reus, accusatori hæc duo prima sunt, sed accusatorẽ pro omni actore, & petitore appello, possunt enim etiam sine accusatore in cæusis hæc eadem controuersiarũ genera uersari. sed hæc duo sunt ei prima, cæusa, & euentus. Cæusam appello rationem efficiendi, euentum id, quod est effectum, atque ipsa quidem partitio cæusarũ paulo ante in suasionis locis distributa est. Quæ enim in consilio capiendo futuri temporis præcipiebantur, quamobrẽ aut utilitatem uiderentur habitura, aut efficiendi facultatem,

tem, eadem, qui de facto argumentabitur, colligere debebit. Quamobrem & utilia illi, quem arguet, fuisse, & ab eo effici potuisse demonstret. Vtilitatis coniectura mouetur, si illud, quod arguitur, aut spe bonorum, aut malorum metu, fecisse dicitur, quod fit acrius, quo illa in utroq; genere maiora ponuntur. Spectantur etiam ad causam facti, motus animorum si ira recens, si odium uetus, si ulciscendi studium, si iniuriæ dolor, si honoris, si gloriæ, si imperij, si pecuniæ cupiditas, si periculi timor, si æs alienum, si angustiæ rei familiaris, si audax, si leuis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans, si commota mente, si uiolentus, si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi, aut si patefactum esset depellendi criminis, uel perrumpendi periculi, uel in longinquum tempus differendi, aut si iudicij pœna leuior, quàm facti præmium, aut si facinoris uoluptas maior, quàm damnationis dolor. His ferè rebus facti suspicio confirmatur, cum & uoluntatis in reo causæ reperiuntur, & facultas. In uoluntate autem utilitas ex adeptione alicuius commodi, uitationeq; alicuius incommodi quæritur, ut aut spes, aut metus impulisse uideatur, aut alius repentinus animi motus, qui etiã citius in fraudem, quàm ratio utilitatis impellit, quamobrem sint hæc dicta de causis. C.F. Teneo, & quæro, qui sint illi euentus, quos ex causis effici dixisti. C.P. Consequentia quædam signa præteriti, & quasi impressa facti uestigia, quæ quidem uel maxime suspicionem mouent, & quasi tacita sunt criminum testimonia. Atque hæc quidem grauiora, quod causæ communiter uidentur insimulare, & arguere omnes posse, quorum non interfuerit aliquid. Hæc proprie attingunt eos ipsos, qui arguuntur, ut telum, ut uestigium, ut cruor, ut deprehensum aliquid, quod ablatum, ereptum'ue uideatur, ut responsum inconstanter, ut hæsitatum, ut titubatum, ut cum aliquo uisus, ex quo suspicio oriatur, ut eoipso in loco uisus, in quo facinus, ut pallor, ut tremor, ut scriptum, aut obsignatum, aut depositum quippiam. Hæc enim, & talia sunt, quæ aut in re ipsa, aut etiam ante quàm factum est, aut postea, suspiciosum crimen efficiant. Quæ si non erunt, tamen causis ipsis, & efficiendi facultatibus nitè oportebit, adiuncta illa disputatione communi, non fuisse illum tam amentem, ut indicia facti aut effugere, aut occultare non posset, ut ita apertus esset, ut locum crimini relinqueret. Communis ille contra locus, audaciam temeritati, non prudentiæ esse coniunctam. Sequitur autem ille locus ad augendum non esse expectandum, dũ fateatur, argumentis peccata conuinci. & hic etiam exem-

pla ponentur. Atq; hæc quidem de argumentis. Sin autem erit etiã testium facultas. primum, genus erit ipsum laudandum, dicendumq;, ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione fecisse. testes effugere non potuisse. Deinde singuli laudentur. Quæ autem essent laudabilia dictum est. Deinde etiam argumento firmo, quia tamen sæpe falsum est, posse recte non credi, uiro bono, & firmo, sine uitio iudicis nõ posse non credi. Atq; etiam, si obscuri testes erunt, aut tenues, dicendum erit, non esse ex fortuna fidem ponderandã, aut eos esse cuiusq; locupletissimos testes, qui id, de quo agatur, facillime scire possint. Sin quæstiones habitæ, aut postulatio, ut habeantur, causam adiuuabunt, confirmandum genus primum quæstionum erit, dicendũ de ui doloris, de opinione maiorum, qui eam rem totam nisi probassent, certe repudiassent. De institutis Athenienſium, Rhodiorum doctissimorũ hominum, apud quos etiam (id quod acerbissimũ est) liberi, cuesq; torquentur. De nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui, cum de seruis in dominos queri noluissent, de incæstu tamen, & coniuratione, quæ facta me consule est, quærendum putauerũt. Irridenda etiã disputatio est, qua solent uti ad infirmandas quæstiones, & meditata, puerilisq; dicenda, tum facienda fides, diligẽter esse, & sine cupiditate quæsitum, dictaq; quæstionis argumentis, & coniectura ponderãda. Atq; hæc accusationis ferè membra sunt. Defensionis autem primum infirmatio causarum, aut non fuisse, aut nõ tantas, aut non sibi soli, aut cõmodius potuisse idem cõsequi, aut nõ his esse moribus, non ea uita, aut nullos animi motus, aut nõ tam impotentes fuisse. Facultatũ autem infirmatione utetur, si aut uires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit, aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorũ crederet nemini, aut non se tam ineptum, ut id susciperet, quod occultare nõ posset, neq; tam amentem, ut pœnas, ac iudicia contemneret. Consequẽtia autem diluet exponendo, non esse illa certa indicia facti, quæ etiam nullo admisso consequi possent. consistetq; in singulis, et ea, aut eorũ, quæ ipse facta esse dicet, propria esse defendet potius quàm crimunis, aut si sibi cum accusatore communia essent, pro periculo potius, quàm contra salutem ualere debere. Testumq;, & quæstionum genus uniuersum, & quod poterit in singulis, ex reprehensionis locis, de qbus ante dictum est, refellet. Harum causarũ principia suspicioſa ad acerbitatem ab accusatore ponentur. Denuntiabiturq; insidiarũ commune periculum, excitabũturq; animi, ut attendant. A reo autem querela conflati criminis, collectarumq; suspicionum, & accusatoris insidiæ

ſidiæ, & item cõmune periculum proferetur, animq; ad miſericordiam allicientur, & modicæ beneuolentia iudicum colligetur. Narratio *autem accuſatoris erit quaſi membratim geſti negotij ſuſpiciosa explicatio, ſparſis omnibus argumentis, obſcuratis defenſionibus.* Defenſoris, *aut præteritis, aut obſcuratis ſuſpicionum argumentis, rerum ipſarum euentus erunt, cauſaq; narrandi.* In confirmandis *autem noſtris argumentationibus, infirmandisq; contrarijs ſæpe erunt accuſatori motus animorum inicitandi, reo mitigandi. atq; hæc quidem utriq; maxime in peroratione facienda, alteri frequentatione argumentorum, & coaceruatione uniuerſa, alteri ſi plane cauſam redarguendo explicarit, enumeratione, ut quicq; diluerit, & miſeratione ad extremum.* C. F. *Scire mihi iam uideor quemadmodũ coniectura tractanda ſit, nunc de definitione audiamus.* C. P. *Communia dantur in iſto genere accuſatori, defenſoriq; præcepta. Vter enim definiendo, deſcribendoq; uerbo magis ad ſenſum iudicis, opinionemq; penetrarit, & uter ad communem uerbi uim, & ad eã præceptionem, quam inchoatam habebunt in animis ij, q audient, magis, & propius accęſſerit, is uincat neceſſe eſt.* Non *enim argumentando hoc genus tractatur, ſed tanquam explicando, excutiẽdoq; uerbo, ut ſi in reo pecunia abſoluto, rurſusq; reuocato, præuaricationem accuſator eſſe definiat omnem iudicij corruptelã ab reo, defenſor autem non omnem, ſed tantummodo accuſatoris corruptelam ab reo. Sit ergo hæc contentio prima uerborum, in qua etiã ſi propius accedat ad conſuetudinem, mentemq; ſermonis defenſoris definitio, tamen accuſator ſententia legis nititur.* Negat *enim probari oportere, eos, q leges ſcripſerunt, ratum habere iudiciũ, ſi totum corruptum ſit, ſi unus accuſator corruptus ſit, reſcindere, nititur æquitate, ut illa quaſi ſcribẽda lex ſic eſſet, quæq; tamen complecteretur in iudicijs corruptis, ea uerbo uno præuaricationis comprehendiſſe dicitur.* Defenſor *autẽ tẽſtatur cõſuetudinẽ ſermonis, uerbiq; uim ex cõtrario reperiet quaſi ex uero accuſatore, cui contrarium eſt nomen præuaricationis, ex conſequentibus, quod ea litera de accuſatore ſoleat dari iudici, ex nomine ipſo, quod ſignificat eum, q in contrarijs cauſis, quaſi uarie eſſe poſitus uideatur.* Sed *huic tamen ipſi confugiendum eſt ad æquitatis locos, ad rerum iudicatarum authoritatem, ad finem aliquẽ periculi, communeq; ſit hoc præceptum, ut cũ uterq; definierit, quammaxime potuerit ad cõmunem ſenſum, uimq; uerbi, tum ſimilibus exemplisq; eorũ, qui item locuti ſunt, ſuam definitionem, ſententiamq; confirmet, atq; accuſatori in hoc genere cauſarum locus ille commu-*

nis. minime esse concedendũ, ut is, qui de re confiteatur, uerbi se interpretatione defendat. Defensor autem de ea, quam proposui, æquitate nitatur, & ea cum secum faciat, non re, sed deprauatione uerbi se urgeri queratur. Quo in genere percensere poterit plerosq; inuenie di locos. Nam & similibus utitur, & contrarijs, & consequentibus, quanquam uterq;, tamen reus, nisi plane erit absurda causa, frequẽtius. Amplificandi autem causa quæ aut cum digredientur à causa, dici solent, aut cum perorabunt, hæc uel ad odium, uel ad misericordiam, uel ad omnino animos iudicum mouendos ex ijs, quæ sunt antepositа, sumentur, si modo rerum magnitudo, hominum'ue aut inuidia, aut dignitas postulabit. C.F. Habeo ista. nunc ea, quæ, cum quale sit quippiam disceptatur, quæri ex utraq; parte deceat, uelim audire. C.P. Confiteantur in isto genere, qui arguuntur, se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur. Sed quoniam iure se fecisse dicunt, iuris est omnis ratio nobis explicanda, quod diuiditur in duas partes primas naturam, atq; legem, & utriusq; generis uis, in diuinum, & humanum ius est distributa. Quorum æquitatis est unũ, alterum religionis. Aequitatis autem uis est duplex, cuius altera directi, & ueri, & iusti, &, ut dicatur, æqui, & boni ratione defenditur. Altera ad uicissitudinem referendæ gratiæ pertinet, quod in beneficio gratia, in iniuria ultio nominatur. Atque hæc communia sunt naturæ, atque legis, sed propria legis & ea, quæ scripta sunt, & ea, quæ sine literis, aut gentiũ iure, aut maiorũ more retinentur. Scriptorum autem priuatum aliud est, publicum aliud. publicũ, lex. senatus cons. fœdus. priuatum, tabulæ. pactum. conuentũ. stipulatio. Quæ autem scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conuentis hominum, & quasi consensu obtinentur. Atque etiam hoc in primis, ut nostros mores, legesq; tueamur quodammodo naturali iure præscriptum est. & quoniam breuiter aperti fontes sunt quasi quidam æquitatis, meditata nobis ad hoc causarum genus esse debebunt ea, quæ dicenda erunt in orationibus, de natura, de legibus, de more maiorum, de propulsanda iniuria, de ulciscenda, de omni parte iuris. Si imprudenter, aut necessitate, aut casu quippiam fecerit, quod non concederetur ijs, qui sua sponte, & uoluntate fecissent, ad eius facti deprecationem ignoscendi petenda uenia est, quæ sumetur ex pleriſq; locis æquitatis. Expositum est, ut potui breuissime, de omni controuersiarũ genere, nisi præterea tu quid requiris. C.F. Illud eqdem, quod iam unũ restare uideo, quale sit, cum disceptatio uersatur in scriptis.

C.P. Recte intelligis, eo enim exposito, munus promissi omne cõfecero.

fecero. Sunt igitur ambigui duobus aduersarijs præcepta communia. Vterq; enim hanc significationem, qua utetur ipse dignam scriptoris prudẽtia esse defendet. Vterq; id, quod aduersarius ex ambigue scripto intelligendum esse dicet, aut absurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe esse defendet, aut etiam discrepare cũ cæteris scriptis, uel aliorum, uel maxime, si poterit, eiusdem, quamq; defendet ipse eam rem, & sententiam quemuis prudentem, & iustum hominem si integrum daretur, scripturum fuisse, sed planius, eamq; sententiá, quã significari posse dicet, nihil habere, aut captionis, aut uitij. Contrariam autem si probarit, fore ut multa uitia, stulta, iniqua, contraria cõsequantur. Cũ autem aliud scriptor sensisse uidetur, et aliud scripsisse, q scripto nitetur, eum re exposita recitatione uti oportebit, deinde instare aduersario, iterare, renouare, interrogare, num aut scriptum neget, aut contra factum inficietur. Post iudicem ad uim scripti uocet, hac confirmatione usus, amplificet rẽ lege laudanda, audaciamq; cõfutet eius, qui cum palàm contra fecerit, idq; fateatur, adsit tamen, factumq; defendat. Deinde infirmet defensionem, cũ aduersarius aliud uoluisse, aliud sensisse scriptorẽ, aliud scripsisse dicat, non esse ferendum a' quoquam potius latoris sensum, quàm a' lege explicari. Cur ita scripserit, si ita non senserit? Cur, cũ ea, quæ plane' scripta sint, neglexerit, quæ nunquam scripta sint, proferat? Cur prudentissimos in scribendo uiros summe stultitiæ putet esse damnandos? Quid impedierit scriptorem, quo minus excaperet illud, quod aduersarius tanquam si exceptum esset, ita dicit se secutum? Vtetur exemplis ijs, quibus idem scriptor, aut si id non poterit, quibus alij quod excipiendum putarint, exceperint. Quærenda etiam ratio est, siqua poterit inueniri, quare non sit exceptum, aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia causa obtemperandi, alia abrogandi, dissentire aduersarij uocem, atque legis. Deinde amplificandi causa, de conseruandis legibus, de periculo rerum publicarum, atq; priuatarum, cum alijs locis, tum in perorando maxime, grauiter erit, uehementerq; dicendum. Ille autem, qui se sententia legis, uoluntateq; defendet, in consilio, atq; in mente scriptoris, nõ in uerbis, ac literis uim legis positã esse defendet, quodq; nihil excæperit in lege laudabit, ne diuerticula peccatis darentur, atq; ut ex facto cuiusq;, iudex legis mentẽ interpretaretur. Deinde erit utendũ exẽplis, in qbus omnis æqtas pturbetur, si uerbis legũ ac nõ sententijs pareatur. Deide genus eiusmodi calliditatis, et calũniæ retrahatur i odiũ

iudicis,cum quadam inuidiosa querela. & si incidet imprudentiæ causa,quæ non ad delictum,sed ad casum, necessitatem'ue pertineat,quod genus paulo ante attigimus, erit ijsdem æquitatis sententijs contra acerbitatem uerborum deprecandum. sin scripta inter se dissentient,tanta series artis est,& sic inter se sunt pleraq; connexa,& apta,ut quæ paulo ante præcepta dedimus ambigui, quæq; proxime sententiæ,& scripti,eadem ad hoc genus causæ tertium transferantur. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam significationem,quæ nos adiuuat,eisdem in contrarijs legibus nostra lex defendenda est. Deinde est efficiendum, ut alterius scripti sententiam, alterius uerba defendamus. Ita quæ modo de scripto,sententiaq; præcepta sunt,eadẽ huc omnia trãsferamus. EXPOSITAE sunt tibi omnes oratoriæ partitiones,quæ quidẽ è media illa nostra Academia floruerũt, neq; sine ea aut inueniri,aut intelligi,aut tractari possunt. Nam & partiri ipsum,& definire, & ambigui partitiones diuidere,& argumentorum locos nosse,& argumentationem ipsam concludere,et uidere,quæ sumenda in argumentando sint,quidq; ex ijs,quæ sumpta sunt,efficiatur, & uera à falsis,ueri similia ab incredibilibus diiudicare,& distinguere,& aut male sumpta,aut male conclusa reprehendere,& eadem uel anguste disserere,ut dialecti ci,qui appellantur,uel ut oratorem decet,late exprimere,illius exercitationis,& subtiliter disputandi,& copiose dicendi artis est. De bonis uero rebus, et malis,æquis,iniquis,utilibus,inutilibus,honestis, turpibus,quam potest habere orator,sine illis maximarũ rerũ artibus,facultatem,aut copiam? Quare hæc tibi sint mi Cicero,quæ exposui,quasi indicia fontium illorum, ad quos si nobis eisdem ducibus,alijs'ue perueneris, tum & hæc ipsa melius,& multo maiora alia cognosces. C. F. Ego uero,ac magno quidẽ studio mi pater,multisq; ex tuis præclarissimis muneribus nullũ maius expecto.

FINIS.

M. TVLLII CICERONIS DE OPTIMO GENERE ORATORVM.

RATORVM genera esse dicuntur tanquã poëtarum. id secus est, nam alterũ est multiplex. Poematis enim Tragici, Comici, Epici, Melici etiã, ac Dithyrambici, quod magis est tractatum à latinis, suũ quoduis est diuersum à reliquis. Itaq; & in Tragœdia comicum uitiosum est, et in Comœdia turpe tragicum. Et in cæteris suus est cuiusq; certus sonus, & quædã intelligentibus nota uox. Oratorum autem siquis ita numerat plura genera, ut alios grãdeis, aut graueis, aut copiosos. alios tenueis, aut subtileis, aut breueis. alios eis interiectos, et tanquã medios putet, de hominibus dicet aliquid, de re parum. In re enim quod optimum sit, quæritur, in homine dicitur quod est. Itaque licet dicere et Ennium summum Epicũ poëtam, sicui ita uidetur, & Pacuuium tragicum, & Cæcilium fortasse comicum. Oratorẽ genere non diuido, perfectum enim quæro. Vnum est autem genus perfecti, à quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Accio Terentius, sed in eodem non sunt pares. Optimus est enim orator, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & pmouet. Docere debitum est, delectare honorarium, permouere necessarium, hæc ut alius melius quàm alius, concedendũ est. uerum id fit non genere, sed gradu. Optimum quidem unum est. et proximum, quod ei simillimum, ex quo perspicuum est, quod optimo dissimillimum sit, id esse deterrimum. Nam quoniam eloquentia constat ex uerbis, & sententijs, perficiendum est, ut pure, & emendate loquentes, quod est latine, uerborum præterea & propriorum, & translatorum elegantiam persequamur. In proprijs, ut aptissima eligamus. In translatis, ut similitudinem secuti uerecunde utamur alienis. Sententiarum autem totidem genera sunt, quot diximus esse laudum. Sunt enim docendi, acutæ. delectandi, quasi argutæ. commouendi, graues. Sed & uerborum est structura quædam duas res efficiens, numerum, & lenitatem, & sententiæ suam compositionem habent ad probandam rem accommodatum ordinem. sed earũ omniũ rerum, ut ædificiorum, memoria est quasi fundamentum, lumen actio. Ea igitur omnia in quo summa, erit orator peritissimus, in quo media, mediocris, in quo minima, deterrimus. Et appellabantur omnes

oratores, ut pictores appellãtur, etiã mali, nec generibus inter seſe, ſed facultatibus differentꝫ. Itaq; nemo eſt orator, q̃ ſe Demoſthenis ſimulẽ eſſe nolit, at Mænander Homeri noluit. genus enim erat aliud. id non eſt in oratoribus, aut etiam ſi eſt, ut alius grauitatem ſequens ſubtilitatem fugiat, contra, alius acutiorẽ ſe quàm ornatiorem uelit, etiam ſi eſt in genere tolerabili, certe non eſt in optimo, ſiquidem quod omnes laudes habet, id eſt optimum. Hæc dixi breuius equidẽ, quàm res petebat, ſed ad id, quod agimus, non fuit dicendum pluribus. Vnum enim cum ſit genus, id quale ſit, quærimus. Eſt autem tale, quale floruit Athenis, ex quo atticorum oratorũ ipſa uis ignota eſt, nota gloria, nam alterum multi uiderunt, uitioſi nihil apud eos, alterum pauci, laudabilia eſſe multa. Eſt enim uitioſum in ſententia, ſiquid abſurdum, aut alienum, aut non acutum, aut ſubinſulſum eſt. In uerbis, ſi inquinatum, ſi abiectum, ſi non aptum, ſi durum, ſi longe petitum. hæc uitauerunt ferè omnes, qui aut attici numerantur, aut dicunt attice, ſed quatenus ualuerunt, ſani et ſici duntaxat habeantur, ſed ita, ut Palæſtricæ ſpatiari in xyſto ut liceat, non ab olympijs coronã petant. qui cum careant omni uitio, non ſunt contenti quaſi bona ualetudine, ſed uires, lacertos, ſanguinem quærunt, quandã etiã ſuauitatem coloris, eos imitemur, ſi poſſumus, ſin minus, illos potius, q̃ incorrupta ſanitate ſunt, quod eſt propriũ atticorum, quàm eos, quorum uitioſa abundantia eſt, quales Aſia multos tulit. quod cum faciemus, ſi modo idipſum aſſequemur (eſt enim permagnum) imitemur, ſi poterimus, Lyſiam, & eius quidem tenuitatem potiſſimum. Eſt enim multis in locis grandior, ſed quia & priuatas ille pleraſq; , & eas ipſas alijs, & paruarũ rerum cauſulas ſcripſit, uidetur eſſe ieiunior, quoniam ſe ipſe conſulto ad minutarum genera cauſarum limauerit. quod qui ita faciet, ut ſi cupiat uberior eſſe, non poſſit, habeatur ſanè orator, ſed de minoribus, magno autẽ oratori etiam illo modo ſæpe dicendũ eſt in tali genere cauſarũ. Ita fit, ut Demoſthenes certe poſſit ſummiſſe dicere, elate Lyſias fortaſſe non poſſit. Sed ſi eodem modo putant, exercatu in foro, & in omnibus templis, quæ circum forum ſunt, collocato, dicta pro Milone decuiſſe, ut ſi de re priuata ad unum iudicem diceremus, uim eloquentiæ ſuæ facultate, non rei natura metiuntur. Quare quoniam nonnullorũ ſermo iam increbuit, partim ſeipſos attice dicere, partim neminem noſtrum dicere, alteros negligamus, ſatis enim his res ipſa reſpondet, cum aut non adhibeantur ad cauſas, aut adhibiti derideãtur, nam ſi arrideantur, eſſet idipſum atticorum. Sed qui dicta nobis attico more nolunt, ipſi

autem se non oratores esse profitentur. si teretes aures haberent, intelligens q; iudicium, tanquam ad picturam probandam adhibentur etiam inscij faciendi, cum aliqua solertia iudicandi. Sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, neque eos quicquam excelsum, magnificum q; delectat, dicant se subtile quiddam, & politum uelle, graue, ornatum q; contemnere, id uero desinant dicere, qui subtiliter dicunt, eos solos attice dicere. idest quasi sicce, & integre, & ample, & ornate, & copiose, cum eadem integritate atticorum est. quid dubium est utrum orationem nostram tolerabilem tantum, an etiã admirabilem esse cupiamus? Non enim iam quærimus, quid sit attice, sed quid sit optime dicere, ex quo intelligitur, quoniã græcorũ oratorum præstantissimi sunt ij, qui fuerunt Athenis, eorum autem princeps facile Demosthenes, hunc siquis imitetur, eum & attice dicturum, & optime, ut quoniam attica nobis proposita sunt ad imitandum, bene dicere id sit attice dicere, sed cum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus, putaui mihi sustinendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium. Conuerti enim ex atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se cõtrarias, Aeschinis, Demosthenis q;, nec conuerti, ut interpres, sed ut orator sententijs ijsdẽ, & earum formis tanquam figuris, uerbis ad nostram consuetudinem aptis, in quibus non uerbum pro uerbo necesse habui reddere, sed genus omnium uerborum, uim q; seruaui, non enim ea me annumerare lectori putaui oportere, sed tanquam appendere. hic labor meus hoc assequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant, qui se atticos uolunt, & ad quam eos quasi formulam dicendi reuocent, intelligant. Sed exorietur Thucydides, eius enim quidam eloquentiam admirantur, id quidem recte, sed nihil ad eum oratorem, quem quærimus. Aliud est enim explicare res gestas narrando, aliud argumentando crimnari, crimen ue dissoluere, aliud narratione tenere auditorẽ, aliud concitare. At loquitur pulchre, num melius quàm Plato? necesse tamem est oratori, quem quærimus, controuersias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permouendum. Qua re siquis erit, qui Thucydidio genere causas in foro dicturũ esse profiteatur, is abhorreat etiã a' suspicione eius, quæ uersatur in re ciuili, & forensi. qui Thucididem laudauit, ascribat suæ nostram sententiã. quin ipsum Isocratem, quem diuinus author Plato suum fere' æqualẽ admirabiliter in Phædro laudari fecit a' Socrate, quẽq; oẽs docti summum oratorem esse dixerunt, tamen hũc in numero nõ re=

pono. Non enim in acie uersatur, & ferro, quasi rudibus eius eludit oratio. à me autem, ut cum maximus minima conferam, gladiatorum par nobilissimum inducitur. Aeschines tanquam æserninus (ut ait Lucilius)

-Non spurcus homo, sed doctus, & acer,
Cum Pacidiano hic componitur optimu' longe
Post homines natos.-

nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse diuinius. Huic labori nostro duo genera reprehensorũ opponuntur, unum hoc. uerũ melius græci. à quo quæratur, ecquid possint ipsi melius latine? alterum. qd istas potius legam, quàm græcas? Iidem Andriam, & Synephæbos, nec minus Terentium, & Cæcilium, quàm Mænandrum legunt. nec Andromacham, aut Anthiopam, aut Epigonos latinos recipiant, sed tamen Ennium, & Pacuuium, & Acium potius, quàm Euripidem, & Sophoclem legunt. Quod igitur est eorum in orationibus à græco conuersis fastidium, nullum cum sit in uersibus? Sed aggrediamur iam quod suscepimus, si prius exposuerimus, quæ causa in iudicium deducta sit. Cum esset lex Athenis, nequis populiscitum faceret, ut quisquam corona donaretur in magistratu prius, quàm rationes retulisset. Et altera lex, eos, qui à populo donarentur, in concione donari debere. quia in senatu Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eosq; refecit pecunia sua, de hoc igitur Ctheſiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur, eaq; donatio fieret in theatro populo conuocato, qui locus non est concionis legitimæ, atq; ita prædicaretur, eum donari uirtutis ergô, beneuolẽtiæq;, quam erga populum Athenienſem haberet. Hunc igitur Ctheſiphontem in iudicium adduxit Aeschines, quod contra leges scripsisset, ut & rationibus nõ relatis corona donaretur, et ut in theatro, & quod de uirtute eius, & beneuolentia falsa scripsisset, quoniam Demosthenes nec uir bonus esset, nec benemeritus de ciuitate. Causa ipsa abhorret illa qdem formula consuetudinis nostræ, sed est magna, habet enim & legum interpretationem satis acutam in utranq; partem, et meritorũ in remp. contentionem sanè grauem. itaq; causa fuit Aeschini, quoniam ipse à Demosthene esset capitis accusatus, quod legationem ementitus esset, ut ulciscendi inimici causa nomine Ctheſiphontis iudiciũ fieret de factis, famaq; Demosthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quàm de eo, quod ciuis improbus, ut optimus laudatus esset. Hanc multã Aeschines à Ctheſiphonte petijt quadriennio ante Philippi Macedonis mortem, sed iudicium

factum est

factum est aliquot annis post Alexandro iam Asiam tenente, ad quod iudicium concursus dicatur è tota Græcia factus esse. Quid enim aut tam uisendum, aut audiendum fuit, quàm summorum oratorum in grauissima causa accurata, & inimicitijs incensa contentio? Quorum ego orationes, si, ut spero, ita expressero uirtutibus utens illorum omnibus, idest sententijs, & earum figuris, & rerum ordine, uerba persequens eatenus, ut ea non abhorreant à more nostro, quæ si è græcis omnia conuersa non erunt, tamen ut generis eiusdẽ sint, elaborauimus, erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui atticè uolunt dicere, sed de nobis satis. Aliquando enim Aeschinem ipsum latine dicentem audiamus.

FINIS.

*. **. a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z

A B C D E F G H Omnes sunt quaterniones

præter *. **. & H quinterniones. l duernionem

VENETIIS IN AEDIBVS ALDI, ET ANDREAE SOCERI MENSE OCTOBRI M. D. XXI.

09668

Aldine
521
C568i